DISSERTATIO HISTORICA

DE

DVCENTIS CELEBERRIMIS AVGVSTINIANIS SCRIPTORIBVS

Ex illis, qui obierunt poſt magnam Vnionem Ordinis Eremitici vſque ad finem Tridentini Concilij.

Amplioris Bibliothecæ Auguſtinenſis edendæ præuia, & ad poſteros Collectores Eccleſiaſticorum Scriptorum directa.

AVCTORE

FR. DOMINICO ANTONIO GANDOLFO GENVENSI

Ab Intemelio eiuſdem Ordinis S.Theologiæ Licentiato, & Concionatore Generali, inter Academicos Arcades, ac Infæcundos Romæ, Phyſiocriticos Senarum, & Apatiſtas Florentiæ adnumerato.



Sapientiam Antiquorum exquiret ſapiens &c; & narrationem Virorum nominatorum conſeruabit. Eccleſiaſtici capite 39.

Addita ſunt aliqua ad D.Nicolaum Tolentinatem, Beatos quoſdam, ac Venerabiles eiuſdem Ordinis ſpectantia; nec non Oratio D. P. Auguſtini *Ante oculos &c;* cum verſionibus, annotationibus, & alia in laudem illius orthodoxæ doctrinæ.



ROMÆ, Typis Ioannis Franciſci Buagni. MDCCIV.

Superiorum Facultate.

EMINENTISSIMO, ET REVERENDISSIMO PRINCIPI
S.R.E. CARDINALI DIACONO
S. GEORGII AD VELVM AVREVM

IOSEPHO RENATO
IMPERIALI

Ordinis Eremitarum Sancti Augustini
Protectori dignissimo.



CITE' admodum alienas sibi comparat vires, qui suis destituitur, EMINENTISSIME PRINCEPS. Hinc fit, vt de insignioribus Augustinensis familiæ Scriptoribus acturus, non alibi, quàm in solertissimi Augustiniani Ordinis Fautoris sinu eos excipi curauerim. Perdifficile mihi visum est cum viris de Republica Litteraria optimè meritis ita agere,

ne in ipſo lucis veſtibulo ſibi vita diſpliceret, ac mallent in ſuo puluere diutiùs ſquallere, quàm bonas Artes arduis hiſce temporibus deſtitutas ingemiſcere. Ades nihilominus Tu PRINCEPS EMINENTISSIME, ad cuius tutelam doctiſſimi quique inoffenſo pede confugiant. Habent in Te noſtri Scriptores nonmodò, quod imitentur, ſed etiam quod admirentur. Nouit Auguſtiniana Religio, quanta ſit tuæ mentis indoles in eius negotijs fouendis nunquam defeſſa, quia nunquam defectura. Teſtem adhibeo luculentiſſimum illud Purpuratorum Sydus Laurentium Patruum Tuum, cuius inſignia erga nos beneficia nequeo ſine miraculo recolere, cuius iacturæ vnà omnes indoluimus, nec vnquam dolor deſijſſet, niſi in Te rediuiuus nobis iterum non defuiſſet. Vnus igitur occurrebas, cui ſeſe celeberrimi noſtri Doctores lubentes committerent, quandoquidem vnus præ cęteris Sapientum Mecœnas commendaris, & Pater. Quis enim bonarum Artium hac tempeſtate magis incrementis conſuluit? Quis Eruditorum votis vberiùs ſuffecit, quàm Tu, dum collectis vndique tot inſignioris notæ voluminibus ampliſſimam Bibliothecam publicis, priuatiſque commodis inſtituiſti, vt doctis vtilitati, omnibuſque futura ſit admirationi? Reapsè cùm magnam partem mearum lucubrationum ego inde adauxerim, Tu eas etiam optimo, meritoque iure Tibi vendicas. Spero autem fore, vt obſequium

illud

illud meum, quod pro sua tenuitate vix sese Tibi sistere audebat, illustribus modò commendatum Scriptoribus, maiori prosequaris affectu, de quo minimè ambigendum, satis enim mihi perspectum est, quo animo, quoue studio cultum ingeniorum, ingeniaque ipsa excipere contendas. Æqui amantissimus mihi grauioribus aduersæ fortunæ fluctibus obnoxio beneuolum eximij Patrocinij munimen haud denegasti, nec mihi deinceps formidandum, quo minùs ad nouos fętus eruendos aditum adaperias. Deus Optimus Maximus Te diu Religionis nostræ decori, Reipublicæ Litterarię iucunditati, omnium denique exemplo feliciter asseruet: mira namque posteris vestigia relegenda exhibes, cùm vel exiguum ingentis animi specimen offers. Hic mihi disserendum esset de Tui sanguinis claritate, & Tui generis inclyta nobilitate, ac quemadmodum fieri solet, pręclarissimas Maiorum Tuorum imagines meum esset hic recensere: Sed hæc alij præstent; siquidem dum tuum dumtaxat nomen insonuerit, Tuorum laudes colliguntur, cùm Tu ipsemet sis omnium laus, & imago. Accedit illa Tecum nata modestia, & probitas, cui laudes mereri, non audire, familiare semper fuit. Vbi tamen lingua hominum Tuis laudibus deerit, sacra monumenta per Te restaurata loquentur, & hæc inter, nostra immò Tua D. Georgij de Vrbe Ecclesia, quæ penè collabens, Te mandante restituta

est

est, & exornata; ne solos homines obsequio, sed & Cælites Tibi deuincires affectu. Excipe hoc qualecumque obseruantiæ meæ pignus, quo Tuis meritis maius offerre non potui, cùm omni laude Tu maior existas. Æternitas itaque, CARDINALIS AMPLISSIME, ætatis nostræ lumen, & columen, suppar Tibi texat encomium; non enim diutiùs Tuis laudibus censeo immorandum, quibus enumerandis ingenium priùs deficeret, quàm argumentum. Vale.

Humillimus, obsequentissimus, & addictissimus Seruus
Fr. Dominicus Antonius Gandolfus
Augustinianus.

FR. NICOLAVS SERANVS
AQVILANVS
Sacræ Theologiæ Magiſter
Totius Ordinis Fratrum Erem. S. P. N. Auguſtini Prior Generalis.

LIber cui Titulus eſt *Diſſertatio Hiſtorica &c.* à Ven. Patre Fr.Dominico Antonio Gandolfo ab Intemilio Sac. Theologiæ Baccalaureo noſtri eiuſdem Ordinis elucubratus, ac per Viros Religioſos à nobis deputatos reuiſus, & approbatus, vt in lucem edi poſſit, de licentia tamen eorum, ad quos ſpectat, facultatem tenore præſentium concedimus. Datum in Conuentu noſtro S.P. Auguſtini de Vrbe die 3. Aprilis 1704.

Fr. Nicolaus Seranus Generalis.

Loco ✠ Sigilli

Mag. Fr. Dionyſius Gori Senenſis Proſecretarius Ordinis.

Imprimatur.

G. Cardinalis Vicarius.

De mandato Reuerendiſſimi P. Fr. Paulini Bernardinij S.A.P. Mag. Opus hoc, cuius titulus *Diſſertatio Hiſtorica &c.* ſummo concinnatum ſtudio luſtraui, & nihil inueni quod bonis moribus, vel Fidei puritati aduerſetur, dignumque iudico prælo, vt Virorum illuſtrium memoria clarius elucefcat.

Eques Proſper Mandoſius.

Imprimatur.

Fr. Paulinus Bernardinius Ordinis Prædicatorum Sacri Apoſtolici Palatij Magiſter.

PRÆFATIO.



A DIVI Auguſtini Parentis magni, Doctoris maximi plantatione deriuare Eremitanam Monaſticam Religionem tot celeberrimorum Heroum genitricem, approbarunt plurimi Pontifices ſupremi; Imperatores, & Reges ſuis in diplomatibus agnouere; teſtati ſunt pluſquam tercenti, & viginti Scriptores præclariſſimi, inter quos aliqui Sancti, & Beati, vt diſtinctè oſtendit Emmanuel Leal Luſitanus in ſuo Conflatorio purificatiuo Vliſſyppone impreſſo; ac apertè demonſtrarunt, editis de hoc ex profeſſo fundatis voluminibus, vltrà quadraginta Doctores mei eiuſdem Ordinis, atq;quod notabilius eſt,idemmet Magnus Parens ſuis apparitionibus, quas citrà duodecim enumerat accuratus Herrera in Reſponſione Pacifica, dignatus eſt confirmare, & vti legitimo partui fauere. Nihilominùs hanc tam lucidis radijs veritatem illuſtratam aliqui moderni Scriptores conati ſunt obfuſcare, &,vel non attendentes ſplendores, vel conſiderare nolentes clariſſima fundamenta hoc probantia,denuò aliquorum argumentorum nebulas iam à validiſſimis ventis Scriptorum noſtrorum diſperſas, & diſſipatas, in aerem eleuare. Quo tamen euentu id egerint, apertè cernere poſſunt Eruditi; nam Nicolao Deſnos Gallo, Nicolao à S.Maria Luſitano Canonicis Regularibus, Franciſco Macedo Minoritæ,Philippo Labbeo Ieſuitæ Bituricenſi,&Thomaſſino contradictoribus iam fundatè ſe oppoſuerunt Aloyſius Torellus, Euſtachius à S.Vbaldo, olim Amici,ac citatus Emmanuel Leal, vt comprobauerint veriſſimum, quod Eminentiſſimus auctor protulit in Libello erudito contrà quinquaginta ſomnia macedoniana pag.63.de argumentis à Macedo aduersùs Monacatum Auguſtini allatis. Inter obſcurare volentes, apparuerunt quoque vltimo viri aliàs clariſſimi, Natalis Alexander ſuis in Diſſertationibus ad Selecta Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ capita, Abbas Baluzius incidenter in vitis Paparum Auenion; alijque, qui lingua Gallica ſcripſerunt. Verùm cum nihil afferant, quod à ſupradictis noſtris elucidatum non fuerit, iudico, in operibus edendis,alia via ſcilicet ſecura, incedere eos poſſe. Qui-

dam etiam ex nostris contrarijs omnem machinam mouerunt contrà Diui Augustini Monachatum, sed tam validis munimentis, præcisè sumptis ex clarissimis textibus eiusdem S.Patris Castrum istud vallarunt tot nostri Scriptores, inter quos primatum tenet Eminentissimus Purpuratus Norisius in Historia Pelagiana, ac postremo sapientissimi S.Germani Parisienses Monachi in vltimo Tomo D.Augustini operum, vt iam impossibile sit illud conuellere. Alij aciem direxerunt contrà successionem, asserentes, nos seriem successionis probare non posse: Sed vel non viderunt, vel obseruare noluerunt nostros eruditos Marquezium, Herreram, Sabatinum, & copiosum Torellum, qui suis in operibus plurima exposuerunt successionis seriem patenter ostendentia. Fateor ingenuè, varia à nonnullis Scriptoribus nostris adducta, vel debilia esse, vel infirma, vtpotè innixa Historijs insubsistentibus Marci Maximi, Flauij Dextri, Iuliani, & similium; sed alia tam clara conspiciuntur, & euidentia, vt sine nota *peruicaciæ*, & obstinationis negari non possint. Ad eos sermonem dirigo, qui nos Aborigines esse proclamant, & solùm aliquos paucissimis annis ante magnam vnionem extasse sub nomine S.Augustini. Si ita putant, & auidè esse cupiunt. Quinam erant illi Eremitæ Augustiniani Fontis Giardi, & de Linceio, de quibus locutus est B.Innocentius Tertius in suo *Breue* directo Hugoni Abbati, & conuentui maioris Monasterij Turonensis, Anno 14. sui Pontificatus, videlicet 1212; quorũ causa iã agitata fuerat viuente Eugenio III. nempè 1145., quorumquè initium ex veridicis monumentis, & certis Historijs ferè Augustini Patris tempora ostendit attingere eruditissimus, ac plurium linguarum, præcisè orientalium, possessor, meus Guillelmus Bonjour Tolosanus? Quinam erant illi Fratres Eremitæ S.Mariæ de Morimundo sub regula Sancti Augustini, ad quos fuit ordinatum aliud Breue eiusdem Pontificis Innocentij III. à me inuentum in nostro Perusino Archiuo, datum Anno 16. sui Pontificatus scilicet 1213., cuius copiam in fine huius Præfationis reponam? Quinàm illi, quibus Innocentius II. scripsit. *Dilectis Filijs Guidoni Priori, & Fratribus Ordinis Eremitarum S. Augustini in Ecclesia Beata Mariæ de Rheno Regularem vitam professis &c. Datum Pisis* 1136. *Pontificatus Anno* 7. vt per extensum exhibens litteras profert citatus Leal Lusitanus? Quinam illi Fratres Eremitæ S.Mariæ de Aphrico Ordinis Eremitarum S.Augustini in Territorio Mon-

tis

tis Catini Tusciæ, cuius Cœnobium anno Christi 903. igne conflagratum fuit, vt in authentica forma scripturam exhibuit Torellus *pag.633. Tom.7.* sæculorum Augustinensium ? Quinàm denique illi, vt plurima alia prætermittam, quæ nostris in Scriptoribus apparent, ad quos maior pars sermonum ad Fratres in Eremo directa fuit (pro quibus tamen sermonibus libenter amplector censuram vltimæ editionis Operum D.P. Augustini) quæ M. S. extabat, vt testatur vnus ex contrarijs nostris Abbas Liriacensis Mauburnus, tempore Pipini Regis Francorum, nempè circà annum 760. ? Si ista tam patentia, & clara sunt, vt à quolibet videri queant; Non est ergo tam modernus Ordo, & nomen Eremitarum S. Augustini, vt aliqui recentiores crambem recoquendo, ostendere tentarunt. Scio aliquos extitisse, qui parum fidei adhibuerunt his sermonibus, vtpotè non procreati ab Augustino Sanctissimo Doctore; sed non ità sensit, & fundatè Abbas D. Pius de Rubeis *in Comment. rerum gestarum S. Hieronymi cap.14. pag.186.* En verba. *Quod Baronius in derogationem Auctoris sermonum ad Eremitas quinto loco subnectit, satis controuersum est. Sed detur Augustini non esse opus. Quæritur ab eo, cuius auctoris sit ? Recentioris, an veteris ? certè non recentioris, quià in vetustissimis Augustini manuscriptis exemplaribus habentur; ergo cuiuspiam ex veteribus. At quis meliùs, vel veriùs antiquitatis monumenta illis tradere posteris potuit, qui vel præsentes, seù æquales, vel propinqui eis ipsis fuerunt ? & quidem plus firmitatis vnicus illorum temporum testis censendus est habere quàm tota simul recentiorum caterua.* Cum verò de his sermonibus locutus sim, me continere non possum, quin ad defensionem, & honorem tuendum meæ Religionis coarguam apertissimã imposturam Patris Labbei, vt palam elucescat, quænã illi fides adhibenda sit saltem in his, quæ contrà meos Augustinianos eructauit. Iste *in 1. To. de Scrip. Ecclesiast. pag.185.* hæc reposuit: *Apud Scriptores Carmelitas obtigisse videtur, quod apud Augustinianos circà sermones ad fratres in Eremo, quos vnanimiter FF. Eremitæ S. Augustino adscribunt, sicut vnanimiter FF. Carmelitæ tribuunt prædicto Ioanni, plaudente extrà vtrorumque cœtum nemine &c.* Certè sicut Labbeus pluries reprehendit nostrum Elscium, (aliquando iuridicè), ità ostendit, se alios Scriptores Augustinianos non obseruasse, vel extra se positum illos legisse. Hos sermones non agnouisse vti Augustinianos Bartholomeum Vrbinatensem Episcopum testati sunt etiam Louanienses, à Labbeo cita-

citati. Non fuisse Augustinum auctorem, clarè affirmarunt Iosephus Pamphilus *pag.*11;& 12. *Chron. Ordinis*, qui scripsit 1581; & Bernardus Vindingus in Critico Augustiniano *pag.* 237; qui edidit Opus 1621. Istos Labbeus ignorare non poterat, nam citantur ad ipso: primus vbi de Ægidio Columnio, alijsque Scriptoribus mei Ordinis loquitur, & secundus *pag.* 393. *Tomi primi*. Ludouicus ab Angelis in vita S. Augustini, quæ edita est Parisijs 1614; vndè facillimè à Labbeo inuenienda, *à pag.* 65. *vsque ad* 67. de his sermonibus sermonem faciens, potiùs non fuisse fætum Augustini credere inclinat, quam aliter; Thomas de Herrera in Responsione Pacifica luci exposita Bononiæ 1635. *pag.* 63; & Sabatinus in Vindicijs Viennæ Austriæ euulgatis 1650. *pag.* 235, quosdam vti legitimos, & maiorem partem vti spurios reijciunt, quod non diffitentur etiam accurati Censores. Ioannes Riuius in vita S.P. Augustini Antuerpiæ edita 1636. *pag.* 567. videtur directè subsignare sententiam Louaniensis censuræ. Prosper Stellartius (inaduertenter Petrus à Labbeo *pag.* 967. *Tom.* 2. vocatus,) licèt in tot libris editis, de D. Augustino, & Augustinianis differuerit, & Cornelius Lancellottus eius vitam exposuerit, tamen de his sermonibus nihil protulerunt, signum euidens illos non approbasse. Et vt cæteros prætercam, celeberrimus Christianus Lupus, qui scripsit 1651. *Quæst. Quodlibetic. de Origine Erem. &c. cap.* 35. eosdem sermones expressè impugnauit. Omnes itaque isti Augustiniani ante Labbeum scripserunt, quippe qui edidit suum Opus Parisijs 1660., & tamen non veritus est mendaciter affirmare: *Vnanimiter FF. Eremitæ S. Augustino adscribunt*. Venio tandem ad secundam propositionis partem scilicet: *Plaudente extra vtrorumque cœtum nemine*. Basilius Pontius Legionensis, eminentissimus Theologus, (vt eum vocarunt Diana, & Pasqualigus in Indice Auctorum) cuius Opus de Matrimonio editum est Salamanticæ 1624., Bruxellis 1627; Lugduni 1640; & Venetijs apud Combum 1645. fol; ideò Scriptor notissimus, & non in Vtopia requirendus *Lib.* 7. *cap.* 1. *pag. mihi* 282. nominat explicitè circa triginta Scriptores, qui hos Sermones vti Augustinianos receperunt, quorum duo sunt Gabriel Vasquezius, & Petrus Maturus, Theologi celeberrimi Societatis Iesu. Si hunc non agnouerat Labbeus, saltem, vti Parisinus, eidem notus esse debebat noster Carolus Moreau, qui librum edidit, cuius titulus: *Vindiciæ quadripartitæ pro D. Augustino, & Augusti-*

gustinianis Parisijs 1635., & Antuerpiæ 1650.Ipse enim *part.* 1. *quæst.6.*plurimos extra nostrumOrdinem Scriptores approbantes distinctè enumerat. En igitur falsum, quod extrà nostrum cætum nullus plaudat.Profectò verum est, quod meus insignis Magister Gauardi,doctissimis,& Em.Purpuratis Galeatio Mariscotto, & Iacobo Antonio Morigiæ Episcopo Ticinensi olim asseruit, nempe quosdam adesse Scriptores, qui, postquam aliqua Opera ediderunt cum Eruditorum plausu, & existimatione, putant, quidquid ipsis placet scribere se posse. Sed si Labbeus infestus, & contrarius meæ Religioni fuit,in fauorem tamen ipsius veriùs,& lucidiùs scripsit sapientissimus Suarezius de Religione *Tom.4.lib.2.cap.9.n.23. Post Reformationem Alexandri (nempè IV.) mansit nihilominùs eadem Religio, quæ anteà erat; nam retinuit eamdem institutionem, quæ præcesserat ante Concilium Generale; sed antè illa Religio erat descendens hæreditario iure ex institutione Augustini, vt ostensum est, quia nulla alia institutio potest illi attribui; ergo eadem posteà mansit*. Nostram antiquitatem quoque testatus est Encyclopedicus,si mortalium quispiam, Illustrissimus Caramuel in sua Theologia Regulari super D.Benedicti Regulam *disp.33.pag.mihi* 139. *Eremitæ olim erant, qui hodie Augustiniani dicuntur. Etiam concionibus ipsi, & populi instructioni insudant. Eorum origo non benè cognita, aliqui eos putant non ab ipso Augustino, imò nec ante annum* 1256. *fuisse; contrarium autem videtur definire meus Bernardus in Ser. S.Andreæ colum.*323.Fluuius quippe est ,*ait,* Prædicatorum Ordo *&c. Cumque constet doctorem mellifluum longè antè D. Dominicum ad sidera translatum fuisse, superest vt hæc verba de alio Prædicatorum Ordine intelligantur. Sed de quo? Vix poteris textum expendere, si neges illi sæculo Prædicatores, & Apostolos Augustinianos. An ipsi Regulares Canonici? Non puto: multò enim iuniores sunt ipsi. An ne Canonici Cathedrales? Hoc ipsum minus esset à veritate alienum: at alij examinent. Hodie nostri Patres Augustiniani sanctitate, & literis vbique florent: Salamantica suspexit nostro æuo Patres Antolinez, Mendosam, Cornejum, Lodouicum, & Basilium: Complutum Patrem Albis: Louanium eximios viros Paludanum, & Coninck: aliæ Vniuersitates alios primarios Professores. Hodie florent, & prosunt vbique.* Et Eruditissimus Didacus de Baeza Iesuita sicuti Suarezius supranominatus, de meis Eremitanis disserens, quod benè quadrat ad nostrum scopum de Scriptoribus, *Comm.Moral. in Euang.*

Hist.

Hist. lib. 14 *cap.* 5. *pag.* 183. reposuit: *Prodit Augustinus Filios suos doctrina patrissantes, numero nulli familiæ impares, ad hos credidissem scribendi facultatem iure hæreditario fuisse deuolutam, nisi scirem illam propriam ab omnibus Ordinibus hæreditatem fuisse.* Cum verò res ita se habeat, vt iste Doctus Scriptor aperuit; Mirum est, quomodo Cardinalis Bellarminus, & cum eo Labbeus, solummodo nouem Scriptores Augustinianos exponant suis in Operibus, & vltimus audacter proferat *pag.* 823. *Hunc Cathalogum Scriptorum Augustinianorum Eremitarum &c. auctiorem tibi exhibere licuisset, si vel tenuissima rationis, aut vllius probalitatis vmbra in Philippi Elssij Bruxellensis Encomiastico, similibusque, quos citare solet Scriptoribus, appareret.* Si in dicto Cathalogo reposuerunt insignem Theologum Dominicum Sotum, qui obijt 1560; quare non meum D. Thomam Villanouanum ipsius Soti Magistrum, qui ad superos ascendit 1555? Si Martinum Nauarrum, qui decessit 1580; quare non Onuphrium Panuiniū de Ecclesia, & Ecclesiasticis Historijs optimè meritum, qui ad aliam vitam transijt 1569? Si aliqui enumerati sunt, qui contrà Nouatores scripsere; Qua fronte prætériere Bartholomeum Vssingen, qui primus contra Lutherum insurrexit? Ioannem Hoffmeisterum Antilutherum vocatum, & præclarissimum Cardinalem Seripandum? Vt omittam tot alios antiquos: Albertum Patauinum, Ambrosium Coranum, Gerardum Senensem, Henricum Langestain, Iordanum Saxonem, Paulum Vtinensem, Venetum vocatum, & plures alios mea in Dissertatione notandos, de quibus *altum vbique silentium*? Verum finamus Labbeum, suo incongruo sensu excedere, & in suo Silentio de Rebus nostris tabescere. Defectum ipsius abundè anteà suppleuerant Posseuinus in Apparatu Sacro, Trithemius de Scriptoribus Ecclesiasticis, pluresque alij Bibliothecarij, inter quos vltimus eruditus Caue, & ipsius Auctarij. In mea verò Dissertatione 200. Scriptores interim enumerabo, omnes post magnam Vnionem, ne aliquis vel vmbram habeat cauillandi, ipsos Eremitanos non extitisse. Paucos equidem inter hos adnectere libuit, quos fuisse Augustinianos non est certum; vti dubios tamen exposui, & qua de causa hoc fecerim, legentibus patebit. Tres etiam excedunt tempus præfixum terminationis Concilij Tridentini, videlicet Fabianus Clauarius Genuensis, B. Ludouicus de Montoja, ac Panuinius, sed quia parum distantes, & viri preclarissimi fuere,

eos

eos prætermittere nolui. Inter hos nostros cernuntur Sancti duo, titulo Beati à Scriptoribus decorati 40; Summus Pontifex vnus, Cardinales decem, Patriarchæ sex, Archiepiscopi 14; Episcopi Principes tres, Episcopi alij 27; & Generales Ordinis 16. Ex his aliqualiter patebit, non sine fundamento celebrem I.C. Hieronymum Genuinum Neapolitanum in Libro Neapoli impr. apud Andream Feum 1640., cuius titulus Meta. morphoses Nominum Anag. *60*; & *66.* à tali Lemmate *Familia Eremitarum S. Augustini* extraxisse purum anagramma.

Vnica summa nitet vera Magistri Filia.

Et alterum Italicè, licèt non purum. *Frati della Religion Eremitana di Sant'Agostino. Leterati, e sagaci; non dissimili al Gran Fondatore.* Quid demum in hoc opere præstiterim, quot Bibliothecas, & Libros euoluerim, vt veram, & exactam notitiam Scriptorum, ac ipsorum Operum proferrem, quod acuratissimi Eruditi summoperè desiderant, agnoscet discretus, & oculatus Lector, cuius intelligentia, & benignitas, vti spero, si me non doctum, & facundum. quod non mereor, saltem veridicum, & diligentem vocabit à principio vsque ad finem.

Quoddam nostræ antiquitatis vestigium à me visum in Chronicis Mindensibus *pag.*561; & 564. *Tom.* 1. rerum Germanicarum Script. hìc addere libet, à nullo Historico Ordinis antea obseruatum. En verba: *Temporibus istis Moniales Ord. S. Augustini locum, qui dicitur Vverder propè Hannouere intrauerunt. Antequam enim Moniales antedicta locum, & Monasterium prædictum intrauerunt, Canonici Regulares ibi habitabant. Qui propter vitam, & conuersationem nimis sæcularem eiecti fuerunt, & Moniales de Monasterio Ouerencherchen per Comites de Vunstorp, & Leuxenrode adductæ sunt in die S. Catharinæ Virginis Anno* 1114. Et infrà. *Moniales illæ, de quibus anteà diximus, priùs babitu vtebuntur nigro sub regula B. Augustini; Sed propter visionem, quam prædictus Pater, & Comes viderat in ædificatione, in babitum coloris albi sub Regula S. Benedicti de consensu Episcopi, & suorum Superiorum, permutarunt anno* 1237.

Aliud quoque vestigium nobilissimum nostræ Senectutis apparet ex Priuilegio Alphonsi Enriquez primi Regis Lusitaniæ. Ex ipso enim constat nos ante annum 1137. possedisse Monasterium S. Christophori de Lafoes, in quo an. 1110. vitam egit fundator eiusdem Ven. Fr. Ioannes Peculiarius Episcopus

pri-

primò Portuensis, deindè Archiepiscopus Bracharensis Institutor Canonicorum Regularium Congregationis S.Crucis Conimbriæ. Videatur Emmanuel Leal in Conflatorio Purificatiuo pag. 547. ostendens hoc ex Hagiologio Lusitano, & ex Generali Regni Chronologo, ac proferens, etiam verba Priuilegij Regis supradicti.

Breue Beati Innocentij Tertij Summi Pontificis in fauorem nostri Cœnobij S.Mariæ de Morimundo Calliensis Diœcesis.

INnocentius Episcopus Seruus Seruorum Dei Dilectis Filijs S.Mariæ de Morimundo Salutem, & Apostolicam Benedictionem. Quantò callidiùs antiqui hostis inuidia extendit ad desiderabiliora membra Ecclesiæ manus suas, & electos nititur supplantare, dicente Scriptura Escæ eius electi. Tanto prudentius Nos, qui super muros Ierusalem positi sumus custodes, & deputati præ ceteris ad Lecti custodiam Salomonis, circa Religiosos potissimum vigilare debemus, vt in domo Domini luceant sibi per meritum, & alijs per exemplum. Sanè postulastis Vobis Apostolica auctoritate licere in celebrandis Diuinis officijs, vti super pelicijs in morem Canonicorum Regularium: in alijs autem, vestibus nigris, victu, vigilijs, ieiunijs, silentio, inhabitatione cellularum, & cæteris institutionibus formam seruare, quam bonæ memoriæ Petrus edidit Damiani. Petistis etiam mulierum accessu ad vestram heremum interdici, & vobis iniungi de solis eleemosinis viuere, possessionibus abdicatis. Quià verò tam B. Augustini Regulam, quàm institutionem prædicti Petri Sancta recepit Ecclesia, vobis secundùm illas concedimus postulata. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Signiæ 7.Kal. Octobris Pontificatus nostri anno sextodecimo, *nempe Domini* 1213.

Aliud

Aliud Breue Honorij III. ad eosdem Fratres.

HOnorius Episcopus Seruus Seruorum Dei. Dilectis Filijs Oberto Priori, & Fratribus Heremi de Morimundo salutem, & Apostolicam benedictionem. Iustis petentium desiderijs dignum est nos facilem præbere assensum, & vota, quæ à rationis tramite non discordant, effectu prosequente complere. Quapropter dilecti in Domino Filij, deuotionem, quam erga Beatum Petrum, & nos ipsos habere noscimini, attendentes, Personas vestras cum omnibus bonis, tàm Ecclesiasticis, quàm mundanis, quæ in præsenti rationabiliter possidetis, aut in futurum iustis modis, præstante Domino, poteritis adipisci, sub B. Petri, & nostra felicis recordationis Innocentij Papæ prædecessoris nostri vestigijs inhærentes, protectione suscipimus. Specialiter autem possessiones, quas nobilis mulier Italia . . . & Filij eius eidem Heremo in helemosinam concesserunt, Clausuram iuxtà pontem nouellum, & Ecclesiam Sanctæ Luciæ cum tota valle munda, & alijs possessionibus, quas habetis in monte Equi, & in faucibus eius, sicut eas iustè, & pacificè possidetis, vobis & per vos domui vestræ auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ protectionis, & confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Laterani xv. Kalendas Nouembris Pontificatus nostri anno secundo, *videlicet anno Domini* 1217.

In nostro Perusino Archiuo cum supradictis habetur quoque alia Bulla Gregorij Noni, quæ incipit. *Gregorius Episcopus Seruus Seruorum Dei. Dilectis Filijs Priori, & Fratribus Sanctæ Mariæ de Morimundo Callensis Diœcesis*, confirmans ipsis omnia bona, possessiones &c; vt supra. *Dat. Interamni Kal. Iunij Pontificatus anno decimo.* Adest etiam inibi Instrumentum in pergamena, in quo à Reuerendiss. Ricardo Card. S. Angeli Protectore Ordinis nostri, & à Sede Apostolica delegato conceditur facultas Fratribus Selandino, & Philippo Ordinis Heremitarum S. Augustini recuperandi Monasterium de Morimundo à Priore, & Conuentu Heremi S. Crucis Fontis Auellani Anno 1261. In eodem non exprimitur, ex quo Ord. fuerit dictus Con-

B uen-

uentus Auellani. In Bulla tamen Alexandri IV. directa Episcopo Perusino adest conquestio Prioris Generalis, & Fratrum Heremitarum S.Augustini habitantium in Monasterio S.Catharinæ de Ponte Nouello contrà Abbatem Monasterij S.Crucis Fontis Auellani Eugubinæ Diœcesis, Ord. S.Benedicti, qui Monasterium Morismundi occupare volebat, vt illum compesceret, &c. Datum Anagniæ Kal.Iulij Pont. sui anno secundo nempe ann. Domini 1256.

Altera Bulla, seu Epistola B.Innocentij III. quæ sicut & prima deficiunt in vltima Editione Parisiensi 1682. clarissimi Baluzij Epistolarum eiusdem Pontificis; In Archiuo Perusino.

INnocentius Episcopus Seruus Seruorum Dei Dilectis Filijs Fratri L. Haremitæ & Fratribus eius de radice Montis Neuoniensis, salutem, & Apostolicam benedictionem. Iustis petentium desiderijs dignum est nos facilem præbere consensum, & vota, quæ à rationis tramite non discordant effectu prosequente complere. Ea propter, dilecti in Domino Filij deuotionem, quam erga B.Petrum, & nos ipsos habere noscimini, attendentes, Personas vestras, cum omnibus bonis, tam Ecclesiasticis, quàm mundanis, quæ in præsenti rationabiliter possidetis, aut in futurum iustis modis præstante Domino poteritis adipisci, sub Beati Petri, & nostra protectione suscipimus. Specialiter autem possessiones, quas nobilis mulier Italia, & Filij eius. . . eidem Heremo in heleemosinam concesserunt, aut eas iustè, & pacificè possidetis, vobis, & per vos domui vestræ auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ protectionis, & confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Laterani viii. Kal. Aprilis Pontific. nostri anno septimo, *Videlicet Domini* 1205.

Bulla

Bulla Alexandri IV. numquam anteà impressa, quæ originaliter asseruatur apud me, eamque habui ab Amico, & docto Presbytero sæculari D. Ioanne Bertono Præceptore Filiorum Illustriss. Augustini Mari Patritij Genuensis.

ALexander Episcopus Seruus Seruorum Dei. *Dilectis Filijs Priori, & Fratribus Heremitarum S. Augustini salutem, & Apostolicam benedictionem.* Vt eò liberiùs, & libentiùs diuinis insistere possitis obsequijs, quò potiorem fueritis à Sede Apostolica gratiam consequti, Nos sincerum gerentes ad ampliationem vestræ Religionis affectum, ad instar felicis recordationis Innocentij Papæ prædecessoris nostri, præsentium authoritate decernimus, vt priuilegia, & indulgentiæ, libertates, & immunitates, perpetua Fratribus vestris in Tuscia dumtaxat commorantibus ab Apostolica Sede concessa, ad quoslibet alios vestræ Religionis, & Ordinis Fratres vbilibet constitutos tàm præsentes, quàm posteros extendantur. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ Constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatornm Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Anagniæ vii. Kal. Iulij Pontificatus nostri Anno primo. *Nempe Domini* 1255. Fiant, quot voluerint; De Christi amore. Fiat I.

PROTESTATIO AVCTORIS.

QVæ in præſenti Opere apparent circa vitas, geſta, miracula, & reuelationes plurimorum Seruorum Dei mei Ordinis, humana Scriptorum auctoritate, non Apoſto lica S. R. Eccleſiæ determinatione fulciuntur. Quapropter expreſsè profiteor me adamuſſim ſeruare velle Decreta Sanctiſſimi D. N. Vrbani VIII; ac Sacræ Congregationis Vniuerſalis Inquiſitionis edita 1625; & 1631, die 5. Iulij.

1. DAM, seù Adamus Montaldus Patritius Genuensis, Poeta, & Orator insignis. Is, cùm Mahometes Secundus Hydruntinam Ciuitatem Aprutinæ Prouinciæ in Regno Neapolitano occupasset, Tyrtæum imitatus animos, & martia corda in accerrimum Christi fidelium hostem accendit, Romæquè Poema celeusmaticum coram Xisto IV;& Sacro Cardinalium cætu, magno applausu, memoriter recitauit. Floruit 1470. & ex Regestis Ordinis adhuc in humanis agebat 1479. Meminere ipsius cum laude Antonius Posseuinus *in Appar.Sac. pag.mihi* 14; Augustinus Schiaffinus *Tom.3. Hist. Ecclesiast. Genuen.*, Claudius Robertus in Gallia Christ., Abbas Iustinianus, Sopranis, & Oldoinus Iesuita in Liguriæ Script. *Lit. A*; & ex meis Augustinianis Episcopus Pamphilus *in Chron.pag.*88; Crusenius in Monastico *Par.4.cap.19.*, Herrera *Litt.A.de Script*; Gratianus in Anastasi, Elssius in Encomastico, ac Torellus *To.7. Sac.August. Romæ in Vaticana Tom.*1567; & 68. Sequentia asseruantur ab eodem exarata.

Ad Calixtum III. Sum. Pont. De clara Vita Diui Alphonsi Regis Incipit: *Vitam Regis Alphonsi, quam ego summopere ventilaui*.

Cohortatorij ad Papam Calixtum pro Constantinopoli Versus. incipiunt *Salue Sancte Pater, Via, Dux, Rector, & Altor*.

Ad Calixtum Papam III. De clara vita Excellentissimi Arnoldi Rogerij Alexandriæ Patriarchæ Oratio. Incipit. *Solebant Papæ Calixtæ*.

De laudibus præclarissimi D. Patriarchæ Alexan. versus. Incipiunt: *Gloria si qua manet, Syria data gente Latinis*.

De laudibus SS. Patris Sixti Pont. Max. Oratio. Incipit *Cùm post captam Ciuit. Idrontinorum*.

Ad Sixtum Pont. Carmina latina. Eius Operis initium. *Ante Cæphas Mundi dignas dic Musa Camenas*.

Carminibus heroicis edita Passio Domini nostri Iesu Christi. Eius principiũ. *Hinc genus humanum precor &c.* Finis. *In quo nondum aliquis fuerat tamen inde sepultus. Ex vico Virginis* 1475. *die* 8. *Septembris*. Seruatur impressa in Bibl. S. Dominici Maioris Neapolis To. 12; tamen absque anno, loco, & nomine Impressoris. Adest etiam in nostra Tridentina.

Excelsę Domus Auriæ Ianuensis per Fratrem Adam de Montaldo Eremitarum D. Augustini clarissimi Triumphi. Genuæ M. S. apud plures.

Tractatus de Familia Nobili Genuensi Cybo. Romæ in Bibliotheca Barberina.

Extat eiusdem in Ortographiã

Ioan-

Ioannis Aretini disertum Proemium Philippo de Leuiz Arelatensi Archiep. 70. dicatum, qui obiit Romæ 1475.

Carmina in laudem B.Christinæ de Vicecomitibus sunt impressa in Alphab. August. Herreræ, ac in 2. To. Februarij Operum Bollandi pag.799; qui etiam meminit cum laude nostri Adami.

De Dolore B. Mariæ Virginis in passione Filij scripsisse ferunt Oldoinus, & Marracius.

Cum Fr. Antonius Raudensis Ordinis Minorum Theologus collegisset, & exarasset errores prætensos in septem libros Operum Lactantij Firmiani antiqui, & doctissimi Patris, vt in editione Romana 1468. in domo nobilis viri Petri de Maximis per Conradum Suueyneym, & Arnoldum Panartz Fol., ac alia ibidem per Vdaricum Gallum Alemanum, & Symonem Nicolai de Luca 1474. Fol., & Veneta per Andream de Palthasichis Catarensem, & Boninum de Boninis 1478. Fol. Meus eruditus Fr.Adam Montaldus Genuensis ibidem his Carminibus increpat Fratrem Antonium.

Hic malè corripuit stolidis Antonius ausis
Auctorem, in varijs causa pianda locis.
Non erat in tenebris errantis imaginis astrum
Dicere vel nitidum luce carere iubar.
Denique cum Sanctæ Ecclesiæ pia lumina constet
Obsequio ex tanto conticuisse viro.
Tu verò eloquio lingua interdicta Latino,
I cubitum, nam te pensitat eleborum.

Auriæ Domus inclytæ dignæ laudes per Fratrem Adam de Montaldo Eremitarum Diui Augustini.

Illa ego sum Armipotens Pelagi Dea viribus impar
Auria celsa Domus, cui Mars Ioue cessit in armis;
Neptunus, Thetis, atque euras fera signa subegi:
Pisarum, quibus arma, rates, ara Vrbis, & Vrbem
Arripui, vexilla, Viros, laudesquè vetustas.
Hinc Venetam attriui rabiem sex classibus actis:
Marciferumque decus, & signa frementia bellis.
In Genuam captis hominum cum mille carinis
Detorsi, clypeumque dedit mihi victa marinum.
Armeriam, Getulosque feros, Danaosque potentes;
Barbaricam gentem detractis viribus, arces
Vrbis, & hostiles ego vici in sanguine terras.
Tum quater imperium patriæ cum pace penatum;
Et populi obtentum magno mihi nomine adegi.

Diues

Diues opum, domibusque altis, & parte superba
Sola feror, dum fata diù sic alta manebo.
Cum volui fecisse duces & fœdera rerum
Marte gerendarum, potui, atque expellere, tantùm
Libertas mihi magna fuit, terraque, marique,
Vt stirps nulla queat se mecum æquare triumphis.

Fratris Adæ de Montaldo Eremitarum Sancti Augustini gloriosæ Domus Auriç Ianuensis memores triumphi ad Virum inclytum Dominicum de Auria Pontificis Maximi Innocentij VIII. Capitaneum edicti,

Auria Dominicus ego sum Dux Inclitus Armis,
Quem mea Progenies facit vsque ad sidera notum.

Opus supradictum M. S. 4. in Pergamena cum miniaturis asseruatur Genuæ apud antiquarium eruditum amicum Dominum N. D. Mutium. In principio eiusdem adsunt notata carmina, & effigies benè delineata, & ad viuum expressa, vt puto, nostri Montaldi, quem ex dedic. apparet vixisse vltrà Annum 1484; in quo creatus Pontifex Innocentius VIII. Liber incipit. *Quoniam vt inquit Salustius, &c.*

2. ÆGIDIVS BONVS, Blasij filius, Nobilis Cortonensis Etruscus, Theologus magni nominis, ac Ecclesiastes insignis. Eum Clemens VI. Episcopum Vicentinæ Ciuitatis creauit 1348. 7. idus Ianuarij. A Carolo IV. Imperatore ad Pisanos Legatus missus fuit, & ab Innocentio VI. instante eodem Imperatore 1361. tertià Creatione mense Septembris designatus Cardinalis S. R. E. Hoc (vltrà iam à me expositum in Purpuris Augustinianis pag. 20. Card. 13.) testantur Thomas Bracciolius Antiquarius, Canonicusque Cathedralis Cortonensis in suo tractatu Familiarum eiusdem Ciuitatis L. B; quem scripsit an. 1562; Pater Thomas Andreæ de Bonis Augustinianus Libro Italico, sicuti superior, suarum memoriarum M. S. Antiqua Arbor Prosapiæ de Bonis, ac vetus instrumentum insertum in alio pro Familia Baldella, quod asseruatur Florentiæ. Plura enim extensiùs ad hoc roborandum affert eruditus amicus Franciscus Pauli Baldelli, Nobilis Cortonæ in suo M. S. Virorum illustrium Cortonensium, mihi ibidem ostenso. Hæc visa ab Augustino Oldoino eum mouerunt, vt Cardinalem designatum in suo Atheneo Etrusco assereret. Nec

obstat

obstat ad dignitatem Ægidij, quòd Cardinales in secreto Concistorio electi, donec insignia Cardinalium habeant, non debeant Cardinales nuncupari; quia huiusmodi lex Ægidij nostri tempore adhuc promulgata non fuerat; edidit enim eam Eugenius IV; vt ex Lauria in Epitome Canonum. V. *Cardinales*. Conuentui suo Cortonensi dono dedit Ægidius sequentes Reliquias, quas ab eodem Imperatore obtinuit, scilicet de Pillis D. N. Iesu Christi; De Ligno S. Crucis; De Mariæ Virginis Lacte; ac vnum ex Dentibus D. Appolloniæ. Anno 1330; vt ex Bulla Ioannis 22; extitit Fundator Cœnobij Castilionis Florentini. Laudatur ab Vghello in Italia Sacra To. v. col. 1138; nec non ab Oldoino, & Amico erudito Ioanne Cinellio in Scriptoribus Ætruschis M.S. Memoratur quoque à nostris Scriptoribus Hieronymo Roman, Herrera, Crusenio, Elssio, ac Torello, sed ab ipsis confunditur tempus, quo floruit, & malè in duos diuiditur: Meliùs tamen Torellus in Appendice To. 6. à supranotato Baldello edoctus, vt ipse fatetur. Reliquit Ægidius noster tria Volumina Theologica, quæ olim asseruabantur in Ducis Vrbini Bibliotheca, nunc autem in Vaticana.

3. ÆGIDIVS CANISIVS, Patritius Viterbiensis. Pater ipsius fuit Antoninus Canisius, & Mater D. Maria del Testa vocabatur, satis diuites, & nobiles. Longè profectò à veritate aberrarunt hi, qui scripserunt ipsum ignobilem, & pauperrimum fuisse: Nam in Diplomate Gabrielis Mascioli Anconitani, Sacrarij Apostolici Custodis, & Episcopi Castrensis, in cuius Diœcesi mater nostri Ægidij tunc degebat, cuius copia apud me est, excerpta à quodam M.S. insignis Bibliothecæ S. Augustini Senarum, dum inibi Conciones haberem tempore Prioratus Adm. R. P. Magistri Dionysij Gori, modò condignè Ord. Prosecretarij, Domina vocatur, & eius qualitates nobiles enarrantur. Vt autem id clariùs appareat, sciendum est, nostrum Ægidium, cùm solummodò esset S. Theologiæ Magister, duas Sorores suas desponsasse duobus ex primarijs Familijs Viterbiensibus, idest D. Portiam D. Dominico Bussino, & D. Pacificam D. Hieronymo Peronio, ex quorum filia descendunt D. Bernardinus Peronius Secretarius Ciuitatis Viterbij, & Vxores DD. Ioannis Pauli Riccioli, Bernardini Salennij, & Felicis Messini Viterb. Patrit; ac amicorum meorum. Fuit igitur Ægidius Poeta celeberrimus, eloquentissimus Orator, concionandi gloria nouum Vas ele-

ctionis,

ctionis, variarum linguarum peritia, omniumquè Scientiarum genere ornatus, & apud Principes rerum agendarum dexteritate singulari gratia, & vitæ sanctimonia memorabilis. Eum Clemens VII; vt apud Herreram, summis laudibus ornauit; Paulus Iouius, & Arnoldus Ferronus, Italiæ Columen, Marronem, & Ciceronem; Cardinalis Sodaletus clarissimum illius sæculi ob scurascentis lumen Ecclesiæ vocauit. Pauli III. antè Pontificatum Confessiones audiuit Anno 1507. 12. Iunij totius Ordinis Generalis Neapoli eligitur, gubernauitque annis 11. magno cum plausu, vtilitate, & fructu, licèt temporibus aduersis pro Regularibus. Anno 1512. 7. Maij in prima Sessione Lateranensis Concilij coram Iulio II; & Patribus Orationem habuit ornatissimam. Ab eodem ad Venetos, & ad Regem Neapolitanum, nec non à Leone X. 1515. ad Cæsarem Nuncius missus fuit; deindè 1517. ad Ducem Vrbini, ac eodem anno Kalendis Iulij creatus Presbyter Cardinali Tit. S. Bartholomęi in Insula, posteà S. Matthæi, postremò S. Marcelli. Diuerso tempore ornauit infulas Castri, Lanciani, Iaderæ, Sutrij, & Nepis, ac Patriæ Viterbij. Anno 1518. ab eodem Leone Legatus à Latere declaratus ad Carolum Cæsarem, aliósque Principes, vt eos sua mirabili eloquentia ad Bellum contrà Selymum Orientis Tirannum impelleret. Anno 1523. Protector Ordinis, ac Patriarcha Constantinopolitanus à Clemente VII. Destinatus aptatusquè, ait Iouius, ad summum Pontificatum, sed mors immatura abstulit Mundo virum omni laude, & imperio dignissimum. Obijt igitur, vt veridicè scribit Contelorius, die Martis 12. Nouembris circa horam decimam noctis antecedentis 1532. Ferè omnes Eruditi sui temporis, & subsequentis eum summis, & condignis præconijs exaltarunt, sed quià fusiùs, & distinctè de ipso scripsi in meis editis iam operibus, nempè in Floribus Poeticis Eremi Augustini pag. 71; & seq; ac in Purpuris pariter Augustinensibus Cardinale vigesimo secundo pag. 30; & seq; ideò nunc prætermitto. Ad eum Leo X. aliquas litteras scripsit, ut in Epist. Card. Bembi; sequens tamen breuis, & neruosa, placet, vt hìc legatur.

Leo X. Pont. Max. Maximiliano Romanorum Imperatori designato. *Ægidium Ordinis Augustinianorum Eremitarum Magistrum, meum ad te Legatum mitto, vt tecum non sanè pauca vtriusque nostrum ad munus, officium, dignitatem, Reiquepublicæ*

 Christia-

Christianæ vtilitatem magnopere spectantia communicet meis verbis, apud Teque sit, quoad illa tractabuntur, & terminabuntur. Is quoniam est eximia integritate, Religione, Doctrina, omniumque propè linguarum, quæ nunc quidem excoluntur, usum, atque scientiam, omnium bonarum artium disciplinas cognitas, & explicatas habet. Te hortor, vt eum liberaliter excipias, cùm mea, tum ipsius etiam causa. Hominem egregium, & tuæ clientelæ dignissimum cognosces. Datum Idibus Decembris Anno 3. Bononiæ.
Opera ab eodem Ægidio composita; quæ aspicere merui, sunt sequentia.

Historia viginti sæculorum per totidem Psalmos digest. ad Leonem X. Pont. Max. Duplicata habetur in Angelica Romana, atquè originaliter in Bibl. nostri Monasterij S. Ioannis ad Carbonariam Neapoli. Hoc opus idem est cum comm. in quosdam Psalmos ad Leonem X; quos plures Auctores de Ægidio loquentes aiunt scripsisse, ideò non distinguendum. Ab hac celebri Historia plurima excerpsit Andreas Victorellus, ac in suis adnot. ad Ciacconium inseruit, & loquens de Bonifacio Nono, qui Vrbem Romanam subiecit, scribit. *Certè Cardinalis Ægidius Ciacconij, & Platinæ sententiam munit, cuius verba non referrem, si erudita, & elegans eius Historia 20. Sæculorum Typis lucem aspexisset.* Corrigendus est locus eruditissimi Stephani Baluzij To. 2. Vitarum Auenionensium Paparum vbi scribit. *Et tamen Ægidius Cardinalis Viterbiensis in Oratione quadam, cuius Verba referuntur ab Andrea Victorello in Additionibus ad Ciacconium*; Quià non in quadam Oratione, sed in supranotata Historia hæc scribit Ægidius. Ex supradicta Historia hoc notabile repono. *Didicit Paulus Secundus, Humanum genus, tum præsertim Principes, id, quod supra ex Platone citauimus, nunquam impunè lædi Litteratos, quod quidem hominum genus, vt vetus adagium est, Fænum habet in cornu: Proinde Eruditos magis formidandos esse, quam armatos; Stylum, quàm gladios; Eloquium, quàm Exercitus; resisti his aliquando posse, illis nunquam; vulnera hos inferre honesta, temporalia, sanabilia; illos ignominiosa, æterna, insanabilia; eripere hos opes, agros, Vrbes; illos dignitatem, splendorem æternitatem. In vita Pauli II. pa. mihi 243.*

In primum Sententiarum ad mentem, ac Doctrinam Platonis fol. adest in Angelica, & in Carbonaria.

Eiusdem in Iragion, idest signa facta super Litteras Hebraicas fol. in Angelica tantùm.

Eiusdem in Librum Radicum Hebraicæ linguæ fol. ibidem.

De Ilicetana Familia, seu de Viris præclaris Congregationis Ilicetarum. Ibidem in 4. Istud Opus originaliter asseruabatur in Monasterij Ilicetani Archiuo, ac ipsius copia in Bibliotheca S. Martini Senarum, sed licet à me diligenter

genter quæsitum, adinuenire non potui. Vtinam Illustrissimus Ambrosius Landucius Sacrista, & Episcopus Porphyriensis, qui sæpiùs eum citat in sua Ilicetana Sylua, simul cum eadem prælo tradidisset; nam robur magnū dedisset plurimis suis assertionibus.

Variarum Epistolarum Libri octo. In Angelica. Hæ Epistolæ fuerunt collectæ à P. Magist. Seraphino Ferri à Castellina, Florentino, & maior pars ipsarum est Ægidij, aliæquè celeberrimorum Virorum ad ipsum. Dictas Epistolas ex Bibl. Carbonariæ transcribere voluerunt doctissimi Abbates Mabillon, & Germein Monaci S. Germani Parisiensis, & ad publicam lucem exponere in votis habebant, sed heu sub frigido prætextu impediti fuere. Has ego, vita comite, edere desidero, vt satisfaciam eloquenti, & erudito genio Illustrissimorum DD. Marcelli Seueroli Prælati Romani, Signaturæ Iustitiæ Decani; Francisci Mariæ Centurionis, & Augustini Mari Genuensium Patritiorum, quibus multum debeo.

Scholia Platonica Euangelio conformia 4. in Carbonaria: Scribit de hoc Libro P. M. Augustinus Rubeus iam excell. Principis Ioannis Andreæ Auriæ viuentis Magister, & à secretis in Indice M.S. apud me. *Est eiusdem Ægidij, vt opinor, nam nomen Auctoris non apparet, licet scriptio, & doctrina satis Ægidium ostendant.*

Philosophia ad mentem Platonis eiusdem. In Carbonaria 4.

Annotationes in tria priora capita Geneseos, & Librum Dialogorum composuisse Ægidium narrant Iouius, Ciacconius, & Oldoinus, sed vbinam asseruentur, non exprimunt.

De Ecclesiæ incremento ad Iulium II. commendauit opus Pontifex sic. *Iulius Papa II. Dilecto Filio Ægidio Viterbiensi ord. Fratrum Eremit. S. Augustini Priori Generali. Etsi ad benemerendum de vniuersi Religione, tum præcipuè de Augustiniana, cui tu praes, propensi magnoperè simus; Libellus tamen, quem de Ecclesiæ incremento edidisti, facit nos ad res vel tuas, vel tui Ordinis longè propensiores, &c.* Et famosissimus Ambrosius Calepinus, meæ Religionis splendor egregius, in principio sui Dictionarij exarauit. *Quis Librum de Ecclesiæ Incremento à te conscriptum, & diuina Pontificis Maximi voce laudatum non admiretur?*

Stanze, *ò sia Rime* eiusdem Ægidij pluries editæ, & vltimò in meis citatis floribus Genuæ editis apud Franchellum 1682. pag. 81; & seq. Celebrantur à Lilio Gregorio Giraldi, Ioanne Baptista Cinthio Ducis Ferrariæ Secretario, Georgio Gratiano, Ioanne Baptista Spadio Dominicano, Abbate Ferdinando Vghellio, ac Alexandro Ziliolo Veneto, expressè citatis in alio meo Opere. Ab antiquis tamen Accademicis Senen. adscriptæ fuerunt Ioanni Baptistæ Lapino, vt etiam innuit Eruditus Amicus Abbas Ioannes Marius Crescimbenius, sed immeritò, vt ex dictis Testibus, & pluribus rationibus ostendi ipsi Abbati: Ea propter in secundo Tomo edendo Ægidianas vocabit.

Oratio ad Lateranense Concilium, habita in Æde Lateranensi quinto nonas Maias 1512. Romæ apud S. Eustachium per Ioannem Beplim Alemanum eodem anno 4; ac in dicto Concilio præcisè 34. To. Editionis Regiæ Parisiensis. Aduertendum est, quod illa inserta à Torello in 7. To. Sæculorum Aug; & à Cornelio Curtio in Elogijs, non est integra, nec sincera Oratio Ægidij.

Opus prænotatum Secchina est in Bibl Regis Galliæ ex Oldoino in Romano Atheneo. Plura Carmina Latina aliquibus in Libris inueniuntur impressa, præcisè in meo citato Libro Ode in Ægidij Romani laude, ac vnum Epigramma, &c.

4. B. ÆGIDIVS COLVMNIVS. In Orbis emporio, & Imperij Ecclesiastici sede lucem aspexit, qui Vrbem, & Orbem clarificauit suis lucidissimis virtutibus, & splendidissimis voluminibus præclarissimus Doctor Ægidius. Ortus igitur est Anno Domini 1247. ex insigni Prosapia Columnia, quidquid obmurmuret aliquis non audiendus; Nam B. Iordanus Saxo testis quasi coæuus, & plures alij hanc difficultatem explodunt. Pueritiam, & infantiam transegit in sæculo egregiè educatus, vt eius conspicua qualitas exigebat. In adolescentiæ flore habitum Augustinensem induit in Cœnobio S. Mariæ de Populo Romano. Religiosus factus modestiam, puritatem cum grauitate, animique demissione ità coniunxit, vt nihil admirabilius. Transacto anno Probationis ferè illicò ad Parisiense Vniuersale studium, tunc præcipuè nominatissimum; perrexit. Et licet Torellus, ac alius noster dicant in Italia per aliquot tempus suum ingenium erudiuisse, tamen magis credendus est Guillelmus de Thoco Dominicanus, qui Ægidij tempore vixit; ait enim in vita D. Thomæ Aquinatis, per tresdecim annos ipsum fuisse eiusdē Angel. Doct; qui obijt 1274; auditorē, Anno 1280. edidit Hexameron, seù de operibus sex dierum, vt asseruit ipse ibidem cap. 36. Anno 1281. in Generali Congressu Patauino extitit Ægidius Deffinitor suæ Prouinciæ, cùm esset Baccalaureus Parisinus. Anno 1283. interfuit capitulo eiusdem Prouinciæ in Monasterio S. Oliuæ de Core, & per compromissum in ipsum factum, declarauit Prouincialem Iacobum Columnam Romanum S. T. Lectorem; nominatur in alio quoque capitulo 1284. dictæ Prouinciæ. Denuò 1285. Parisios petijt, ob aliquos Articulos explanandos, quos Sorbona desiderabat ipsum retractare, vt ex Bulla Honorij IV; quæ benè perpensa, expressè ostendit habere sensum diuersum, quàm Odoricus Raynaldus in Annalibus exposuit, Et fortè ad hos

alludens

alludens Ægidius, licèt de alijs loquatur, in secundo Sentent. parte 2. pag. 471. reposuit. *Nos ipsi tunc eramus Parisijs, & tamquam de re palpata testimonium perhibemus, quòd plures de illis Articulis transierunt, non consilio Magistrorum, sed capitositate quorumdam paucorum.* Adolescentis Principis Philipp-Pulchri, quarti postea Galliarum Regis Præceptor, & institutor euasit, cuius gratia celeberrimum Volumen *De Regimine Principum* composuit, ac eidem Principi dicauit, in quo omnis moralis Philosophiæ compendium fulgescit. Cùm Rex ipse Pulcher, Rhemis Sacris inunctus, Lutetiam Parisiorum accederet, ac Vniuersitas Oratione eum excipere deberet, vti nouis Regibus consuetum erat, cura demandata fuit nostro Ægidio, Paulo Emilio, qui eam diuulgauit, testante: Quæ Oratio, licet Iacobo Gretzero incompta visa fuerit, quià Tullianam eloquentiam non redolebat, nihilominùs summo cum plausu excepta refulsit, causaquè fuit institutionis Sacri Iustitiæ Tribunalis Parisiensi in Vrbe. Circa illud tempus cùm Guillelmus Lamarensis Oxoniensis Magister insurrexisset contrà Doctoris Angelici fulgentissimam doctrinam, vt eam obfuscaret, meus Ægidius ardentissimum suum ergà Aquinatem Magistrum amorem ostendens, extemplò se opposuit propositionibus ipsius Lamarensis verbo, & calamo; edidit enim *Correctorium corruptorij, seu defensorium D. Thomæ*, vnde statim splendores Solis Angelici meliùs apparuere. Aliqui scribunt edidisse etiam *D. Bonauenturæ Defensorium*, inter quos vltimus Ecclesiasticorum Scriptorum vberrimus Collector: verùm valdè suspicor, ne equiuocum sumpserint; nam antiqui Scriptores de nostro Ægidio pertractantes hoc non memorant, nec talis Libri vestigium vmquam obseruaui. Anno 1287. cùm iam Lauream Magistralem habuisset, & suggestum Theologicum eiusdem Doctoris Angelici iuremerito ascendisset Ægidius, in Capitulo Generali Florentiæ promulgatum fuit hoc Decretum, quòd excellenter auget ipsius gloriam, cum pro nullo alio viuente ab ulla Religione factum simile audiatur. *Quià venerabilis Magistri nostri Ægidij Doctrina Mundum vniuersum illustrat; Deffinimus, & mandamus inuiolabiliter obseruari, vt opiniones, positiones, & Sententias scriptas, & scribendas prædicti Magistri nostri, omnes Ordinis nostri Lectores, & Studentes recipiant, eisdem præbentes assensum, & eius Doctrinæ omni, qua poterunt, sollicitudine, vt, & ipsi illuminati, alios illuminare possint*

possint, sint seduli defensores. Alia etiam duo Decreta, signa non inferioris honoris, leguntur exarata in Ratisponensi Capitulo 1290. Iam fama nominis eius per Orbem celebris diffusa, Romę in memorato Monasterio S. Marię de Populo anno 1292. incredibili omnium Religiosorum lætitia electus in Ordinis Generalem Priorem apparuit, quem benignè, prudenter, & suauiter gubernauit. Anno 1293. ad instantiam Generalis Ægidij Rex Philippus, accedente consensu Simeonis Episcopi Parisiensis, donauit Ordini magnum Parisinum Cęnobium, anteà Fratrum Saccitarum. Excitati deinde motus varij ob Summi Pontificatus renunciationem à Cælestino V. viro pijssimo factam. Noster Ægidius, licet dicto Cælestino charissimus, hos vt compesceret, Librum celebrem *De renunciatione Papæ* diuulgauit, qui vltra plures admiratores, etiam ipsi Bonifacio VIII.ità gratus fuit, vt hanc ob causam eum ad Primatialem Aquitaniæ Cathedram, nempè ad Archiepiscopatum Bituricensem euexerit. Antequam ad residentiam accederet, ad Capitulum Generale Senis celebrandum adiuit; ibique, etsi Generalatus, & Infularis dignitate fulgens, vni Theologicæ Conclusioni assistentiam præbuit, vt Regens. Instante posteà Bonifacio VIII. composuit Tractatum breuem *De conuersione Tartarorum*, qui plurimùm adiuuit Missionarios tunc primitus illas in Regiones missos. Alio etiam Libro edito Conuersionem Regni Armeniæ procurauit. Cardinalium S. R. E. cætui adscriptus asseritur, sed Bonifacio mortuo, veluti alter dilectus requieuit super pectus eius, & diuulgatus non extitit. Qua de re eruditè scripserunt Illustrissimus Donius Episcopus Eduensis, & Victorellus. Vitæ eius Sanctitas eluxit, vt testatur B. Iordanus, inter alia, cùm quædam mulier graui morbo vexata ad eum tamquam Pontificali gloria coronatū accessisset, remedium petens infirmitatis, ad hæc B. Ægidij verba: *Vade bona Mulier, fiat tibi secundùm fidem tuam*, statim pristinam valetudinem recuperauit; sed id non mirum; nam omnia possibilia sunt credenti. Adfuit Viennensi Generali Concilio sub Clemente V; in quo Templariorum Equitum Ordine suppresso, Cęnobium, quod ipsi in Bituricensi Ciuitate possidebant, pro nostra Religione obtinuit, illudquè posteà perpulchrè exornauit. Prouinciale Concilium celebrauit sua in Bituricensi sede anno 1315. post Beatissimæ Mariæ Virginis Natiuitatem, non sine summa spirituali vtilitate Cleri, & Populi.

Habuit

Habuit Alumnos celeberrimos, inter quos enumerandi sunt B. Albertus Patauinus, tunc Princeps Concionatorum, B. Angelus de Furcio Neapolitanus, Alexander de S. Elpidio, Ordinis Generalis, ac Infulatus, & insignis Doctor Gerardus Senensis eius indiuisibilis sequax. Aliqui aiunt etiam fuisse Discipulum Ægidij B. Iacobum Capoccium Viterbiensem Patritium, Doctorem speculatiuum Archiepiscopum Neapolitanum, sed profectò Condiscipulus, non Discipulus fuit vt clarè ostendo in ipsius vita. Noster eximius Doctor Ægidi'us, licet extrà ordinem foret dignitate ornatus, summo tamen amore Religionem suam prosecutus est, quod in propriæ vitæ extremo etiam palam apparuit; Nam Capellam suam, vt vulgo dicitur, idest ornamenta ad Diuinum cultum spectantia, Conuentuì nostro Romano tunc S. Tryphonis titulo gaudenti, nunc verò S. Augustini, legauit, ac quædā alia Monasterio Bituricensi. Libros porrò omnes, cum corpore suo, magno Parisiensi Cęnobio reliquit, expresè per hoc testificans, se fuisse Almæ illius Vniuersitatis sincerum Alumnum, pro vt in sermone ibidem habito perorauerat, dicens. *Est, qui me nutrit, & qui nutritur alumnus.* Declarans quomodo fuisset ipse ab illa nutritus, & tandem doctrinæ eam suæ pabulo nutriret. Ad superos euolauit anno ætatis suæ 69. tempore Ioannis XXII. Auenione die 22. Decembris 1316; ac in vigilia Natiuitatis Domini ibidem in nostra Ecclesia tumulatus. Translatum posteà fuit Corpus Parisios, vt ipse ordinauerat, ac in Templo magni Conuentus repositum cum hoc Epitaphio.

Hic iacet Aula morum, vitæ munditia, Archiphilosophiæ Aristotelis perspicacissimus Commentator, clauis, & Doctor Theologiæ, Lux in lucem reducens dubia, Fr. Ægidius de Roma, Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini, Archiepiscopus Bituricensis, qui obijt anno Domini 1316. die 22. mensis Decembris.

Eius præclarissima gloria est, quòd tam miraculis, quàm sanctis operibus, exemplarique vita tantum apud homines nomen comparauerit, vt à Scriptoribus titulo Beati passim decoretur, eiusque effigies radijs coronata etiam antiquitus conspiciatur. Sapientia ita eminuit, vt nomen Doctoris Fundatissimi à Sorbona, & Eruditis iustè adeptus sit. Fundamenta enim doctrinæ suæ semper iecit irrefragabilia. In quæstionibus enodandis fuit amplissimus, rerum exquisitor diligentissimus, atque nihil ad quæstionem propositam intentatum, aut mi-

nùs

nùs declaratum reliquit. Et quod de facto rarum, & mirabile est, in tanta Scriptorum multitudine, ob inalterabilia fundamenta, & incredibilis memoriæ donum in nullo vnquam sibi ipsi est aduersatus, nihilquè reprehensione, aut retractaione dignum, si benè intelligatur, & reverà sint ipsius Opea, pronuncia uerit. Ita etiam clarus in dicendo, & in rebus enucleandis, vt omnis humanæ, & Diuinæ Sapientiæ ex omnibus Doctoribus Scholasticis solus arcana dilucidasse videatur. Innumera sunt, quæ dictauit, scripsit, & diuulgauit, vt, si omnia in vno corpore extarent impressa, quæ inueniri possunt, plus quam vigintiquatuor Tomos in folio replerent. Fundatè ergo de Fundatissimo Doctore locutus est Marcus Antonius Sabellicus lib. 9. Æнnead. 7. proferens: *Nam Ægidio post Aurelium Augustinum, nec plura quisquam in Diuinis scripsit, nec acuratiùs.* Eum quoque consimilem iudico sapientissimo Salomoni, qui si super lignis à Cedro, quæ est in Libano, vsque ad hyssopum, quæ egreditur de pariete, disputauit; Noster Doctor ab altissimis, & cœlestibus misterijs Diuinæ Theologiæ, & Scripturæ Sacræ, descendit vsque ad infimam hyssopum vulgaris Poesis, quia Commentarium Italicè composuit super cantionem insignis Poetæ Guidi Caualcantis Florentini. Plures laudatores Beati, Fundatissimique Doctoris recenset Magister insignis Gauardi in Præfatione sui primi To: Theologiæ Augustino-Ægidianæ, alijque diuersi exposui in Purpuris Augustinianis à me editis Genuæ 1690. Cardinale octauo pag. 11; inter ipsos quoque enumerandi sunt Guillelmus de Nangis Monachus S. Dionysij in Chron. ad ann. 1295. pag. mihi 591; & Continuator ipsius ad 1305; dicens prouectum, seù perfectum Theologum To. 11. Dacherij, Guillelmus de Thoco in vita S. Thomæ Aquinatis To. p. Martij Operum Bollandi, Paulus Æmilius de Gestis Francorum, Abbas Baluzius in Vitis Paparum Auenionensium, mei Guillelmus Farinonius Vicentinus in Controuersijs, Illustrissimus Nicolaus Oliua Cortonensis Episcopus in M. S. Theologicis Bibliotecæ Senarum, ac super alios B. Iacobus Capoccius Viterbiensis, Archiepiscopus Beneuentanus, in Abbreuiatione primi Sententiarum eiusdem Ægidij in Carbonaria Neapolis, Gregoriusque Ariminensis in primo Sentent. dist. 2. quest. 1. art. 2. ipsum nominans Doctorem solemnem, & Thomas de Argentina 3. sent. dist. 40. art. 3. pag. mihi 54. eum vocans

Lumina-

Luminare maius nostri Ordinis. Qui expresse de B. Ægidio scripserunt à me obseruati, ex meis Augustinianis fuere B. Iordanus Saxo in Vitis Fratrum, Ambrosius Coranus in Chronicis, Iacobus Philippus Forestus in Supplemento Chron.Orbis Lib. 13; Vener. Alphonsus ab Oroscopariter in Chron.Ord.Lingua Hispanica, Iosephus Pamphilus Episcopus Signinus, etiam in Chron; Angelus Roccha Sacrista in Bibl:Theologica, & in primo To. secundi sent: Ægidij, Paulus Ciera Venetus Episcopus Vestanus in principio sui primi sent; Crusenius in Monastico Aug; Curtius in Elogijs, vbi reponit veram effigiem eiusdem Ægidij, Herrera in Alphabeto, & in responsione pacifica: Ioannes Neuius in floribus honoris, & sanctitatis Ordinis, Thomas Gratianus in Anastasi, Philippus Elssius in Encomiastico, ac vltimò Torellus in Centurijs, & in To.5. sæculorum Augustinensium. Externi verò Scriptores etiam à me visi sunt sequentes: Abbas Trithemius, Card. Bellarminus, Philippus Labbè, Episcopus Miræus, & vltimò Guillelmus Caue Anglus, omnes suis in Operibus de Scriptoribus Ecclesiasticis, Sixtus Senensis in Bibliotheca Sancta, Antonius Posseuinus in 1.To.Apparatus Sacri, Ioannes Chenu in Chron.Hist.Arch.Bitur; Claudius Robertus in Gallia Christ; Ludouicus Donius de Atichij Episcopus Eduensis in Flor.Hist. S.R.E. Cardinalium, Andreas Victorellus in addit. ad Ciaconium in vita Bonifac. VIII; Abraham Bzouius, Raynaldus, & Spondanus in Ecclesiast. Annalibus, Conradus Gesnerus in Bibliotheca Vniuersali, Petrus de Alua in Biblioth. Virginali, Hyppolitus Maraccius in Bibl;& in principio Polyantheæ Marianæ, Abbas Ferdinandus Vghellus in Lib. S.R.E. Cardinaliũ Columniensis familiæ nobilissimæ Card.7.Abbas Dominicus de Sanctis Lib.Columniensium Procerum Imagines Card.7; ac postremò amici mei eruditi Augustinus Oldoinus in Athenæo Romano, Illustrissimus Eques Prosper Mandosius in Centurijs Rom.Scrip.To.1; & Abbas Io.Marius Crescimbenius nobilis Maceratensis in Hist.Vulgaris Poesis. Antequam ad Operum Ægidianorum Catalogum texendum accedam, quem copiosum, & exactum, si vnquam alius,euulgare curabo, quatuor nostros, & quatuor extraneos Doctorem Fundatissimum celebrantes,exponere volo.Principalis itaque sit primus rerum Augustinensium Scriptor, & illustrator B.Henricus de Vrimaria Alemanus in tractatu de Origine Ordinis: *Sextus Generalis,*

lis, nempè poſt magnam vnionem, *fuit Venerabilis Pater, & Dominus Ægidius de Roma, Archiepiſcopus Bituricenſis, S.Theologiæ profeſſor, & Doctor eximius, qui ſuis ſcriptis Dei Eccleſiam irrigauit, & claritate ſuæ doctrinę mentes volentium proficere illuſtrauit*. Secundus Ioannes Schiphouuerus de Meppis in Chronicis Archicomitum Oldemburgenſium Tom.2.Script.rerum Germanicarum Meibomij pag.146; & 47. *Eo tempore claruerunt quatuor Doctores illuminatiſſimi Ord.Fratrum Erem.D.Patris Auguſtini. Primus fuit Ægidius Romanus de Regione Columnæ de parentela Archicomitum Oldenburgenſium. Is fuit primò Prior Generalis Ordinis noſtri, & Archiepiſcopus Bituricenſis, nec non Primas Aquitaniæ, qui ob ingenij magnitudinem Theologorum Princeps appellatus eſt, quod quidem conijci poteſt, ſi à curioſo lectore eius volumina perſpiciantur. Hic ex illuſtri Columnienſium Romanorum familia natus, cum longo tempore Ordinem ſuum omnemque Eccleſiam illuſtraſſet, plurimoque labore præceptoris ſui Thomæ Aquinatis apud Pariſios defenſaſſet, tandem miraculis clarus bono fine quieuit. Quo Sanctitatis meritò Beatus Doctor appellatus eſt, &c.* Tertius Eminentiſſimus Ægidius Caniſius Cardinalis Viterbienſis in fine Octaui à ſe conſiderati ſæculi pag. 100. à tergo Hiſt.20.ſæculorum Codicis Originalis Carbonariæ Neapolis: *Erat Cæleſtino V. in primis familiaris Ægidius Romanus, & ipſe Eremitarum Religionis ornamentum, & decus, qui ſanctiſsimis moribus exactiſsimam eruditionem coniunxit, cuius quidem ſcripta qui legunt, ſapientiæ, copiæ, doctrinæ magnitudinem ſimul, ac ſuauitatem admirati, nihil illo vberius, doctius, abſolutius, dilucidiuſque eſſe intelligunt*. Quartus Magiſter Iulianus Brigantinus Etruſcus, qui obijt 1551. in Dedicatoria Hexameron Ægidij, ab ipſo primò editi, ait: *Ægidius noſter omnia ventilauit, & excuſſit, nihil eſt, quod non tetigerit, nihil, quod non abſoluerit. Si eruditi memoria repetant conditionem illorum temporum, neminem inuenient in eloquendo, & differendo, vt cenſuit Ioannes Picus Mirandulanus, Ægidio politiorem*. Primus exterorum fit Monachus S.Sulpitij Bituricenſis, quem quidam Benedictum Vernier fuiſſe dictum ſuſpicantur, qui floruit anno 1536. in ſuo Bituricenſi Patriarchio pag.121; 122; & 123. de Ægidio plurima coacervat. Hic liber editus eſt in principio 2.To.Bibl. Manuſcriptorum Labbè Pariſijs apud Cramoiſij 1657. Fol. *Septuageſimusquintus præfuit Sanctus Ægidius de Roma vir certè omnium virtutum conſcientia, & fama iuxtà Beatus, qui etiam diuino eloquio, & ſa-*

pientia incomparabiliter enitescens, multa suę posteritati profutura scripta reliquit &c. Hunc itaque doctissimum Præsulem, Doctorem Clarissimum, propter eruditionem, & eloquentiam, vitæ quoque sanctimoniam oportet omnibus studiosis esse commendatissimum &c. verùm vt ad Sanctissimum Patriarcham Ægidium reuertamur &c. Sedit annis decem, & nouem mensibus duobus ab anno 1296; vsquè ad 1315. Hic Auctor tamen tripliciter defecit in Chronologia, quod vt clariùs pateat, sequens demonstrabit, quem hac de causa reposui in secundo loco, licet Ægidij coætaneus fuerit. Bernardus Guidonis, Inquisitor in Francia Dominicanus, Episcopus Lodouensis in Catalogo Episcoporum Lemouicensium relatus à Baluzio vbi supra pag.742. *narrat, quod Reginaldus de la Porta à Ioanne XXII. declaratus fuit Archiepiscopus Bituricensis in vigilia Circumcisionis pridie Kal. Ianuarij, scilicet octauo die à sepultura prædecessoris sui Domini Fratris Ægidij, qui in Vigilia Natiuitatis Dominicæ in Auenione in Ecclesia Fratrum S. Augustini extiterat tumulatus anno Domini* 1316. *iam tunc completo*. Tertius denique alter Dominicanus insignis appareat, Alphonsus nempe Ciacconius To. 1. Vit. Pont. Rom. Anno 1287. pag. mihi 780. *Honorius IV. Sabellus Summus Pontifex Eremitarum S. Augustini Ordini S. Triphonis Ædem Romæ concessit, & vt eius Fratres in Gymnasio Parisiensi publicè profiteri, & Theologiæ Doctores creare possent: Quare omnium suffragijs primus in eo Ordine Sacras Magistrales Infulas sumpsit Ægidius Romanus, postea ipsius Ordinis Generalis Magister, demum Archiepiscopus Bisuntinus* (Bituricensis scribendum) *creatus. Is S. Thomæ Aquinatis adiutor fuit, diuinarum, humanarumque literarum studijs omnium Literatorum sui temporis Princeps: Scripsit multa Opuscula, & præter excussa, nonnulla in Augustiniani Ordinis Bibliothecis extant.* Auctor Addit. ad Speculum Historiale Vincentij Belluacensis Lib. 31; qui, vt constat ex capite 84; fuit Arthamannus Schedel Nurembergensis Doctor, quique florebat 1480. scribit cap. 19. pag. mihi 466. à tergo. *Ægidius Romanus Ord. Herem. Generalis Prior, & Bituricensis Archip; ac Primas Aquitaniæ declaratus, his temporibus ob ingenij magnitudinem Theologorū princeps appellatus est, quod quidem conijci potest, si à curioso Lectore eius volumina perspiciantur. Hic namque ex illustri Columniensium Romanorum familia natus, cum longo tempore Ordinem suum, omnemque Ecclesiam doctrina, & moribus illustrasset, plurimoque labore præceptoris sui Thomæ Aquinatis opera apud Parisios defensasset, tan-*

 dem

dem miraculis clarus beato fine quieuit. Quo sanctitatis merito Beatus Doctor appellatus est. Pluraque edidit librorum volumina; Super Libros Sent. Compendium Theologiæ &c. Adiectum Anagramma est Ianuarij Grossi I.C.Neapolitani, & Disticon in laudem Operum Ægidij cuiusdam nostri Religiosi Flandrensis.

Ob Defensorium editum pro D.Thoma Aquinate.

MAGISTER FRATER ÆGIDIVS COLVMNA Cardinalis.

Anagramma purum.

Is mira, cara agit, Sol rarus, defendit Angelicum.
B.Ægidius Columna Cardinalis.
Lucida non mirum Mundo te prodere scripta,
Cum nitido stillent sydere scripta tua.

Opera impressa B. Ægidij Columnæ.

1. In tres Libros Rhetoricorum Aristotelis. Venetijs apud Georgium Arriuabenium 1515. Fol. Baldassar Dardanus ad Patritium Venetum Danielem Rainerum scribens, ait: *Ægidius ita Philophi præcepta Rhetorices lectitauit, ita vniuersas difficultates, quas, vel paucissimi explicare potuerunt, medulitùs reserauit, vt nullius ingenuæ disciplinæ scientiam ei defuisse credam.*

2. In artem veterem, videlicet de vniuersalibus, Prędicamentis: Postprædicamentis, sex Principijs Gilberti Porretani, & Perhiermenias. Venetijs apud Simonem Luere 1507. Fol. Ibidē 1582. per Hieronymum Scotum Fol. Deinde Berg. Typis Venturæ 1591. 4. industria Augustini Panizzoni Lectoris Cong. Lombardiæ.

3. Commentaria in Libros Priorum Analycticorum Aristotelis. Venetijs per Luere 1499. Fol. reuisa per Magistrum Hieronymū Genezanensem Augustinianum. Demum Venetijs Typis Lucæ Antonij de Giunta Florentini per S.T. Magistrū Augustinū Mōtisfalconium Augustinianū 1522. Fol.

4. In Libros Posteriorum. Venetijs 1488; & 1495. per Locatellum Fol; ac 1513. per Arriuabenium, & 1530. apud Hęredes Scoti Fol. Opus dicatum Nobilissimo viro D. Stephano Maulei ex Anglorum Prosapia, cuius causa aliqua Monasteria Ordinis in dicto Regno extructa fuere.

5. Expositio in Libros Elenchorum, addita quæstione de medio Demonstrationis, ex Ægidio collecta ab Augustino de Meschiatis de Bugella Pedemontano affine Cardinalis Vercellensis, & ipsi dicata. Venetijs per Bonetum Locatellū 1499. Fol. & 1530. per Simonem Leere. Fol.

6. In

6. In octo Libros Physicorum Expositio impressa in Almo Gymnasio Patauino per Hieronymum Durantem impr. accurat. 1493. Fol. industria Ægidij Viterbiensis, postea Card. Ipse tamen in Præfatione hæc scribit. *Commentaria, quæ de Physico auditu Ægidius noster edidit, magister Bernardus Granellus Ianuensis, vir doctrina, & facundia sanè clarissimus, cognoscenda, corrigendaque sumpserat, verùm vt ad quarti Libri calcem deuenit, eum ab opere grauiora negotia reuocarunt*. Iterum Venetijs per Locatellum 1502. Fol. studio Magistri Augustini Fiuizanensis Senioris.

7. De bona Fortuna, ac de morte, & vita. Venetijs expensis Octauiani Scoti 1496. Fol; ac denuò 1551. Fol. per Hæredes dicti Scoti.

8. Super Textus Aristotelis de Generatione, & Corruptione, ac etiam Quæstiones 26. super eumdem librum. Venetijs 1498. per Luere Fol. Posteà apud Hæredes Scoti 1520. denuò 1567. correctæ per Magistrum Paulum de Sclauis Genezanesem August. Fol.

9. Expositio subtilissima super tres Libros de Anima ad Iacobum Gagetanum nobilem Romanum, *non ad Eduardum Regem Angliæ, vt inquit Guillelmus Caue*. Papiæ per D. Christophorũ de Canibus rogatu Hieronymi de Durantibus 1496. Fol; & Venetijs per Luere 1500. Fol.

10. Tractatus de Gradibus formarum, Quæstiones duæ de materia Cæli, & vnica de intellectus possibilis pluralitate: Paduę 1493. per Hieronymum de Durantibus Fol. Venetijs per Luere 1500. Fol; & 1502. castigatæ per Ægidium Viterbiensem, & duæ vltimæ etiã 1552. Fol.

11. Quæstiones Aureæ Metaphysicales, additis explicationibus locorum Ægidij contradictionis imaginem conferentium, à Mag. Iacobo Senensi Aug. Venetijs apud H. Scoti 1552. Fol; ac primùm ibidem per Petrum de Parenghis dicatæ Reuerendissimo Gratiano Venturæ Fulginati Vic. Gen. Apostolico à M. Io: Bap. Tolentinate 1499. Fol.

13. De Formatione corporis humani Opus insigne, editum à Magistro Io: Benedicto Munceto de Castilione Aretino Vic. Gen. Franciæ, & Angliæ Parisijs 1515. 4; ac Venetijs 1528. 8. per Iacobum Pencium de Leuco, procurante Mag. Augustino Montefalconio, qui in dedic. hæc scribit. *Ægidius Romanus Columna, acumine Ingenij, profunditate doctrinæ, & copia dicendi, pace omnium dico, cæteros antecellit*. Vltimò Arimini per Simbenium 1626. 4. promouète Magistro Angelo Vãtio Augustiniano.

13. De regimine Principum Libri tres Romæ, per Stephanum Planck de Patauia 1482. die 9. mensis Maij Fol. Venetijs per Simonem Beuilacquam Papiensem 1498. Fol. Itidem per Bernardinũ Vercellensem 1502. Fol. Posteà Romæ apud Antonium Bladum 1556. 8. Ac ibidem 1607. 8. per Zannetum, recognitione Magistri Hieronymi Samaritani Senensis Augustiniani.

14. Super Auctorem de causis, nempè Alpharabium, Opera

P. Ma-

P.Magistri Ægidij Bonsij Patritij Florentini Aug. Venetijs apud Iacobum Zoppinum 1550. 4. Hoc Opus ab Ægidio Columna dicatū fuit Benedicto Cardinali Caietano, qui fuit posteà Bonifacius, VIII. Pont. Maximus.

15. Primus sententiarum Ægidij editus est Venetijs à Reuerendissimo S.T.Professore Anselmo de Montefalcone OrdinisGener. apud Peregrinum de Pasqualibus de Bononia 1492.14. Aprilis Fol. Posteà expēsis Scoti 1521. emendatus à M. Augustino de Montefalcone; Vltimò Cordubæ promotione P.M. adhuc non visus.

16. In secundum sententiarum eiusdem, Venetijs per Lucam Venetum Dominici Filium Fol. Opus ab eodem Ægidio tunc Archiepisc. Bituricensi dicatum fuit Roberto vtriusque Siciliæ Regi. Iacobus Grassolarius Venetus in Epist. ad Franciscum de Pallerijs V.I.Doctorem, scribit. *Totius vitæ Ægidij seriem, morumque Sanctitatem prædicet illa præclara Columniensium Domus, ex qua Vir Summus, de quo nunc agitur, & tot o iam Orbe celebris, duxit originem*. Deindè Venetijs illustratus ab Illustrissimo Angelo Roccha, posteà Pontif. Sacr; & Episc. Tagastensi (In qua Editione inconsultò ablata fuit Epistola dedicatoria) apud Franciscum Zillettum 1581. Fol.

17. Eiusdem pars secunda simul cum prima, sed Tomus separatus.

18. Eiusdem in Tertium sententiarum labore Reuerendissimi Fulgentij Gallucij Georginatis Gen. Ord; ac posteà Sacr; & Episc. Tagastensis. Romæ apud Alexandrum Zannettum 1623. Fol.

19. Quodlibeta sex fertilissima eiusdem quinque impressiones habuere. Primam Bononiæ 1481. Fol. per Dominicum de Lapis industria Fratris Simeonis de Vngaria Ord. Nostri. Secundam Venetijs 1496. diligentia Magistri Iacobi Baptistę Alouisiani Rauennatis. Tertiam ibidem per Luere 1502. Fol. Quartam 1504. ibidem per Locatellum emendatā à Laurentio Amolino Rodigino. Quintam studio Magistri Petri Damasi de Coninch Augustiniani: Louanij Typis Hieron. Nēpæi 1648. Fol.

20. Defensorium, seù correctorium Fundatissimi Doctoris D. Ægidij &c. in corruptorium Librorum S. Thomæ Aquinatis à quodam Æmulo deprauatorum, Venetijs 1501. per Luerè Fol. Posteà 1516. apud Hęr. Scoti Fol. dicatum Reuerendissimo Ægidio Viterbiensi ab Augustino Montefalconio. Coloniæ 1624. 8. promouente Illustrissimo Episcopo Ascalonense mei Ord; & Vic. Gen. Coloniensis Archiepiscopi M. Henrico Vultero à Streuuesdorf. Vltimò à Patribus Carmelitis Excalceatis Neapoli apud Franciscum de Thoma 1654. 4. Hoc Opus verè Ægidianum est, licèt super eamdem materiam scripserit Ioannes Parisiensis: Nam præter quamquòd in ipso stylus, & doctrina Ægidij apparent, & non obscurè colligitur ex Guillelmo de Thoco in Vita S. Thomæ asserente ipsum derisisse insufficien-

tiam

tiam correptorum: Testantur quoque plurimi Viri Eruditi, inter quos non infimum locum tenet meus Iacobus Baptista Alouisianus à Sabellico commendatus in Dedicatoria Quodlibet. Ægidij Reuerendissimo Gratiano Fulginati sequentia reponens. *Ægidius Illustri Columniensi sanguine ortus in nostra Familia Censor optimè se se vltroneus immiscuit. Adeò virtuti, & summis disciplinis addictus, vt paulò post primario gradu, post Augustinum inquam, insignitus fuerit &c. Nouit, & Prædicatoria Academia, quantũ ingenio valuit, qui eorũ, qui D. Thomã taxabãt, vt dilucidè per eumdẽ correptorũ, quod satiùs Defensorium dicam (bis diebus in lucem missum) accerrimè extitit refractarius. Nouerunt, & Parisijs, vbi felicissimè vixit, & sanctissimè obijt &c.*

21. Elucubrationes in quatuor Libros sententiarum, cum Annotationibus B. Henrici de Vrimaria. Coloniæ, ac etiam Basileæ 1497. Fol.

22. Quæstiones 13. de Esse, & Essentia. De Cognitione Angelorum quæst. 14. De mensura Angelorum quæst. 10; & de subiecto Theologiæ Venetijs 1503; & 1504. per Locatellum, & per Luere. Fol.

22. Questiones septem De Resurrectione mortuorum, De gradibus Formarum in ordine ad Christi opera q. 1. De intentionibus in medio q. 1. De differentia Ethicæ, Politicæ, & Rethoricæ: Omnia hæc cum aliquibus alijs Opusculis in To. sequenti notatis Neapoli per Antonium de Frisis de Corinaldo 1525. 4. industria S.T. Baccal. Hærennij Marathoni Aug Neapolitani.

24. Commentaria in Epistolas D. Pauli ad Romanos; Comm. in Cantica Canticorum; In capite *Firmiter* de Sum. Trinitate, & de Fide Catholica. In cap. *Cùm Martha* de Celebrat. Missarum: Explanatio in Orationem Dominicam. In Salutationem Angelicam: Tractatus de Corpore Christi: Tractatus de distinctione Articulorum fidei: Tractatus de Arca Noe; Liber de Renunciatione Papæ: Tractatus de Charactere: Determinatio quomodo Reges circa bona ad coronam pertinentia possint liberalitatis Opera exercere. Liber contra exemptos: Tractatus de Diuina influentia in Beatos: De laudibus Diuinæ Sapientiæ: De Deuiatione malorum culpæ à Verbo: De Prædestinatione, Præscientia, Paradiso, & Inferno: Tractatus de Peccato Originali, Theoremata quinquaginta de Corpore Christi: Hexameron, seù de mundo sex diebus condito; industria, & correctione Reuerendissimi Christophori Patauini, Magistrorum Augustini de Monte Ilcinio, Fabiani Clauarij Patritij Genuensis, & Iosephi Pamphili Veronensis. Omnia hæc simul in vno Tomo magno Romæ apud Antonium Bladum 1555. Fol.

25. Oratio in Coronatione Regis Francorũ; eam exponũt Paulus Æmilius citatus initio lib. 8. Illustriss. Donius, Curtius in Elogijs, Torellus in sæculis, ac lingua Italica Marcus Guazzus à Casali in sua Historia Chronologica, qui etiam ibidem scribit,

quod

quod Ægidius Beatus Doctor vocatur.

26. De Erroribus Philosophorũ, citatur à Dionysio Carthusiano in Epist. ad Galatas cap. 2; Venetijs in fine secundi Sententiarum 1581. Fol. de quo infra.

27. L'Espositione del Maestro Egidio Colonna Romano degl'Eremitani, sopra la Canzone di Guido CaualcantiFiorentino,&c. Data in luce da Celso Cittadini Accademico Sanese. Senis apud Siluestrum Marchetti 1628. 8.

28. Capitula Fidei Christianæ quæ Bonifacius Papa VIII. misit ad Tartarum Christi Sanctissimam Legem amplecti volentem: Ac Expositio, & quæst. in Lib. de Interpret. ex quodam Indice conijcio impressa, sed non vidi.

29. Aurea Theoremata vigintiduo de Esse, & Essentia diuersa à quæstionibus eiusdem, simul cum Tractatu de Genere, & Specie B. Augustini Triumphi de Ancona Fr. Augustinus de Fulgineo S. T. Bacc. edidit Bononiæ apud Iustinianum de Ruberia 1522. 4. Theoremata de Sacramento Altaris primò fuerunt excussa industria Lectoris Fratris Simeonis de Vngaria, & Magistri Ioannis de Ripis S. Iacobi Bononiæ Prioris. Bononiæ apud Balthasarem de Ruberia 1481. Fol. Hexameron primitùs edidit Magister Iulianus Brigantinus Collensis Pataulj 1549. 4. De Peccato Originali etiam Oxonij 1479. 4. De Laudibus Diuinæ Sapientiæ Pataulj 1553. 4.

30. Compendium Theologicæ Veritatis in septem Libros digestum pluribus Auctoribus tribuitur. Seraphinus Capponi à Porrecta Dominicanus adscribit Alberto Magno, & adducit duas Editiones in fauorem ipsius sæculo Impressionis inuentæ, Vidi tamen plures alias Impressiones, quę in Epistola ad Lectorem Auctores faciunt D. Thomam, D. Bonauenturam, Petrum de Tarantasia, Alexandrum de Ales, & meum *B. Ægidium*. Difficile est in tanta varietate veritatem elicere. Ait Posseuinus, se vidisse vnum in Bibliotheca Achillis Statij Romæ M. S. sub nomine de Ales; ipse tamen, vt puto non vidit, sed hoc ad verbum desumpsit ex meo Pamphilo, quod exprimere debebat. Cogor tamen dicere plures rationes militare in fauorem Ægidij, quàm aliorum. Mei Reuerendissimus Ambrosius Coranus Generalis, & Iacobus Philippus Bergomas, qui vixerunt in principio Artis Impressoriæ, Auctorem asserunt Ægidium, & est illudmet, quod aspicitur impressum, incipit enim: *Veritatis Theologicæ sublimitas*. Eos secutus est Abbas Trithemius de Scriptoribus Ecclesiasticis, vbi de Ægidio. In nostra Neapolitana S. Augustini adest impressum sine nomine Auctoris, Venetijs 1500. per M. Petrum de Parenghis, & ibi manu antiqua apparet. *D. Ægidij Romani Ord. Eremit*; & etiam manu moderna in fine, quæ putatur sapientissimi Magistri Fulgentij de Iudice, in Doctrina Ægidiana versatissimi. Meus quoque Ioannes Paltz Saxo in suo Supplemento Cœli Fodinæ impr. 1510. Lipsiæ in 4. cap. de Conuersione Peccatoris scribit. *Magister in Compen-*

dio

dio Veritatis Theologicæ, qui, ut habetur in Catalogo Scriptorum, fuit D. Ægidius de Roma Doctor Ordinis nostri, & secundùm alios Hugo Card. Ord. Præd. Sed quod principale est, asseruatur M. S. in Vaticana sub nomine Ægidij: In Patauina nostra antiquum in memb. in 4; ac etiam S. Georgij in Alga Venetiarum, titulo Ægidij, vt videre est apud Thomasinum Libro edito 1639. 4. nempè Indice Manuscrip. Bibl. Patauij, & Venetiarum.

Opera B. Ægidij M. S. in Vaticana.

1. Super Epistolas ad Corinthios lib. 2. citatur ab ipso in secundo sent. dist. 9. q. 7. art. 2.

2. Super Libros Ethicorum, & Compendium Theologiæ supranominatum.

3. De Incarnatione Verbi opus, quod existimo idem, ac illud impressum in 3. sent.

4. Quæstiones variæ de Physica.

5. Quæst. An sit dare gradus in formis accidentalibus suppositis gradibus in formis substantialibus? Quomodo infinitas se habeat ad Deum?

6. De ideis, & formis. Num generis, differentiæ, speciei, & indiuidui sit tantū vna forma idealis in Deo?

7. Vtrùm materia transmutabilis recipiat omnes formas substantiales receptas in ea per eamdem potentiam passiuam? Vtrùm materia transmutabilis secundùm aliquam vim aliam à potentia passiua recipiat formam? Vtrùm plures formæ substantiales possint esse in eodem? Vtrùm in aliquo Indiuiduo composito possibile sit plures formas substantiales simplices, seu formas partis esse? Vtrùm in Elementis, & in mixtis inanimatis sint plures formæ substantiales? Vtrùm in animatis, vel animalibus præcipuè sit aliqua forma distincta ab Anima? Vtrùm in homine Vegetatiuū, Sensitiuū, & Intellectiuum sint tria secundùm substantiam, & virtutem, vel tantùm tria secundùm virtutem, radicata in vna substantia Animæ? Vtrùm Christus assumpserit humanam naturam sine propria Hypostasi, & supposito eiusdem naturæ? Vel si potuit aliquam naturam assumere sine propria Hypostasi? Vtrùm ponere in natura humana assumpta à Christo tantùm vnam formam sit ponere repugnans Fidei?

8. Alia fragmenta, videlicet. Vtrùm Regnum vel Ciuitatem sit melius regi optimo Rege, vel optima lege? Quomodò se habeat crealitas ad nobilitatem morum? Sermo in illud Prouerbiorum. Si sapientiam inuocas &c.

In Bibliotheca Angelica Aug. Romæ.

9. In Libros quatuor de Cęlo.

10. In Libros Meteororum.

11. In parua naturalia.

12. In Libros 12. Metaphysicorum.

13. Libri tres de Potestate Ecclesiastica in vno Volumine, qui libri necessariò impressioni tradendi sunt, vt meliùs ostendatur falsitas Libri editi à Goldasto-

14. Quodlibeta vigintiquinque; Et quæstio de potentia materiæ.

15. Ægidij de Hostia consecrata, de Corpore Christi, de Duplicitate formarum, & de Animæ excellentia M. S. 1466. fol. In Bibliot. S. Ioannis in Viridario Patauij.

16. Quæstiones in Libros Metheororum, in duos Libros de Somno, & Vigilia, & in alia parua naturalia, fol. in memb. in Biblioth. Veneta S. Antonij.

17. Summa Naturalis Philosophiæ, & eiusdem Ægidij de Pulsu; fol. memb. ibidem.

18. De compositione Mundi: erat olim in nostra Bibliotheca Veneta S. Stephani.

19. De excellentia Summi Pontificatus, qui liber extabat Veronæ in nostra Bibliot.

20. In Boethium de Philosophica consolatione expositio. Parisijs in Bibl. Ordinis.

21. Super Poetria Aristotelis M. S. in Bibliot. Bodeleiana Angliæ.

Alia Opera memorata à B. Iordano de Saxonia, Ambrosio Corano, Iacobo Philippo Bergomense, Ioãne Trithemio, Iosepho Pamphilo, Conrado Gesnero, Angelo Roccha, & ab alijs.

22. In omnes Epistolas Pauli.

23. In omnes Epist. Canonicas incæpta Commentaria.

24. Super Euangelium Ioannis Tractatus 2.

25. In totum Canonem Bibliæ, sufficientiam, & excellentiam librorum S. Scripturæ.

26. In illud Canonicæ Ioannis: omne quod est in mundo, &c. lib 1

27. Libellus contra Fantasticas positiones Petri Ioannis de Narbona super Apocalypsim ad petitionem Bonifacij VIII; & Ordinis Minorum: Innuit ipse Ægidius in 3. sent. dist. 2. quæst. 2. art. 2. dub. 3. pag. 91.

28. De gratiarum actione ad Bonifacium VIII. Liber. 1.

29. Contrà Hæreticos liber, quem Terrens Fulmen appellauit.

30. Quomodò Reges, & Principes possint possessiones, ac bona Regni peculiaria Ecclesijs elargiri? Lib. 1.

31. De Prædestinatione lib. 1. diuersus à Tractatu impresso.

32. De rationibus seminalibus Lib. 1; cuius meminit circà finem Lect. 15. in Epist. ad Romanos.

33. De Compositione Angelorum; de motu, & cognitione Angelorum. Bononiæ extabant in nostra Bibl. S. Iacobi.

34. In Libros Aristotelis de Physionomia Commentarium asseruabatur in Cœnobio S. P. Augustini Oppidi S. Genesij in Piceno.

35. In Topica Aristotelis Cõmentaria, citantur ab Augustino Nipho Suezano.

36. In Libros Oeconomicorum Commentaria.

37. In Libros Politicorum Comm; testatur B. Iordanus Saxo.

38. Tractatus de deceptione, & quomodò sciens potest mala facere; citatur ad ipso Ægidio 2. sent. dist. 6. quæst. 1. art. 2.

39. De

39. De medio Demonstrationis, Liber incipiens: Quæritur quid sit medium?

40. In quartum Librum Sententiarum scripsisse, tradunt Trithemius, & Bergomensis. Adest M. S. vsque ad Eucharistiam exclusiuè, in nostra Bibl. S. Augustini Senarum, sed periti in Ægidiana doctrina non approbant pro vero. Eumdem 4. Librum Sent. ex varijs textibus Ægidij hincinde collectis dispofuit doctus Amicus S. T. L. Angelus Finardus Bergomensis Augustinianus Lombardiæ, vt mihi testatus est suis Epistolis datis 1685; sed à religiosa paupertate detentus ede re non valuit. Vltimoque audio quartum sent. Ægidij inuentum à nostris Patribus Tolosanis in sua Bibliotheca.

41. Sermones solemnes ad Clerum, B. Iordanus de Saxonia.

42. Sermones diuersos, & Epistolas varias edidisse scribit Trithemius.

43. Isagoge, siuè Introductio Fidei ad Regem Armeniæ iubente Bonifacio VIII; extat Romæ in Vaticana ex Pamphilo.

44. In Officium Missæ.

45. Quodlibeta multa.

46. Compendium Generalium Ordinis, quod asseruabatur in Archiuo eiusdem, tradit Nicolaus Pleneuaulx in Primate Augustiniano Lib. 1. cap. 7. §. *Primus igitur*. Summam totius Theologiæ B. Ægidij Columnæ confecit in Tomis quinque P. Magister Augustinus Maria Arpe Genuen. ex mea Congr; & Tomum primũ edidit Bononiæ inibi iure meritò Regens, dicauitque Reuerendiss. & Nobiliss. Priori perpetuo Brunensi Zuillelmo Manembac S. T. Magistro, Comiti Lateranensi, Protonotario Apostolico &c. Augustiniano. Bononiæ Apud Pisarrum 1701. 12.

Notanda pro B. Ægidij Columnij operibus.

In Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam Commentárij, & Libellus, seù paruus tractatus de Corp. Christi, aliqui negant esse Ægidij, aliqui asserũt, inter negantes sunt meus Pamphilus, & Bellarminus, qui hoc ex Pamphilo ad verbum excerpsit, & non vidit dicta Opuscula, nam si vidisset, expressisset Editionem Romanam à me supranotatam, vt desiderat Guillelmus Caue, qui etiam æquiuocauit putans Bellarminum asserere dubium Opus Theorematum de Sacramento Altaris, quod certissimè Ægidianum est, nam Pamphilus, & Bellarminus de paruo Tractatu loquuntur. Affirmantes verò supranotata Opuscula Ægidiana sunt Sixtus Senensis, Marracius, Alua, & meus Gauardi præcisè in Salutat. Angelicam. Tertius sent. usquè ad distinctionem vndecimam inclusiuè est Ægidij, reliqua addita, & consarcinata ab alijs Operibus. Commentaria Physicæ, & Metaphysicæ Vrsellis in Germania 1618. impressa, non sunt Ægidij Romani, sed Ægidij Fonsecæ à Præsentatione Lusitani, vt etiam asserit Biblioth. Hispanica Nicolai Antonij. *De præcipuis Philosophorum erroribus ab Ægidio (vt Rochensis opinatus est) collectis, in*

quibus tamen, quid contrà sentiendum sit, diximus in nostra Biblioteca selecta, vbi de Aristotelis Philosophia egimus. Hæc Posseuinus in Apparatu sacro. Visa tamen Bibliotheca Selecta Lib. 12. cap. 34. pag. 88. nihil aliud obseruaui, nisi quòd dictus Posseuinus inibi reponit errores eosdemmet à Roccha nostro impressioni traditos, & nihil contrà illos exprimit, prout ipse innuit. Liber de Potestate Ecclesiastica editus à Goldasto, reuerà non est nostri Fundatissimi: Videatur Tom. 4. Theologiæ P. Magistri Gauardi Tract. de Hierarchia Ecclesiastica articulo VI. n. 4. Quod de Ægidio Corboliensi Medico dicitur circa Opera Ægidiana, iam ab omnibus Eruditis aerea opinio, & anilis fabula esse cognoscitur.

5. ALBERTVS BARO DE BONSTETEN Natione Germanus, Maximiliano I. Imperatori à Sacris, ac nostri Ordinis in Heluetia Decanus, seu Prouincialis. Floruit 1491. Scripsit *Historiam Austriacam*, & Regi Galliæ Carolo VIII. dicauit. Extat in Augustissima Bibliotheca Vindobonæ in Membrana inter Codices M. S. Historicos Latinos 191; Illam citat eruditissimus Petrus Lambeccius Lib. 2. comm. Bibl. Cesareæ pag. 41; 124; & 239. Item Lib. 4. pag. 304; eamque se editurum promisserat, sed morte præuentus non præstitit: Idem tamen in se suscepit dignissimus eius successor Daniel Nessellius edita Sciagraphia Vindobonæ 1692. Gerardus Ioannes Vossius de Historicis Latinis lib. 3. pag. 693; & cum eo Robertus Gerio in App. Operis Guill. Caue pag. 318. Aiunt ex Simlero, ipsum edidisse vitam D. Nicolai Tolentinatis Ordinis Eremitici, & supponunt esse illam à Surio editam 10. Septembris. Sed profectò Viri clarissimi hallucinati sunt: Nam non D. Nicolai Tolentinensis vitam composuit, sed B. Nicolai de Flue Eremitæ in Heluetia, mirabilis virtutis, qui obijt 1487. die 21. Martij. Obseruetur textus Simleri, & explicitè veritas patebit; ait enim pag. mihi 19. *Descripsit Vitam Nicolai Eremitæ, qui in Heluetijs apud Subsiluanos plures annos absque cibo transegisse fertur*. Meus itaque Albertus enumerandus est inter Scriptores, qui de eodem B. Nicolao Heluetico disseruerunt, videlicet in 2. To. Litterarum memorabilium Abbatis Iustiniani pag. 191. ante Vincentij Burgundi supplementum. Sciant vlteriùs eruditi, Vitam D. Nicolai Tolentinatis editam à Surio esse mei Fratris Petri de Monterubiano S. T. Lectoris, qui scripsit 1336; quæ M. S. seruatur Romæ in Angelica nostra: Hoc asseritur etiam à meo Torello To. 4. pag. 697. Nominant cum laude, nempè Bonsteten, Crusenius, Elssius, Herrera, &

Gra-

Gratianus, sed non benè cognitus fuit ab ipsis.

6. ALBERTVS EX PAGO RICKMERSTORFFENSI, Patre agricola natus, eximius,& eloquentissimus Philosophus, cuius extant sophismata, eligitur in Halberstatensem Episcopum anno Domini 1366. Præfuit 23. annis. Pugnauit infeliciter aduersùs Hildeseymensem Episcopum, qui Gerardus vocabatur,excellensq; erat Rhetor; exiuit inde prouerbium,quod totam Saxoniam peruasit, in quo dicebatur, Logica victa, & superata fuit à Rhetorica. Rebus posteà pacatis feliciter gubernauit suum Gregem, & Populum; sui ingenij testimonia inter Scholasticos præclara habentur, decessit anno Domini 1390. in bona senectute. Albertus Krantz. lib. 9. Saxoniæ cap. 33; & lib. 9. Metropol. cap. vltimo, Cratepolius de Episcopis Germaniæ, Theat. Vitæ hum. To. 3. verbo *Episcopus*. Pamphilus verò, & Posseuinus Iesuita, alijque Scriptores mei Ordinis solummodo sequentia notant: *Albertus de Saxonia Theologus, cùm esset in Philosophia Peripatetica, & Mathematica admodum eruditus, reliquit Commentaria super Tabulas Alphonsi Regis ad Iudicia Astronomiæ. Incipiunt: Tempus est mensura motus. Archetypum sua manu conscriptum anno Domini* 1331. *asseruatur Bononiæ in Bib. S.* Dominici. *Scripsit Quæstiones in Libros Aristotelis de Physico auditu, de Generatione, & corruptione, ac de Anima, quæ extant Bononiæ in Bibl. S. Iacobi.* Omnes igitur nostri cum Posseuino, ac Simlero,nec Episcopum, & Principem Alberstatensem Albertum fuisse, nec tempus in quo floruerit, nec Opera impressa agnouere. Petrus tamen de Alua Minorita in Biblioth. Conceptionis ex meo doctissimo Ioanne de Meppis, hæc reponit: *Albertus de Saxonia Ord. S. Augustini, & Episcopus Alberstadiensis, Germanus, eruditissimus, de quo plura dicit Ganderus de Meppis in Postillis suis in Ser. de* 3. *Dominica Aduentus, qui incipit. Cùm audisset Ioannes in vinculis, &c. Hic ergo egregius Doctor propter amorem Virginis multas Propositiones Parisijs, & Pragæ de Immaculata Conceptione defensauit, in quibus gloriosam Virginem ab originalis peccati macula immunem fuisse probauit. Verba sunt R. P. Ioannis de Meppis in Tractatu de Conceptione Auctore.*15.*Sic in Append.col.*1499. Illustrissimus Episcopus Fulgentius Monforti Abellinas in Panegyri, cuius titulus *Adamus gratiæ* pro S. P. Augustino, pagina mihi 165. narrat Albertum nostrum de Saxonia; veluti nouum Archimedem, infudisse spiritum æneæ Columbæ ita,ut

vola-

volaret, sed quia nullum Auctorem antiquum hæc asserentem citat, fides sit penes ipsum. Opera eiusdem Alberti, quæ vidi, sunt subsignata, aliqua absque titulo religiosi Ord. Erem. S. Augustini. Quæ rara mihi videntur inuenienda, in quanam Bibliotheca asseruentur, exprimam.

Super Libros Analyticorum, & Posteriorum. In fine adsunt hæc verba. *Expliciunt quæstiones super Libros Analyticorum, & Posteriorum castigatæ, & correctæ per Ven. S. Theologiæ viros Lectorem Fratrem Ioannem Baptistam Tolentinatem, & Fratrem Iacobum Baptistam de Alouisijs Rauennatem S. Stephani Venetiarum Magistrum Studij eiusdem Ord.* impress. impensis Octauiani Scoti, per Bonettum Locatellum 1497. fol; in Epist. Alouisiani in fine Operis apparent hæc verba: *Albertus Saxo nostræ Aurelianæ Religionis honos, quem inter omnes quæstionarios apud Sapientiss. primarium esse arbitror.* Senis in nostra Martiniana.

Quæstiones eximij Doctoris Magistri Alberti de Saxonia super octo libros Physicorum. Paduæ 1493. fol; Venetijs 1504; per Iacobum Pentium de Leuco; edidit suprad. Alouisianus. Ven. apud Hæredes Scoti 1516. fol.

Quæstiones de Generatione, & Corruptione. Venetijs apud Gregorium de Gregorijs 1515. fol. Deinde apud H. Scoti 1520; ac apud Hieronymum Scotum 1568. fol. In fine habetur. *Explicit Tabula totius Libri &c. anno 1385. die 13. Aprilis.* Ex hoc igitur, & ex supranotatis falsa apparet coniectura nostri Herreræ.

Præclarissimi Doctoris Alberti de Saxonia super Libros de Cœlo, & Mundo Quæstiones emendatæ per Magistrum Hieronymum Surianum. Venetijs per Octinum Papiensem 1491. fol. Deinde apud H. Scoti 1520. fol.

Excellentissimi Magistri Alberti de Saxonia Liber Proportionũ. Paduæ per M. Mathæum Cerdola 1482. 4; est apud me; deinde Venetijs auctior apud Octauianũ Scotum 1496. fol; est in nostra Collis Etruriæ; super dictum Librum Comm. composuit Benedictus Victorius Fauentinus.

Logica eiusdem edita est Venetijs, correcta, & illustrata à P. Magistro Petro Aurelio Sannuto Augustiniano 1522. fol. In nostra Bononiæ. Super octo Physicorũ, tres de Cœlo, & Mundo, & duos de Generatione, & Corruptione simul Parisijs apud Ascentium & Conradum Resch 1515. fol; De Gener. Corrup. etiam ibidem 1518. fol.

Alberti de Saxonia Grammatica speculatiua de modis significandi, quæ solet subtilissimo Scoto attribui. Venetijs 1529. fol.

Sophismata Viri accutissimi Alberti de Saxonia. Parisijs per M. Petrum Setouge D. Regis Librarium, & Impressorem ad requisitionem Durandi Gerserij 1489. 12. Decembris. In Bibl. Ciuitatis Perusinæ, in 4.

Eiusdem de maximo, & minimo M. S. in Bibl. S. Antonij Veneta.

neta. Super Tabulas Alphonsi Regis supranotata, & de Anima in nostra Bononiæ.

Super quatuor Libros Sentent. scripsisse ait Posseuinus libro 3. Bibl. selectæ pag. mihi 276; & non obscurè colligitur ex Gandero de Meppis.

Adest Tractatus de velocitate motuum sub nomine Alberti de Saxonia Ord. Prædic. in Epitomen redactus à Fratre Isidoro de Isolanis Papiæ 1513; 8; qui nihil aliud est, quàm Opus de Proportionibus nostri Alberti. Deleatur itaque è Bibl. Dominicana Ambrosij de Altamura noster Albertus.

7. BEATVS ALBERTVS Patauinus; Anno 1283. 25. Aprilis habitum Augustinensem elegit, vt veriùs Torellus scribit; Nam aliàs discipulus Fundatissimi Doctoris Parisijs esse potuisset, si ingressus suus in religionem anno 1293. fuisset; Eo enim tempore iam Subselium Scholasticum reliquerat Ægidius, & cathedram ordinis ascenderat. Parisijs Sacros Libros summa Discipulorum frequentia explanauit. Cùm esset notabiliter admodum pronus ad benedicendi artem, in eam tanta animi contenrione incubuit, vt primus habeatur, qui gestuum pia, variaque affectione suggestū exornauerit; ac auditores non solùm compta elocutione, sed motuum perfectione oblectauerit, & in sui admirationem rapuerit. Eapropter Bonifacius VIII. tam celebrem Oratorem videre, atque audire cupiens, Albertum in Italiam accersiuit, & coram se, sacroque Cardinalium congressu concionari præcepit. *Pateat insuper pro nostri huius Alberti Patauini singulari gloria, laudeque eximia, retentum morem in Ecclesia Catholica Concionatorum omnium salutandi Virginem Dei Matrem Mariam Salutatione Angelica ante publici sermonis, seù Concionis exordium, quod alij sancto Vincentio Ferrer; qui floruit ab anno* 1349; *vsque ad annum* 1419; *& alij alijs tribuunt, salua omnium pace, nostro Alberto Patauino tribuendum esse, atque ab eo, qui floruit ab anno* 1287. *vsque ad annum* 1328. *exordiū sumpsisse dicendum, eò vel maximè, quòd morē hunc apud nullum Authorem ipso antiquiorē hucusque notauerim, quamuis ferè omnes antiquorum Patrum sermonarios typis mandatos, vel in nostra habeam, vel in insignioribus totius Hispaniæ Bibliothecis viderim, & legerim.* Hæc Petrus de Alua Minorita Tom. 1: Marianæ Biblioth. pag. 610. Ibidem quoque scribit sequentia, à me corrigenda vt infrà: *Hic præclarus Doctor, celebrisque verbi Dei declamator ex Seraphica S. P. N. Francisci familia Alumnus extitit, si Marco Antonio Coccio Sa-*

bellico

bellico credendum est, cuius hæc sunt verba Tom. 2. Rapsodiæ Ennead.9.lib.8.fol. mihi 415. ad finem. Claruit cum his Augustinus Anconitanus Eremiticę obseruationis, qui, & ipse scitè, & vtiliter multa scripsit: Bonauentura, & Albertus, vterque Patauinus, & ex Francisci Assisiatis Familia; hic Euangelica prædicatione, ille martyrio clarus. Hæc Coccius. Quòd autem de præsenti Alberto Patauino loquatur Coccius, fatetur Reu. P. Thomas de Herrera Augustinianus in suo Alphabeto. Tamen secundùm alios sacram Eremitarum S.P. Augustini Religionem professus est. Sed hi fortè ipsum non distinguunt ab Alberto Patauino Nouello cognomine, anteà Hæbreo, deinde Christiano, qui aduersùs eosdem de Messiæ aduentu multa doctè scripsit, & floruit ad ann. 1494; & instituti Eremitarum fuit. Noster verò Patauinus est an. salutis 1287. &c.
Miror igitur Religiosum tam eruditum non agnouisse errorem Sabellici, seù potiùs Amanuensis, qui anteposuit, quod postponendum erat: Nempe post illa verba, *vterque Patauinus*, sequi debebat: *hic Euangelica prædicatione, ille martyrio clarus*, deinde; *& ex Francisci Assisiatis Familia Nicolaus Lyrensis, & Franciscus Maironus Theologus vterque eminens*, qui reuera Franciscani fuere. Impossibile enim est, Sabellicum accuratæ attentionis Historicum, quique Venetæ Reipublicæ tali in ministerio inseruiebat, ea propter tam proximus Pataui, ignorasse inscriptionem in Antenoreo publico Palatio expositam, quæ Albertum Eremitam Augustinianum clarè profert, vt ipsum Franciscanum asseruerit. Herrera quoque non affert dictum Sabellici approbans, sed reprobans; exprimit enim pag.53. *Quem immeritò Antonius Sabellicus Patribus Franciscanis attribuit*. Non solùm itaque fuit Augustinianus Albertus Nouellus, sic vocatus, non à cognomine, immò ad distinctionem primi nostri Alberti, sed Augustinianissimus B. Albertus iste Patauinus. Testatur ipsemet, nam in libro Sermonum eius Parisijs impresso per Ambrosium Girault 1554.8.pag.290. habetur: *Sermo in D. Patris Augustini Festiuitate* in ordine 56; & pag. 284. *Plura consideranda occurrunt ad commendationem egregij Doctoris, & gloriosi* Patris *Augustini*. Testantur M.S. antiqua ipsius in nostra Bibl. Patauina, vti refert Illustrissimus Thomasinus. Testantur inscriptio, & statua in publico Palatio, Pater principalis Historiæ Panuinius, Ciacconius, Bzouius, & Raynaldus in Annal. de B. Bonauentura loquentes. Testantur denique penè innumerabiles Historici exteri, & nostri. Ideò
cùm

cùm Sole clarior hæc veritas sit, cætera, quæ adducere possum, prætermitto. Memorant cum laude nostrum Albertum ferè omnes Bibliothecarij Historici Patauini, & Augustinenses. Inscriptio exposita in Patauino Prætorio, quam refert Iacobus Philippus Thomasinus pag.343. n.12.est ista: *Albertus Patauinus Heremitanæ Religionis splendor, continentissimæ vitæ, sumpta Parisijs infula magistrali in Theologia tantùm proficit, vt Paulum, Moysen, Euangelia, ac libros sententiarum laudatissimè exposuerit. Facundissimus ea ætate concionator immortali memoriæ optimo iure datur.* In Vrbe Parisiensi ad æternam requiem euolauit anno Domini 1323. 2.Aprilis ætatis, non 48; sed 58; vt veriùs existimo, aliter, quæ de ipso narrantur, simul conuenire non possunt, Iordanus enim de Saxonia antiquior, qui de eodem scripsit, solummodò reponit lib.2. cap.22. *Multa alia opera fecit ille Reuerendus Pater, & fecisset, nisi mortuus fuisset iuuenis:* Ac si diceret, ætate immatura; Calepinus meus in dictione *Padua* secundæ editionis habet. *Alberti Eremitani nostræ Religionis Theologi, ingenij acumen, opera, quæ edidit declarant.* Fuerunt itaque.

Expositio Euangeliorum Dominicalium, & Festorum. Venetijs per Mag. Adam de Roteuil, & Andream Corona 1476.fol. Parisijs 1550. 8. Taurini in ædibus Antonij Raneti 1529.4. industria, & correctione P.L. Augustini M. Perachini Taurinensis Congreg. Lombardiæ. Deinde Parisijs apud Girault. 1544. 8. & 1586. 8.

Expositio Euangeliorũ Quadragesimalium, ac etiam super aliquas Epistolas edidit primus Bac. Valerius Bononiensis Aug. Venetijs 1523. per Iacobum Pentium de Leuco. 8. Deinde Taurini in ædibus Petri Pauli Porri 1527. 4; ac Parisijs per Girault 1544. 8. Postremò Venetijs per Zalteriũ, & Zannettum 1584. duobus To. 8. Hoc Opus scriptum fuit ab Alberto 1315. in Cœnobio S. Stephani Venetiarum, dum esset inibi Concionator, vel Regens, vt ex M. S. asseruato in nostra Bononiæ.

Expositio super Pentatheucũ, videlicet Genesim, Leuiticum, Deuteronomium, Exodum, & Numeros. Pataui in nostra Bibl. fol. memb. Vet.

Collationes Biblicæ. Ibidem fol. memb. vet.

Postilla super Euangelia Quadragesimæ. Ibidem miniata fol. in memb.

In omnes Epistolas D. Pauli Lib. 14.

In Quatuor Euangelistas lib. 4.

Sermones de Tempore, & ad Clerum Libri 2. aliaque, Vltima ampliùs hæc Opera Pataui non adsunt, vt ex Indice Thomasin. pag. 71. & seq.

8. ALDEBRANDINVS CAVALCANTES Nobilis Flo-

rentinus, S.Theologiæ Doctor celebris, Diuini Verbi Concionator feruidus, & fructuosus, pietate, & virtutum meritis commendabilis enituit anno 1385. Nominatur à pluribus encomasticè; suntque Posseuinus in Apparatu, Pocciantius in Florentinis, Verderius in add.ad Gesnerum, Marraccius in 1. To. Marianæ, Pamphilus, Crusenius, Gratianus, Herrera, Elssius, & Torellus nostri. Vt posteros ad spem adipiscendæ beatitudinis hortaretur, Conciones multas composuit, nempè.

Sermones Quadragesimales, in Bibliotheca S.Spiritus Florentiæ olim asseruatas; initium eorum est *Conuertimini ad me*.

Sermones festiuos, seù de Sanctis. Liber incipit. *Venite post me faciam vos, &c.in verbis propositis quantum ad solemnitatem Beati Andreæ, duo consideranda occurrunt: primum inuitatorium amoris: secundum officium bonoris*.

Sermones Dominicalès, & sermones Historiales edidisse constat, cùm in fine priorum sermonum scribat. *Si vis plus loqui de Epistola, vel de Euangelio, quære inter sermones Dominicales, & Historiales*.

Commentarium in Appocalypsim sub nomine cuiusdam Aldobrandini obseruauit Posseuinus M. S. in Bibliotheca S. Antonij Canonicorum Regularium Venetijs, sed num sit nostri, exprimere non audet, in Indice Thomatini eiusdem S. Antonij Bibliothecæ, adinuenire non potui, nisi fortè ille sit Pluteo 14. expositio in Apocalipsim. *Nullum huius initium* 8. memb.

9. ALEXANDER ex domo Fassitelli de Sancto Elpidio, Marchiæ Anconitanæ Oppido, non Vmbriæ, vt alij asserunt, S.T.D; humanis, & Diuinis litteris exornatus, facundissimi ingenij, & raræ experientiæ in rebus agendis. Asserunt nostri Elssius, & Herrera spineam Coronam Iesu Christi, quæ olim in nostro Monasterio Elpidiense seruabatur, ex Parisiensi Vrbe in patriam deportasse Alexandrum. Ego verò potiùs assentior meo Ludouico Zacconio in viridi Prato Lib.1.pag.114; qui donatam fuisse affirmat ab Alphonso IV. Rege Aragonio P.M. Iacobo à S.Elpidio eius Confessario. Ipsa nunc, non Recineti, vt Robertus de Licio cap.1.ser.7.testatur, sed Firmi in nostro Cænobio asseruatur. Viterbij anno 1312. 14. Maij noster Alexander eligitur totius Ordinis Generalis. Anno 1315. in Congressu Gen. Patauino Magistratus in aliud triennium illi prorogatus fuit: Quodque factum est in Ariminensi 1318; Taruisino 1321; ac quinta vice in Montispesulano 1324. Tempore sui gubernij præsentauit Papæ Clementi V. Constitutiones Ordinis Ratisponenses, & ab ipso Pontifice collaudatæ,

non

non tamen confirmatæ fuere; Quod in bonum Religionis cessit: Nam, si confirmatæ fuissent, nisi de mandato Pontificio vmquam variari, vel infringi possent. Ordinem ampliare studens à Ioanne 22. facultatem obtinuit monasteria fundandi noua, & accitis ex Parisiensi vniuersitate Alberto Patauino, Gerardo Senensi, alijsque præclaris viris, studia erigere in Italia curauit. Ab eodem Ioanne 22. ad Principes diuersos pro tuenda Ecclesiastica Iurisdictione, quam verbo, & calamo fortiter tutatus est, pluries legationes varias laudabiliter gessit. Silentij religiosi amator præcipuus, hæc Fratribus insusurrare solebat, vt testatur B.Iordanus Saxo: *Antiqui PP. instinctu Spiritus Sancti prouidè, & salubriter ordinauerunt, vt certis locis, in choro, in cænobio, in Religiosis mansionibus, silentium teneretur, ex quo nascitur quies mentium, surgit profectus studentium, & iuxtà Propheticum Verbum Isaiæ cap.32. Cultus iustitiæ silentium.* Parisijs primò fuit magni Ægidij discipulus, deindè publicus Vniuersitatis professor. Cùm Ioannes XXII. intellexisset Archiepiscopum Cretensem obijsse, ne egregias operationes nostri Alexandri sine præmio manerent, ad illam Cathedram moderandam destinauit: At cùm denuò accepisset, Archiepiscopum in humanis agere, eum ad insignem Infulam Molphetensem tunc vacantem direxit. Hoc ferè omnes Scriptores de nostro Alexandro pertractantes non agnouere, ideoque Archiepiscopum Rauuennatensem, aut Amalphitanum incongruè pronunciarunt. Solus Torellus hanc veritatem ab antiquo Regesto Romanæ Prouinciæ extraxit. Assertio dicti Regesti est: *Post hæc per Sanctissimum DD. Ioannem Summum Pontificem electus est in Archiepiscopum Cretensem, sed post paucos dies inuentum est, quod supradictus Archiepiscopus viuebat, & per eumdem S.Patrem prouisum est ei de Episcopatu Molfetano, & per paucos menses viuens Episcopus diem clausit.* Obijt igitur Alexander 1325. Vghellus nihil de eo in 1. To. Italiæ Sacræ. Hoc verò nil mirum, quia non rectè cognouit ea, quæ ad seriem Episcoporum Molfetensium dirigendam erant necessaria, vt inibi patet expresè. Posseuinus etiam inaduertenter discernit Alexandrum Archiep. Rauennæ ab Alexandro à S.Elpidio. Commendatur supradictus à B.Henrico de Vrimaria Germano in Tract. de Origine Ordinis sic: *Vndecimus Gen. fuit Magister Alexander de S.Elpidio, similiter Doctor in sacra pagina, vir vtique multum cautus, miræ prudentiæ, & magnæ scientiæ.* A B.Ior-

 dano

dano de Saxonia lib.2. cap.14. & lib. 4. cap.8; à Reuerendissimo Ambrosio Corano, omnibusque nostris. Inter exteros apparent Iosias Simlerus in Gesneriana Bibliotheca, citatus Posseuinus Litt.A;& in Appendice. Ludouicus Iacob à S.Carolo in Bibl.Pontificia, Lud.El.Dupin de Scriptoribus, Tomus Secundus Bibl.Max.Pontificiæ, Natalis Medaglia in Opere prænotato Memorie Istoriche di S.Elpidio Lib.3. Par.2.cap.1. pag.73. fusiùs de nostro Alexandro, ac vltimo Henricus Vuarthon Anglus in App. To.1. Caue. Opera eius sunt.

De Iurisdictione Imperij, & Auctoritate Summi Pontificis. Lugduni per Claudium Gibeleti 1498.4.

De Potestate Ecclesiastica ad Ioannem XXII.Libri duo. Taurini apud Nicolaum de Benedictis, & Iacobum Suignon 1494.4. Posteà Arimini apud Simbenium industria P.M. Angeli Vantij 1634. 4.Postremò Romæ in 2.To. Biblioth.Max.Pont.per Buagnum 1696.fol.

De Cessione, Sedium fundatione, & mutatione Tractatus in Vaticana.

Quæstiones ordinariæ Theologicæ citantur à nostro Arch. Hispalensi *Alphonso Vargas* in 1.sent. quæst.4.dist.1.art.3.& 4.

Quodlibetorum Libri tres; eos citat noster Argentinas in 1. dist. 11.art.3. Sic. *Respondet Alexander Ord. S. Augustini 3. suo quodlibeto q.3.* & dist. 17.quæst 2. art. 2. citat 2.quodlibet.quæst 22.

De Triplici Sacerdotio Tractatus; citantur à meo Gauardi de Hierarchia Eccl. Suæ Theologiæ Augustino Ægidianæ To. IV. pag. 499. in Angelica, & Vaticana.

De Paupertate Euangelica Lib.1.

De Ecclesiastica vnitate Lib. 1.

In Libros Priorum Aristotelis commentaria.

In Libris Topicorum Aristotelis Comment,& alia multa.

10. B.ALEXANDER OLIVA Saxo-Ferratensis. Præclarissimus hic Doctor, & virtutum exemplar mundo expositus fuit anno 1407. Patre Alerentio, Matre Ioanna pauperrimis quidem, sed honestis, & pijs. Fortuito in aquas lapsu tertio vitæ anno denatus est; sed mater ardenter amans, fusis precibus, & lacrymis, spondens se eum religioni consecraturam optatam gratiam à Beatissima Virgine Consolationis Parente obtinuit. Anno 1413; vt votum exolueret, septennis habitum meæ Religionis amplexus est. Tales in eadem breuiter progressus fecit, *vt Sanctimonia, & doctrina clarus* (verba sunt Reuerendissimi Corani) *in agendis circumspectus, in disputando acutus, in prædicando elegantissimus apparuerit.* Anno 1437. iure meritò Lauream Theologicam obtinuit. Anno 1439.

Mar-

Marchiæ Anconitanæ Prouincialis. Cùm Senis degeret, ciuilem cladem, & cædem cruentam compescuit. Florentiæ quoque sedauit tumultus. Perusiæ sæpe auctor concordiæ Ciuibus fuit. Priuatas inimicitias, & odia, quocumque perrexit, sopiuit, ac extinxit. Anno 1452;1456;& 1458. extitit Vicarius Generalis Congregationis suæ dilectæ Perusinæ, ac omnium obseruantiarum Italiæ, nec non anteà Ordinis Procurator Generalis. Ad eius instantiam, cùm esset adhuc Congregationis Perusinæ Superior, Nicolaus V. anno 6. sui Pontificatus, Christi verò 1452; concessit Conuentui nostro Perusino S. Augustini Abbatiam S.Saluatoris in Pariete Asisiensis, antiquitùs Fratrum Cruciferorum, vt ex Bulla Vrbani III. sub datum Veronæ 1186. anno primo sui Pontificatus asseruata in Archiuo nostri Cænobij Perusini. Denique 1459. Tolentini in Ordinis Comitijs, licèt viriliter renuens, & obtestans, se futurum rigidum, & zelatorem Obseruantiæ, in Supremum Præsulem electus concorditer fuit. Anno sequenti 3. nonarum Martij Pius II. Summus Pontifex Virorum præclarissimorum existimator, agnoscens eius mirabiles qualitates, illum inter Purpuratos delegit, & modo planè mirabili, vt ex Comm. eiusdem Pij detexi in Purpuris Augustinianis Cardinale 18. Ad Purpuram igitur vbi fuit assumptus, nulla virtus apparuit, quæ in Alexandro non visa sit eminentissima. Eodem anno, non Episcopus Camerini, vt inquit Vghellus, sed Episcopatus perpetuus administrator, vt expresse probat Torellus, euasit. Bis fuit Legatus Pontificius in Marchia ad Bellum sedandum inter Anconitanos, & Æsinos, ac semel ad excipiendum D.Andreæ Apostoli caput venerandum. *Eius vitæ integritas adeò vbique sanctitatis speculum extitit, atque omnifariam virtutum fragrantiam exhalauit, vt omnes futurum Summum Pontificem indubitatò sperarent, nisi ab immatura morte præoccupatus fuisset*, vti Bergomensis Lib.15.Supl.affirmat. Ad superos euolauit Tibure 22. Iulij 1463. ætatis suæ 56. Morti proximus, cùm ipsi circumstantes dicerent, ne timeret, respondit. *Quid ego timeam, qui ad nuptias eo?* Quia enim semper in vita mortem meditatus est (nam in domestico scrinio mortui figuram, ipsum repræsentantem habebat, quam sæpiùs considerans, vt tentationes deprimeret, dicebat. *Alexander quid post hac?*) in morte mortē non horruit. En Pius Pontifex in Comm. qualitates ipsius necis exprimens sua nitida eloquentia: *Medio*(inquit)

tem-

tempore Cardinalis S. Susannæ non sine Summo Pontificis mærore febre correptus extinguitur, cuius vitæ sanctimonia cùm per omnem vitam emicuisset, tum maximè in obitu claruit, qui etsi dies quamplures agonizauit, numquam tamen intermisit de fide Catholica disputare, symbolum exponere, obstrusos scripturarum sensus aperire, dubiaque resoluere, hortari astantes ad Euangelicam vitam; in ea Patria thesaurizandum, cuius gaudia fine carent. Cùm rogaretur testamentum facere: Animam, *inquit, meam Deo relinquo: Pio Pontifici corpus, & hæc, quæ vocantur sæculi bona: ipsi familiæ curam, & sepulturæ meæ committo. Deinde quasi dormiens expirauit; ingens Sacri Collegij decus, in quo vitæ fulgor cum doctrinæ luce contendit. Potuerant sine damno multi homines perijsse: In hoc graue vulnus accepit Ecclesia. Ita plerumque fit, vita breuis bono est, malo quam diutissima: seruantur ad pænitentiam pessimi, siue vt bonos exerceant; probitas Cælum petit. Pius exequias Cardinale dignas amico peregit, & familiæ curam suscepit.* Ipsius præconia, vltrà omnes nostros, profusè, & dignissimè recensuerunt Pius II. in Comm. lib. 4; & 12; Antonius Campanus Episcopus in Oratione funebri, Ciacconius in Vita Pij II; Bzouius in Annal. To. 17. an. 1463. n. 34; Spondanus n. 16; Raynaldus n. 110. eiusdem anni, Ludouicus Donius Episc. Eduensis in floribus Hist. S.R.E Cardinalium, Marraccius in Bibl; & in Purpuris Marianis, Oldoinus in Athenæo Augusto, & Purpuratorum, Chartarius in syllabo Adv. Concist. pag. 148; Posseuinus in primo To. Apparatus, Garimbertus, Franciscus Philelphus, Hieronymus Platus, & plures alij. Romæ sepultus est in Templo S.P. Augustini cum Epitaphio relato ab Vghello To. 1. Italiæ Sacræ Col. 610; nec non ab Herrera, Torello, & Curtio, qui exponit effigiem ipsius ad viuum expressam. Scripsit Libros sequentes, quos non vidi, citantur tamen sæpiùs à nostro Thoma de Tallamello. Illustrissimus Franciscus Sequeijros Episcopos Cassanensis in suo Libro Eurythimia Pontificialis impr. 1683. 4. Conimbriæ apud Fernandes pag. 6. Append. citat. Alexandrum Oliua in suor. 4. par. quæst. 10. membr. 2. §. 2. in verbo *pro Rege nostro*, & 3. par. quæst. 4. memb. 5.

De Christi ortu Sermones 10c.
De Cæna cum Apostolis facta.
De peccato in Spiritum Sanctũ.
Orationes elegãtes. Lib. 1. aliaque.

11. ALPHONSVS DE CORDVBA Bethicæ Prouinciæ suscepta Doctoris Laurea à Parisiensi Accademia in Hispaniã redijt. Vniuer-

Vniuersitatis Complutensis publicus professor effectus, inibi habitum Eremiticum induit. Posteà in celebrem Salamantinam pergens viam Nominalium introduxit 1538; præfuitque Cathedræ Gregorij Ariminensis suæ doctrinæ fama, & ipso instante ibidem institutæ. Hinc habebatur illis in Regionibus omnium doctissimus. Ex hac vita migrauit anno 1542. Eum laudant mei Ven. Alphonsus de Orosco in Chronicis, Pamphilus pag. 114; Herrera, Crusenius, Gratianus, Elssius, ac Torellus, Posseuinus quoque, & Nicolaus Antonius To. 1. Bibl. nouæ Hispaniæ pag. 15. Script.

Principia Dialectices in terminos, suppositiones, consequentias, parua exponibilia distincta. Salamanticæ 1519. 4.

Lectiones Theologicas, iuxtà mentem autentici D. Ariminensis.

In Libros Aristotelis Ethicorũ, Oeconomicorum, & Politicorum, Commentarios, testantibus Iosepho Pamphilo, & Ven. Orosco.

12. VEN. ALPHONSVS VARGAS Toletanus Ioannis Alphonsi filius, Conuentus eiusdem Ciuitatis alumnus, nobilitate conspicuus, doctrina celebris, Parisiensis Doctor circa annum 1345. Lutetiæ in memorabili Vniuersitate integro decennio Philosophiam, ac Theologiam docuit, vbi plures illustres viros doctrinæ pabulo aluit. Reuersus in Hispaniam, Episcopus primo Oxomensis, deinde Pacensis electus extitit. Cardinali Ægidio Carillo de Albornoz Innocentij VI. Legatò ad Statum Ecclesiasticum recuperandum, consilio, vt Doctor, opera, vt Dux, magno fuit adiumento. Inter alia etenim egregia facinora noster Vargas Ciuitatem Fauentiæ expugnauit. Profectus denuò in Hispaniam, ad Archiepiscopalem Cathedram Hispalensem exaltatus est: Per aliquot annos illam Ecclesiam administrauit magno cum fructu, plausu, & pietate, plures enim Infideles ad veram Religionem amplexandam induxit. Anno 1366. die 26. Decembris decessit, non sine nota sanctitatis in sua Metropolitana sepultus, hoc elogio decoratus *A qui yace Don Fr. Alfonso per la gracia de Dios Arçobispo de la santa Iglesia de la mui noble Ciudad de Seuilla, y Maestro en Santa Teologia. Espirò à 26. dias de Disiembre, era del mil è CCCC. è IIII. annos*. Hoc est 1366. De eo mentionem cum laude faciunt omnes nostri, & inter alios Reuerendissimus Coranus hæc reponit: *Commentatus est primum sententiarum tam subtiliter, tam altè, tamque formaliter, & limatè, vt nihil suprà.* Posseuinus incongruè distinguit Alphonsum Hispalensem, Alphon-

Alphonsum Toletanum, & Alphonsum Vargas. Eum nominant etiam Bellarminus, Labbeus, Trithemius de Scriptoribus Eccle. Simlerus in Gesneriana, Nicolaus Antonius in Bibl. Hisp. vet; Ioannes Rhodius Danus de Auctoribus suppositicijs ex Bibl. Hisp. Valerij Andreæ pag. 29. Lib. impr. Hamburgi apud Guht 1674. 4; ac vltimò Henricus Vuarthon in iam citata Appendice pag. 33. *In hoc viro nescies, qua arte eximiam litterarum Theologicarum peritiam, & professionem, religiosumque vitæ institutum, apud Augnstinianos susceptum, cum militari vita, & cunctis, quæ in acie, & oppugnationibus ad profectum belli spectant, diù atque acriter exercitis, componas. Nicolaus Ant. in Bibl. vet. Hispanica To. 2. pag. 113. n. 305.* Edidit sequentia Opera.

Lectura super primum sententiarum subtilissimi Theologorum Monarchæ Alphonsi Toletani, qui legit Parisijs 1345. Venetijs per Paganinum de Paganinis 1490. fol non 94; vt scribit Herrera. Epigramma Ioannis Petri Pincij Mantuani in laudem &c.

Ignotum vetus antè dabat me carta legendum..

Scriptorumque mihi plurimus error erat.

Verùm Augustini semper memorandus alumnus,

Quem Spilimberghi dat pia Terra; Thomas.

Me procul erratis, doctà renouauit ademptis.

Impressit iustum sed Pagauinus opus.

Quæstiones super libris de Anima. Florentię per Nicholaum 26. Iulij 1477. fol; exinde Venetijs 1566. per Zillettum fol. opera Reu. P. Magistri Christophori Amaroni Senensis. Posteà Vincentiæ per Ioannem Petrum Ioanninum 1608. fol. industria, & correctione P. M. Innocentij Florini in Patauino Lycæo Logicæ interpretis. Ac Romæ 1609. fol. ex Paulo Bolduano.

Liber de Potentijs Animæ ex meo Reuerendissimo Corano.

Super secundum, 3 &; 4. sent. ex Posseuini Bibl. selecta, & ex meo Rocca. Zilettus Impressor in Dedicatoria scribit. *Propediemque dijs fauentibus, prælo supponam Opus super sententias, aliasque eiusdem Alphonsi doctissimas Lucubrationes.* Vtinam nunc vel impressæ, vel M. S. inuenirentur.

13. AMADEVS PLACENTINVS, Doctor Parisiensis, egregius Concionator, claruit anno Domini 1443. De ipso ita scribit Saluator Vitalis Sardus Ordinis Minorum in suis Sardiniæ Annalibus Par. 2. impressa Mediolani Typis Ioannis Petri Cardi fol. pag. 116; asserens Neruam Imperatotem fuisse Sardum. *Placet Placentinus, vti Amadeus, Amasius veritatis enituit, Deus enim veritas est, & qui amat Deum, in veritate ambulat. Hic namque vir ingens eruditionis præstantissimæ, laurea insigni-*

insignitus, in Oratione de B. Eusebio Vercellensi habita, & ab ipsomet recitata in Cathedrali Vercellensi impressa Venetijs 1443. (meliùs 1473; vel 1543; eo enim tempore ars Impressoria numquam in Italia apparuerat) *vt extat in hac insigni Ambrosiana recondita, hæc inter alia perorauit Clero, & Populo Vercellensi, &c.* Deinde sequitur pars ipsius Orationis, cuius titulus est: *Oratio Amadei Placentini Ordinis Eremitarum S. Augustini habita in Ecclesia Cathedrali Vercellensi in Festo S. Eusebij Episc; & Martyris.* Forsan alia Amadeus scripsit, sed hucusque latent. Nihil de eo apud Scriptores nostri ordinis, nec apud Vbertum Locati Balneoregiensem Episcopum, & Petrum Mariam Campi aliàs eruditos Historicos Placentinos.

14. B. AMADEVS SABAVDIÆ DVX. Hic amore Christi succensus, relicto filijs Principatu, Eremiticam vitam sub regula S. Patris Augustini delegit, factus proinde Decanus, seu Institutor Militum S. Mauritij sub eadem Regula. Cùm Basileense Concilium, postea Conciliabulum, terga vertere decreuisset vero Pontifici Eugenio IV; oculos coniecit in nostrum Amadeum, eumque Pontificem creauit Felicem V. appellans, qui sedit in sua obedienria annos 9. menses sex, & dies septem. Ego quidem expresè affirmo, non esse firmum asserere hunc Amadeum fuisse mei Ordinis Augustiniani verum Professorem, sed pluries miratus sum iactantiam, vt mitissimè loquar, Philippi Labbei Iesuitæ Galli, aliàs eruditi, qui in secundo Tom. Scriptorum pag. 823. contra meum Elsium scribens, & excludens Amadeum, aliosque ab Ordine Augustiniano, testatur, quòd non ita egisset, si vllius probabilitatis vmbram in eo, similibusque, quos citare solet, Scriptoribus inuenisset. Certè ostendit vel non se legisse Scriptores, vel ignorare voluisse, quid sit vmbra probabilitatis. Legat eruditus Lector Æneam Siluium, Philippum Pingonium, Victorellum, Decretum Concilij Basileensis, à quo Amadeus Pontifex creatus fuit, & meliùs Libros duos Sabaudorum Ducum, Principumque Historiæ Gentilitiæ (Lamberti Vandemburchij Vltraiecti Decani, ex Officina Plantiniana 1599; & expresè videbit, Amadeum fuisse Eremitam regularem sub Regula S. Augustini; Habitum gestasse, non Canonicalem, nec Militarem (etiamsi verus fundator Militum S. Mauritij apparuerit) dicit enim Concilium, *Depositis Capuccio, & clamyde, quibus tunc vtebatur &c.* Superior Monasterij vocabatur Prior, etiamque cingulum

 gestabat

gestabat. Si hæc non est vmbra probabilitatis; quænam requirenda erunt ad conficiendum Corpus? Eritne neccessarium patrare miraculum Diui Stanislai Martyris, nempe pergere ad Amadei Sepulchrum, ipsumque surgere iubendo, in Iudicium ducere ad suam professionem testandam? Verum est, quòd fuit in habitu Amadei aliqua diuersitas in colore, & in forma à nostro, sed mea religio habet Neapoli Congregationem Coloritorum variantem in veste, & tamen est Augustiniana. De S. Fulgentio Augustiniano quoque protulit Auctor incognitus eiusdem temporis. *Subtus casulam nigello, vel lactineo Pallio circundatus incessit.* Ad quæ verba Baronius ad annum 504. *Quibus vides nullam apud eos discriminationem fuisse colorum, num albo, vel nigro Pallio vterentur, dummodò quem exhiberet in velleribus natura colorem, absque delectu eum in vestibus retinerent.* Sed pedetentim. Scio Labbeum in Indice eiusdem 2. Tom. de Scriptoribus Eccl. reponere D. Fulgentium inter eos, quos Benedictinos, Carmelitas, Augustinianos Eremitas, & Canonicos ad se trahunt inanibus coniecturis, aut falsissimis argumentationibus. Quid igitur proferam? Nil aliud, quàm quod Vir eruditissimus, hoc obseruans, dixit. Magis iuridicè vocandus est Augustinianus D. Fulgentius, quam Labbeus Iesuita. Prospiciebat enim Vir clarissimus, ita exprimens, ad ea, quæ in Libro *Fundamina Religionum pag.* 544. retulit meus eruditus Prosper Stellartius. Hæc tamen omittendo, concludo; Non esse inconcussum, Amadeum fuisse verum professorem mei Ordinis; Sed affirmare absque vlla probabilitate hoc asseri, non est, vti Labbeus iactat in Biblioth. Bibl. pag. 141. *Iuuenes incautos monere*, sed decipere, & veritatem obfuscare. Qualitates, & opera conspicua B. Amadei succintè enumerat Antonius Sola, vir grauissimus, apud Rossotum in Syllabo scriptorum Pedemontij; Ac etiam patent ex inscriptione apposita statuæ ipsius in Æde Cariniani erectæ mandante Principe Mauritio à Sabaudia, quæ est: *Amadeus à Sabaudia, nomine septimus, successione decimus-tertius, Ducatu primus, ter maximus; in puerili innocentia, iuuenili coniugio, senili Cælibatu, ter Pius; cum Filijs, cum Subditis, cum Vicinis, ter Pacificus; in Ducatu, Pontificatu, Legatione, ter Iustus; suorum, exterorum, Conciliorum acclamatione, ter Salomon; in Eremi cultu, ab Eremo exaltatione, ad Eremum reditu, ter Felix; Vita, obitu, miraculis ter Sanctus; Cum in Augustiniani Ty-*

rocinij

rocinij Carinianensis secretiori delubrò ad viuum ex pictus, immemorabili, sed priuata pietate coleretur; Mauritius Princeps à Sabaudia, ad maiorem Dei gloriam, populi Religionem, Regiæ Stirpis decus, ad propriam denique, quam semper ei præstitit venerationem, imaginẽ hanc, ab illa exculptam, publicè collocauit Anno MDCLVI. Plura iam fusè in Purpuris Augustinianis Cardinale 16; ideo hic prætereo. *Obijt Geneuæ*, uti scribit Pingonius apud Victorellum; *Idibus Ianuarij, Ripaliæ sepultus; miraculis post mortem clarissimus, inter Beatos creditus.* Deposito enim ad pedes Nicolai V. spontè Pontificatu, Episcopus Sabinus, Collegij Cardinalium Decanus, perpetuusque totiùs Germaniæ Apostolicæ Sedis à Latere Legatus, ac Vicarius Generalis creatus fuerat. In laudem, & defensionem B. Amadei aliqua profert Gaddius de scrip. non Ecclesiasticis Tom. 1. pag. 184. Scripta Amadei nostri, quæ extant, sunt:

Statutorum Sabaudicorum Libri quinque, anno sæculi illius tricesimo mensis Iulij die 17. publici iuris facti, quibus hic præfixus est titulus. *Nos Amadeus Dux Sabaudiæ Chablasij, & Augustæ Princeps, Marchio in Italia, Comes Pedemontium, Gebennensium, Valentinensis, & Diensis, Dominusq; Ciuitatis Niciæ, & Vercellarum.* Taurini 1487. fol. sine nomine Impressoris. Sunt in nostra Aprosiana Vintimilij.

Epistolæ, cæteraque id generis, quæ in sex voluminibus continentur, sunt in publica Geneuensis Ciuitatis Bibliotheca.

15. AMBROSIVS CALEPINVS Bergomensis. In sæculo Iacobus vocabatur, nobilis Trusardi Comitis Vallis Calepiæ filius. Per manus P. Simpliciani de Adraria sui Patrij Cœnobij Prioris anno 1458. Augustinianam vestem induit. Diuinarum, humanarumque Litterarum indagator accuratissimus, Opus egregium rara industria, diligentia, ac labore ex innumeris penè Auctoribus collectum, de vocabulorum notitia, ac Præpositionum interpretationę Græca, & Latina, cum bonorum Scriptorum auctoritate omnibus commune fecit. In ipso, non solùm quæ ad Litterarum Poetarum, & Oratorum notitiam plurimùm conferunt, sed etiam quæ ad Historicos, Medicos, Philosophos, Geographos, Doctoresque Ecclesiasticos, ac scientificos omnes pertinent, doctè satis, eleganterque explicauit, quæ profectò doctis, & indoctis magnum afferunt fulcimentum. Prima editio prodijt 1504; vel 1505. dicata Senatui Bergomensi. Secunda correcta & aucta 1509. sub auspicijs Gen. Ord. Viterbiensis Ægidij. Felix re verà, & fortu-

natum Opus, tot additionibus, ampliationibus, appendicibus; & linguis adauctum. Hoc tamen iure merito successit, Nam auctoritati, grauitati, & doctrinæ SS. Patrum Ambrosij, Hieronymi, & Augustini plus detulit, quàm Laurentij Valæ, Prisciani, & similium, ut ipse Calepinus in citata Epistola ad Senatum, Populumque Bergomensem fatetur. Laus igitur summa debetur famoso Calepino; qui primus inuenit fundamentum firmum, & principale, super quod tam excelsa & mirabilis moles ædificata cernitur, *quia facilè est inuentis addere.* Non obtinuit Ordinis gubernia noster Ambrosius, ea enim renuit, & despexit, quià ipsius genius impellebat eius ingenium ad conuersandum magis cum mortuis, quàm ad viuos regendos. Pluries tamen ab obedientia compulsus, aliquorum Conuentuum Pater spiritualis fuit. Illius familiaritas dulcis, & suauis apparuit: Scribit ideò Forestus: *Eius consuetudine, & suauitate fruor, his temporibus nobiscum dulciter cohabitantis.* Decrepita iam ætate, in qua mira pietate à fratribus complectebatur, quanquam cæcus euasisset, domestica studia nunquam reliquit. Vltimus dies Ambrosij fuit 30. Nouembris 1511; quidquid alij affirment. Pluribus, & condignis laudibus cohonestarunt Calepinum omnes Scriptores Ordinis, inter quos optimè Donatus Caluus Vic. Gen. Congr. Longobardiæ in Scriptoribus Bergomatibus pag. 32; & seq. inibi effigiem Ambrosij proferens, Trithemius de script. Eccl; Posseuinus, Gesnerus, Nouarinus in Encyclopedia Epistolari pag. 9. ad meum Zillium Maurocenum, Spondanus in Annal. Eccl. an. 1503, n. 14; Vghellus in Italia Sacra To. V; col. 586; plurimique alij. Achilles Mutius in par. 4. Theatri Bergomensis pag. 57. cecinit.

Aureliæ, duo sunt hi maxima nomina heremi,
Et benè de Latijs qui meruere notis.
Callepiæ sobolis prior est Ambrosius ille,
Ambrosia, & Nectar cuius ab ore fluit:
Omnia distincta vocabula classe redegit,
Hoc teriturque magis nullus in orbe Liber:
Assurgant operi tanto, gratoque labori,
Quæque legit Latium, Græcia quæque legit.

Ambrosij Calepini Dictionarium. Venetijs 1505. fol. Denuò 1509. in Officina Petri Liechtenstein fol. Postea Basileæ in Officina Curionis. Parisijs apud Giranult 1539. Basileæ apud Leonar-

dum Hospinianum 1544. Lugduni addita lingua Hæbraica, Gallica, & Germanica 1570. fol. Deinde alibi plusquam 100 vicibus. Cùm animaduertisset meus Augustinus Britinensis à Mondulpho S.T.Regens Venetus, nouis editionibus verum Calepini nomen ablatum fuisse, edere curauit sub hac forma: *Fr. Ambrosij Calepini Bergomensis Ord. Erem. S. Augustini Dictionarium septem linguarum. Venetijs apud Ioannem Guerilium 1612. fol.* Hanc editionem commẽdauit Henricus Farnesius Eburo I. C; & Artis Oratoriæ Ticini Interpres Regius. Vltimò vltrà editionem Parisinam, & Lugdunensem 1647. duobus Tomis in folio, prodijt pluries Venetijs etiam octo linguis exornatus, apposito distinctè nomine veri Auctoris. Dignum obseruatione est, quòd in defensionem eiusdem Dictionarij profert meus Illustris Antecessor P. Aprosius in prima parte Bibhiothecæ Aprosianæ pag. 604; & sequent.

Interpretamenta omnium Dictionum ab ipso in iuuenili ætate expositarum.

De laudibus Inclytæ Ciuitatis Venetiarum.

Fuit quoque Ambrosius non mediocris Poeta; scripsit enim Odas duas versu saphico, primam in laudem S. P. Augustini incipientem.

Quis tuos Præsul venerande gestus, &c.

Secundam in honorem B. Claræ de Montefalco:

Ecce quæ Falco generata Monte, &c.

Admonitiones ad Conuersos suæ Congregationis Elegia:

Discite Conuersi summum trepidare Tonantem.

Sanctaque perpetuò fundere vota Deo.

16. AMBROSIVS FLANDINVS Neapolitanus; S. T. D. litteris Græcis, Latinis, & Hæbraicis eruditus, necnon Theologus, & Concionator egregius, Philosophiæ, præsertim Academicæ valde peritus; Lutheri hæresum strenuus impugnator. Anno 1503. erat Lector Comitum Placentinorum de Landis, 1508; Regens Bononiensis, vt ex meo Hieronymo Ganardo eius discipulo. Regens Florentinus 1509; Regens, & Prouincialis Neapolitanus 1514; Vacante Ecclesia titulari Lamocensi per obitum D. Nicolai Grosseti Patauini Minoritæ, ad eam promotus est die 1. Aprilis 1517; simulque suffraganeus Mantuanus deputatus. Anno 1531; adhuc viuebat, vt infrà patebit. De viro hoc præcellenti satis benè scripsere Iosephus Pamphilus in Chronicis pag. 109; & Philippus Elsius ex eo; Petrus tamen de Alua Minorita, multa etiam, sed confusè To. 2. Bibl. Virginalis pag. 71. Ab ipso enim confunditur Ambrosius Florentinus Homo Dei cognominatus, cum Ambrosio isto Neapolitano, qui fuerunt duo, loco, & tempore distan-

distantes. Florentinus enim floruit, vt ex Pocciantio Seruita pag. 7. Catalogi scrip. Florentinorum deduxerunt nostri Historici, anno 1456; Neapolitanus verò Episcopus Lamocensis, vt etiam ex Vghello To. 1. Italiæ Sacræ pag. 940; ann. 1522. Notabile profectò est, Aluam obseruasse. Ambrosium in suo Quadragesimali pag. 292. meminisse Dantis Poetæ Florentini sub nomine nostri, qui modus dicendi est à pluribus vsurpatus, nempe nostri Itali,& non aspexisse, quòd in principio Litteræ Dedicatoriæ Marchioni Francisco Gonzagæ scribit: *Ambrosius Eremita Augustinianæ Familiæ Parthenopeus*; Et post Repertorium sententiarum non viderit litteram Marij Equicolæ Cardinali Sigismundo Gonzagæ, quæ sic exprimit: *Inter hos noster Ambrosius Neapolitanus fulget*. In eodem quadragesimali sæpiùs citat Franciscum Petrarcam, Marsilium Ficinum, Ambrosiumque Camaldulensem Florentinos, & nunquam dicit nostros, at citando Iouianum Pontanum pag. 307; scribit *Rectè itaque Pontanus ille meus*. Fuit ergo Ambrosius noster Neapolitanus; cuius in primo Claustro S. Augustini Neapolis conspicitur vera effigies, quæ vetustate consumpta, renouata fuit mandante benignissimo amico P. Bac. Bonauentura Rosa ex-Prouinciali, tunc Priore. Nicolaus Toppius pauca de eo scribit in Bibl. Neapolitana pag. 11; ex meo Herrera pag. 42. Nescio, quomodo perspicacissimus Herrera non prospexerit, ac cum eo Thomas Gratianus, nostrum Pamphilum de Ambrosio benè disseruisse. Reuerà omnes Scriptores similium Catalogorum aliqua, etsi clara, omiserunt, nec omnia viderunt; nosque, & posteri aliquando cæcutiemus. Ideò Auctores vt homines, & non, Angeli æstimandi sunt.: Ni malignè, & malitiosè scribant. Tunc enim redarguendi, imò despiciendi. Tria pulcherima Manuscripta Lamocensis asseruantur in nostra Vintimiliensi, de quibus distinctè: Primò tamen de impressis.

De Animorum immortalitate contra assertorem mortalitatis, nempè Petrum Pomponatium, Opus diuisum in quatuor Libris Card. Sigismundo Gonzagæ dicatum. Mantuæ 1519. 30. Martij fol. Viso Opere, antequam imprimeretur, à Pomponatio, in sua Apologia Bononiæ edita 1518. fol. lib. 2. cap. 1. scripsit: *Ambrosius Episcopus Lamocensis Mantuæ suffraganeus, Vir diuinissimus, ac per vniuersum decantatus*; & lib. 3. cap. 1. eum vocat Prædicatorem celeberrimum. Augustinus Niphus Philosophus decantatissimus in suo Libello de Imm. Animæ Venetijs 1518. apud

H. Soti

H. Scoti sic: *Ambrosius Partenopeus Heremitanus, sacratissimarũ Literarum Doctor egregius, & Antistes benemeritus*, in Lit. ad Leonem X.

Quadragesimalium Concionum liber, qui *Gentilis* inscribitur. Venetijs apud Heredes Scoti promouente Illustrissimo Francisco Gõzaga Luceriæ Domino 1523.8.

Quòd non sit abroganda Missa secundùm consuetudinem Romanæ Ecclesiæ ordinata, quòdque translatum sit à Christo in Petrũ, & Successores eius verum Sacerdotium, & denique quòd Missa sit Sacrificium, aduersus Lutherum Martinum Apologia M.S. fol. pulchris charact. in Bibl. Vintim.

Ambrosij Parthenopei Eremitæ Sacrarũ literarum professoris De Fato contra Petrum Pomponatiũ pro Alexandro Aphrodisæo Apologia. In Dedicatoria Clementi VII. exprimit, se fuisse apud ipsum Marchionis Mantuæ Francisci Gonzagæ Legatum, & rara benignitate exceptum. In Epist. ad Pomponatij Auditores, habemus notitiam eius cognominis, nominat enim se ipsum Ambrosium Flandinum, scripsitque in senectute, nam reponit: *Licèt enim, & libet aduersus hostem veritatis dimicare, qui veritati mortalia inferre vulnera satagit: quam tantùm cupimus illucescere, vt neque obtrectatorum linguam timeamus, neque laborem senes recusemus*. In eadem nostra Vintimiliæ M.S. fol.

De vera, & Catolica Fide conflictationes: Quibus artes primò, & doli aspidis surdæ, & Luteranorum deteguntur: Demùm quasi æneis tormentis infaustum, & infame monstrum nouem artubus compactum expugnatur. Opus dicatum Ioanni Matthæo Giberto Episcopo Veronensi. Ex fine libri habetur eum adhuc in humanis fuisse 1531. En verba *Coronidẽ huic libro impinximus Anno ab Orbe redempto trigesimo primo supra quingentesimum, & millesimum die 14. Martij, quem subijcimus Ecclesiasticæ Censuræ*. M. S. fol. ibidem. Tria hæc Opera sunt in forma dialogistica erudita valde, profundæ doctrinæ, ac eloquẽtiæ.

Adnotamenta in Platonis Alcibiadem, siuè de natura hominis, & de voto. Ad Comitem Planellæ Iacobum cognomẽto Probum. Incipiunt: *Procellens tua virtus*.

Commentaria in Parmenidem, vel de vno omnium principio, & de Ideis. Ad Federicum Gonzagam Marchionem Buzoli. Incipiunt: *si cui ab ineunte ætate*.

De Mũdi Genitura, vbi sex dierum Opera explanantur. Incipit *Gestiens ego vermiculus*.

Sermones per Aduentum usque ad Epiphaniam ad Federicum Gonzagam. Initium: *Qui triumphales Arcus, aut Columnas*.

Conciones super Salutationem Angelicam, & Canticum Mariæ. Initium. *Duo mihi Creditores*.

De tribus Magdalenis, & vnica Magdalena. Et alia. Mantuæ ex Pamphilo hæc omnia in Bibl. Sanctæ Agnetis nostri Cœnobij.

De eo Posseuinus in App; Marraccius in Bibl; & in Antistitibus Marianis. Alua in Bibl. Conceptionis incongruè diuidens in duos.

17. AM-

17. AMBROSIVS MASSARIVS de Cora in Latio, vnde Coranus, siue Coriolanus dictus, Ciuisque Romanus, praeclarus Historicus, Orator, ac Theologus. Apparens in somnis D. P. Augustinus Matri ipsius, eum pro sua Religione requisiuit: At cum illa renueret, visus est eidem rapuisse, & ante maius Altare reposuisse, dicens: Tu apud me stabis, & successor meus eris. Successum enarrat ipsemet Ambrosius in Defensorio Ordinis cap. 4; qui licèt suum nomen reticeat, tamen ex narrandi forma, ex qualitatibus, & ex margine operis à me in Monasterio Corano visi, expresse ipsum Ambrosium fuisse conspicitur. Anno 1463. Regens Perusinus, 1465. Neapolitanus, Prouincialisque Romanus 1466; & 70. Eodem anno Procurator Generalis constituitur. Postea 28. Martij 1476. Vicarius Apostolicus: Denique anno 1478. in die Penthecostes Comitiorum Generalium Romae Praeside Cardinale Estotuilla dignissimo, ac munificentissimo Protectore; ad totius Ordinis primariam sedem eleuatus fuit, & 1482. in Capitulo Perusino confirmatus. Anno verò 1485. inuidia, & prauitate Magistri Gasparis Vrbeuetani, aliorumque aemulorum circumuentus, per mensem in Mole Adriani detentus, deindeq; Monasterio pro carcere assignato, dimissus, ac à spe honoris, quo dignus erat, deturbatus, dolore consumptus, non post multos dies eodem anno 17. Maij Animam Creatori reddidit. *Vir*, vt testatur Tritemius, *in Diuinis Scripturis eruditus, & scientia Litterarum saecularium insignis, excellens ingenio, & eloquio disertus, doctus, & eloquens*. Causam ruinae Ambrosij explicat Panuinius in addit. ad Platinam in Innoc. VIII. *Magistrum Ordinis Augustiniani Ambrosium Coranum, ob veteres simultates, in Carcerem coniecit*. Ac clariùs Ciacconius Dominicanus in vitis Pontificum. *Anno* 1485. *Innocentius VIII; ob veteres simultates Fratrem Ambrosium Coranum Vicarium* (Priorem, non Vicarium) *Generalem Ordinis Eremitarum S. Augustini carcerauit intra Arcem S. Angeli, quòd dixisse ferebatur, Innocentium VIII. in tenebris fuisse natum, & in tenebris viuere, & in tenebris moriturum*. Verùm *has tenebras nouis, & crassioribus tenebris obscurauit* (inquit meus eruditissimus Herrera in pacifica Resp. pag. 381.) *R. P. Abraham Bzouius Tom.* 18. *Anno* 1484. Narrat enim, quòd, post Pontificium Decretum promulgatum 1484. dissidia vetans in Ordine D. Augustini, nempè inter Canonicos, & Eremitas, cùm edidisset

Ambro-

Ambrosius Defensorium Ordinis sui, Lateranenses Pontificem interpellasse, atque ita ad trutinam Librum expositum, igni fuisse adiudicatum, subditque: *Idem decreuit Innocentius VIII. Sixti successor, qui eumdem Coriolanum à iurgijs, & contumelijs, nec dum abstinentem carceri mancipauit*. Ex quo demum puteo aquam hauserit, expuit idem Bzouius. *Ita Celsus Maphæus Veronensis, qui tunc eam causam apud sedem Apostolicam pro suis Canonicis agebat, in Libro, quo eiusdem Coriolani oppositionibus respondit, Corollario 4. in fine, & Augustinus Ticinensis in Libello eadem de causa tunc edito, cuius titulus est, Clypeus veritatis*. Dubius quidem sum, an Maphæus, & Ticinensis sic retulerint: sed si ita est, Clypeum veritatis veritate transuerberabimus, & P. Bzouij insignem candorem admirabimur. In primis enim decretum Sixti IV. promulgatum fuit 1484; & Apologia Ordinis fuit scripta 1477; Romæque impressa 1481; vt infra patebit. Quomodo ergo verum erit, quòd Coriolanus ediderit Apologiam post decretum, cùm fuerit promulgatum 1484? Deinde quis credat, Librum igni adiudicatum à Pontifice, cuius damnatio in nullo Indice expurgatorio continetur, & cuius exemplaria in pluribus Bibliothecis, vt gemmæ, custodiuntur? Bonitatem igitur grauissimi Patris admiror, qui vnico haustu eas aquas potauit, quas turbidas esse vel deprehendere, vel saltem suspicari potuisset, quia ex lutuosis puteis Aduersariorum hauriebantur, videlicet ex Celso, & Augustino Coriolano contrarijs. Sciendum insuper est Innocentium VIII. viuæ vocis Oraculo Riario Cardinali Camerario facto, declarasse Decretum Sixti 4; vt in Bullario Ordinis pag. 324; in qua declaratione hæc, inter alia scintillant verba: *Possint publicè, & priuatè respondere, & se defendere in iudicio, & extra iudicium, & quòd Libri, ac tractatus per eosdem Fratres Ordinis Eremitarum, & pro eorum parte, & defensione contrà eosdem Canonicos Regulares, & eorum Libros, & tractatus, & quorumcumque aliorum pro eis hac materia confecti, & publicati, in suo robore permaneant, ac liberè scribi, vendi, retineri, & vti, ac largiri possint*. Non erat igitur Innocentius tam ardens in fauorem Bullæ Sixtinæ, vt hac de causa carceri manciparet Virum tam præclarum, tam doctum, ac de ordine meo benemeritum. Elucescit igitur assertum Panuinij, & Ciacconij. & obscuratur dictum Bzouij, & ipsius sequacis, seù posterioris Celsi Rosini Cæsennatêsis in Lycæo Canon. Regularium,

 vbi

vbi de Celso Maphæo loquitur, alibique. Celebrant condignis laudibus nostrum Coranum omnes scriptores Ordinis, & exteri sunt, inter alios, Trithemius de script. Eccl; Posseuinus in Appar. pag. 72; Gesnerus pag. 32; Simlerus pag.35; Petrus de Alua in To. 3. Bibl. Virginalis, & in Bibl. Conceptionis col. 60; Marraccius in Tom. p. pag. 64; Eques Mandosius in Rom. cen. 3. n.99; ac vltimò Robertus Gerio in Appen.ad Opus Caue pag. 315. Errarunt clarissimus Vossius Lib. 3. cap. de Historicis Latinis, & Aubertus Miræus de script. asserentes meum Coranum Dominicanum. Delendum itaque eius nomen est è Bibliotheca Dominicana Patris Ambrosij de Altamura.
En Catalogus Operum ipsius.

Commentarium super regulam S P. Augustini; Commendatio eiusdem Regulæ; De vita, & laudibus S. eiusdem Patris, ac Orationes tres in ipsius encomium; Defensorium Ordinis, seù Apologia contra Dominicum Taruisinum, & Eusebium Mediolanensem Cong. Frisonariæ Canonicos. Chronica Ordinis, vbi de Viris illustribus sanctitate, & doctrina, ac de Generalibus, necnon de Priuilegijs. Omnia hæc simul in vno Tomo non exiguæ molis. Romæ per Georgium Horolt de Bamberga 1481. fol.

Item Commentarij eiusdem, & Commendatio Regulæ, Vita S. Patris, ac tres Orationes in laudem, &c. dicati fuere Reuerendissimo Nicolao Friesz Episcopo Tripolitano Germano, mei Ordinis, Theologo celeberrimo à P. L. Tilmano Limperger. Argentinæ, impensis Martini Schott 1490. fol.

Deinde Orationes tres vt suprà vnà cum regula Carminibus Exametris, & Pentametris versa, cuius initium est:

Incipit Eximij Augustini Regula nostri. Patris, Eremitis, quam dedit ille suis.

In fine verò

Explicita est Patris Augustini Regula magni,
Quo Vrbs Hipponensis præsule clara micat.

Opera P. M. Augustini Carillo de Oieda apud Rom. Curiam Procuratoris Generalis, Romæ 1662. 4.

Sermo de Assumptione Virginis primùm Romæ apud Horolt, demum in Bibl. Virginali To. 3. pag. 588.

De Concept. B.V. Oratio edita est, vt testatur Fabianus Iustinianus in indice vniuers. verbo *Conceptio* pag. 101. M. S. sunt.

De Regimine Reipublicæ lib. 1. De inuentione Artium lib. 1. De Sphera Virginis lib. 1. De dignitate Sacerdotij lib. 1. De immortalitate Animæ lib. 1. De modo Orandi lib. 1. De Idea Lib. 1. De veritate Fidei Christianæ li. 1. De proprietatibus Angelorũ li. 1. De Scientia, & Sapientia Christi lib. 1. De essentia Dei. 1. De ineffabili verbo Dei. 1. De Circumcisione Christi. 1. Super pri-

mum Sententiarum. Super Libros Posteriorum Aristotelis. Super artem Veterem. De laudibus Vrbis Romæ. Sermonum Volumina duo de diuersis continent aliquos habitos ad Pont; & Card. aliaque multa.

Vita B. Christinæ de Vicecomitibus; Hanc existimo esse illam editam à meo Curtio, & à Bollando in secundo To. Februarij pag. 800.

18. AMBROSIVS QVISTELLIVS Patauinus Diuina, humanaque scientia celeberrimus, in suggestis Concionator clarissimus, meam Religionem suis lucidissimis virtutibus exornauit. Anno 1539. Ordinis Procurator, & absente Reuerendissimo Seripando, in Italia Vicarius Generalis. Publicè postea in sua Patria magna auditorum frequentia D. Pauli Epistolas, ac deindè Euangelium S. Ioannis explicauit, tali facundia, ac suauitate sermonis, vt omnes in admirationem raperet. Ad publicum Gymnasium adscitus, honores amplissimos assecutus est. Demum Romam à Cardinale Nicolao Rodolpho Protectore Ordinis vocatus fuit, vt à secretis, ac familiæ præceptor, & institutor adesset. Hoc vnico aliquando sperabat Paulus III. Germaniæ hæreses extinguendas, eoque vti Nuncio vsus fuisset, nisi podagræ doloribus acriter excruciatus, ante discessum, mors oppressisset, anno 1549. Iulij 8. De ipso loquuntur omnes nostri, nec non Posseuinus, & Verderius, ac præcisè, & encomiasticè Portenarius in felicitate Vrbis Patauinæ pag. 454; & Ghillinus in 2. To. Theatri virorum Litt. pag. 14.

Aduersùs Philosophos, qui asserunt diuinam Scripturã nequaquam posse percipi, nisi ab his, qui bonam vitæ partem in Aristotelis, & aliorum Philosophorum lectione contriuerint, Francisco Pisano Cardinali, & Patauino Episcopo dicauit. Venetijs excudebat Stephanus Sabiẽsis 1537. 8. Primò verò ibidem per Bernardinum Stagninum 1536. 8.

Modus prædicandi Euangeliũ, & Christum Crucifixum. Venetijs apud Stephanum Sabiensem 1537. 8, & denuò apud eumdem 1544. 8.

Super quatuor libros Magistri sententiarum To. 4. in fol.

Opusculum Apologeticum, seu controuersia inter Doctores de vnica, & tribus Magdalenis M S. in 4. Isti quinque Libri asseruabãtur manuscripti in nostra Perusina, sed Prior imperitus ann 1664. facta Patribus propositione eos, aliosque insignes D. P. Augustini, & Ven. Ioãnis de Lana, Augustinique Romani, vt emeret Libros impressos, alienauit.

Lectiones in D. Pauli Epistolas omnes M S.

Comm. super Aristotelem de Generatione, & corruptione; Sermones varij.

Omnia hæc manuſcripta, aſſerit Pamphilus permanere Romæ in Ordinis Archiuo.

19. VEN. ANDREAS BILIVS Patritius Mediolanenſis, Philoſophus, hiſtoricus, & Theologus celeberrimus, in vniuerſaque Italia eruditione, ſanctitate, & grauitate morum commendabilis effulſit, Is, cùm Latinam, Græcam, & Hæbraicam Linguas probè noſceret, ad multorum eruditionem quamplurima opera exarauit; incipiens enim à Grammatica, in omnibus Artibus, & liberalibus diſciplinis doctè, eleganterquè compoſuit tractatus varios: qui quonam in pretio extiterint, teſtatur ferè contemporaneus Ambroſius Coranus Generalis ſcribens: *In arte Oratoria alter Cicero, in Philoſophia ſecundus Ariſtoteles, in Theologia Patris Auguſtini perfectus pediſequus erat*. Anno 1425. in Comitijs Gen. Bononiæ habuit Andreas longam, & accuratam Orationem de Ordinis diſciplina. Anno 1432.erat Regens in eodem Cænobio Bononienſi, & dein Senis 1435.Vicarius Prouincialis; eodemque anno dicta in Ciuitate beato fine quieuit. Non potuit adeſſe in Florentino Oecumenico Concilio; vt teſtatur Elſſius, quia Concilium incepit Florentiæ menſe Februarij 1539. Ambroſius Coranus, Herrera, & Libet Collegij Theologorum Senenſium ibidem impreſſus apud Bonettos 1651. fol. ſcribunt Andream iuuenem è vita migraſſe; Poſſeuinus verò, quem ſequitur Elſſius ait: *Valdè ſenex beato fine quieuit, & in æde Diui Auguſtini ſepultus eſt*; Tamen viſo Compendio Scripturarum Monaſterij S.Auguſtini confecto à D. Antonio Seſtegiani Presbytero, & Ciue Senenſi,mandantibus, & nummos ſuppeditantibus aliquibus eiuſdem Ciuitatis eruditis Nobilibus, qui in vno Tomo magno fol.aſſeruatur in Bibl. S.Auguſtini Senarum, compellor aſſerere, noſtrum Andream obijſſe prope ſexagenarium: Nam in propoſitione facta ob prætenſam hæreditatem cuiuſdã Religioſi, qui obijt in S.Floræ Monaſterio 1401. 10. Aprilis Scriptura num.1322.iam Andreas nominatur S.T. Magiſter, & in alia num.1305;anno 1432.27. Octobris etiam S.Theologiæ Magiſter. Ex hoc igitur periti Chronologi iudicent. Ferunt hunc tantæ memoriæ tenacitatis extitiſſe, vt quicquid bis legiſſet,ſtatim memoriæ commendaret. Eruditus Aloyſius Nouarinus Theatinus in Vmbraa Virginea pag: 29. excur.3.loquens de excellenti dignitate Virginis, Opus M.S.noſtri Andreæ citans,poſt plures ſentẽtias ab ipſo excerptas,inſeruit hæc

ver-

verba: *Ita de Filij Dei in Virgineo vtero conceptione philosophatur Auctor iste. Quæ omnia ideo recensere voluimus, quia mentem nostram opportunè muniunt, & ne Lectori deperirent, & dignæ luce in tenebris cum alijs Auctoris operibus laterent.* Pasqualis Alidosius in Libro Doctorum exterorum, qui in Academia Bononiensi floruerunt, pag. 4. scripsit. Andreas Mediolan. Ord. Erem. anno 1423. Rethoricam docuit, deinde Philosophiam naturalem, & moralem vsque ad 1429. Pariter Doctor Theologiæ Collegij Bonon. creatus fuit. Alter Doctor Angelicus vocabatur, & peritissimus erat Linguæ Græcæ. Laudatur ab omnibus nostris, & præter supracitatos, etiam à Marraccio in 1. To. Marianæ, à Sixto Senensi in Bibl. Sancta, Abbate Philippo Piccinello in Athenæo Mediolan; Luca de Monteforti Ordinis Min. in suo Lib. *Domus sapientiæ* To. 2. Auctorum Indice, Vossio de Historicis Latinis lib. 3. pag. 551; Frisio; & ab alijs. Libri ab ipso exarati sunt.

Tractatus de Ordinis Eremitarum propagatione ad Fratrem Ludouicum. Incipit. *Non sanè videtur*. Citatur à meo Patre Emmanuelle Leal Lusitano in suo Opere Vlisypponæ impresso 1673. fol. pag. 368; asseritque esse impr. Parmæ 1601 4.

In Euangelia opus maximum, & volumine, & doctrina.

In primum sententiarum Opus imperfectum, cùm præueniente morte non potuerit perficere.

Ingens volumen sermonum ab Aduentu ad finem Quadragesimæ.

Principium expositionis in Genesim.

Annotationes in Terentium. In primum, & secundum Physicorum. Metaphysica eiusdem. Expositio, seù translatio ex Græca in Latinam linguam Physicæ Aristotelis.

Interpretatio ex Græco in Latinum Aristotelis de Anima. Omnia hæc adhuc permanere in nostra Bibl. S. Marci Mediolani, testatur meus Augustinus de Rubeis Genuen. in Indice apud me. Et subdit. *Hunc inuenio ex ipsius scriptis fuisse Illicetanum, scilicet ex lib de Anima.*

Commentarij historici de detrimento Fidei Orientis, seù de origine Turcarum ad Ioannem Cardinalem Episcopum Rothomagensem. Romæ in Angelica M.S. fol.

Quærelæ Pacis Lib. 1. *Etiam me de omnibus terris*. Hæc, & sequentia ex Pamphilo & Torello.

De Pace cum Philippo Duce Mediolanensium componenda ad Alphonsum Regem Aragonum. Lib. 1. *Sicut plerisque hac præsertim hominum ætate.*

Pro suscipienda in Boëmos expeditione Iordano Vrsino Cardinali. Lib. 1. *Nullo pacto adduci possum.*

De Concordia, & meritis Ordinum super Generali indulto Alexandri Papæ V. Lib. 2. *Multum, pater honorandissime.*

De

De disciplina Ordinis admonitio habita in Capitulo Bonon. Lib. 1. *Neminem puto*.

Admonitio ad Fr. Manfredum Vercellensem Ordinis Prędicatorum Lib. 1. *Nolo, aut tu, aut quispiam*.

Ad Barchinonenses de Littera H. in nomine IESVS. *omnes vt*.

De Pace, & Victoria Romanæ Ecclesiæ, ad Nicolaum Bonon. Card. ex Ord. Cisterciensi. *Non possum, Pater optime*.

De amore, ac magnitudine Crucis ad eumdem Card. *Vbi te inueniam, Deus meus*.

De Institutis Discipulis, & doctrina Fratris, nunc Sancti Bernardini de Senis Ord. Minorum. Lib. 2. *Forsan quidem ego nequaquam*.

De non necessario mortis metu Lib. 1.

Historiarũ Mediolanensiũ Lib. 1. Historiarum Longobardorum Lib. 1.

Sermonum diuersarum materiarũ Lib. 3. Dominicale, & festiuum. Lib. 2.

Hexameron, seù de mundi sex diebus condito, insigne commentarium, ait Sixtus Senensis, quòd vnà cum alijs eruditissimis eius operibus, nondum impressis in Bibl. Marciana mediol. habetur.

Exordia super practica Rhetorices Lib. 3. Orationum, & Epistolarum lib. 2. Grammaticæ, siue de 8. partibus orationis. Lib. 8.

De arte dicendi Lib. 3. Expositio super vniuersalia Porphirij; & Perihermenias Aristotelis. Com. super Lib. de anima Lib. 3. De Cælo, & mundo Lib. 4. Quæstiones in Libros de Anima lib. 3. In libros Physicorum Lib. 3. Interpretatus est quoque Libros Ethicorum Aristotelis.

Super *Missus est*, & canticum *Magnificat*, vt ait Marraccius.

20. ANGELVS Bellabuccus cognomine, Mediolani mundo primùm, deinde Religioni natus, vir fuit intellectus Angelici, operationibus ingeniosus, ac æterna memoria dignus. Floruit, vt testatur Pamphilus, anno 1522; vt Posseuinus 1525. Aliqua Opera edidit, inter quæ.

Viridarium S. Scripturæ Venetijs 1519. 4. *alibique*.

Eum commendant Crusenius par. 3. cap. 36; Gratianus, Herrera, Elssius, ac Torellus, etiamque Piccinellus in Athenæo Mediolani pag. 31.

21. ANGELVS DE CAMERINO S.T. Magister, vir doctissimus, qui anno 1295. in Capitulo Senensi, ac in concurrentia magni Ægidij habuit disputationes generales; Philosophus, & Theologus, ac perfectus Poeta Tuscus, vt ex 2. To. Historię Vulgaris Poesis clarissimi amici Abbatis Crescimbenij patebit. Anno 1295. 16. Kal. Ianuarij à Bonifacio VIII. Infulam Calliensem Vmbriæ obtinuit. Post duos annos ad

Cathe-

Cathedram Fesulanam in Etruria translatus. Anno 1298. Magnifico Corso Donati locauit Castrum Ferioli; & 1299. 29. Nouembris simul cum Episcopis Florentino, & Pistoriensi nouis tertijs muris Florentinæ Ciuitatis primum lapidem apposuit. Anno 1300. 4.Idus Aprilis Fesulanam Infulam resignauit, cui Bonifacius VIII; ne dignitas Episcopalis vilesceret, Ecclesiam Larinensem Neapolitani Regni in administrationem contulit. Quo anno obierit, hucusque non apparet. Eum memorant omnes Scriptores Ordinis cum laude, inter quos etiam Ghirardaccius To.1.Lib.10.Historiæ Bononiensis. Externi autem sunt: Vghellus To.2.Italiæ Sacræ col.903; & To.3. col.327; Villanus Lib.8.cap.31;Iacobillus in scriptor. Vmbriæ pag. 43;Posseuinus, Scipio Ammiratus, & plures alij.

Opera, quæ asseruantur in Bibl.Angelica, & Florentina sunt.

Expositiones in Euangelia Lib. 4.

Lectura in Magistrum Sententiarum Senis, & Bononiæ habita.

In Epistolas D.Pauli. Lib.14.

In vtramque Philosophiam.

Sermones ad populum. Scriptura Fratris Angeli de Camerino Ordinis Erem. S.Augustini super librum prædicamentorum Fol.Paduæ in Bibl. S. Antonij ex Thomasino pag. 54. Aliaque.

22. B. ANGELVS DE FVRCIO Neapolitanus. In Prouincia Aprutina, Oppidoque Furcis Diæcesis Theatinæ, natus est 1246. Pater ipsius Adaliptus, Mater Albitia vocabantur, ac steriles erant. Angeli nomen ab Archangelo Michaele, à quo eum Parentes ex Voto receperunt, accepit. Litteras didicit in Monasterio Ordinis S.Benedicti sub Auunculo Abbate. Habitum Augustinianum induit in Cœnobio Terræ Vasti Aymonis, in quo copia Fratrum erat moribus, scientia, miraque sanctitate fulgentium. Post emissam professionem sedulò studijs, & pietati vacabat: Cunctis autem miseris erat benignus, sibi solùm austerus, macerabat se ieiunijs, castigabat vigilijs, domabatquè disciplinis. Anno suæ ætatis 25. missus fuit ad Parisiense studium. Tunc enim temporis magistrali honore fungebatur B. Ægidius Romanus, Doctor luculentissimus, cui complacuerunt scientia, vita, & mores Angelici Fratris. Ab eodem Ægidio munus Lectoris obtinuit, ac posteà in Italiam remeauit. A B. Clemente Auximano Generali factus est S.T. Lector in Conuentu Neapolitano, & exceptus ibidem magna cum lætitia Neapolitanorum Ciuium. Sub eius doctrina multipli-

tiplicatum est studium, & studentium numerus adauctus. Instantibus deuoto Clero Neapolitano,& Populo, vt scribere dignaretur, *Super Euangelium Matthæi*, asserentibus, quod, licèt Euangelium ipsum multifariè, & sufficienter ab alijs sit expositum, ex speciali tamen deuotione, quam ad eius gerebant doctrinam, cupiebant ex eodem Euangelij stylo tanti Patris pabulo saginari. Eorum deuotioni, & desiderio,iustisque præcibus, quod poscebatur, decreuit implere. *Cepit ergo, & aggressus est Opus tam altum, & Diuino fultus auxilio ad finem perduxit*. Tertio anno sui Doctoralis regiminis comperta ab vnoquoque fratre eius sanctitate, zelo iustitiæ,animi mansuetudidine, charitatis feruore, &c. in Priorem Prouincialem elegerunt, approbante B. Clemente Generali, remanente tamen eidem supradicti Studij doctoralis cura,& regimine. Eius vitæ fama,ac scientia cũ Prouincias Terræ Laboris, & Apuliæ repleuissent, à duabus Ecclesijs Accerrarum, & Melphiæ Episcopus vt esset, postulatus fuit; sed humillimè recusauit. Tandem diem clausit extremum Neapoli in Cœnobio S. P. Augustini anno 1327. 6. Februarij, ibìque sepultus in Arca Marmorea, quæ nunc ferè occulta remanet in dextera parte laterali Ecclesiæ, quia nouum Templum non adhuc ad perfectionem eductũ est. Eius sacrum Sepulchrum multa languentium corpora ad sanitatem restituit. Plura alia dabit Auctor Anonymus apud Bollandum To. p. mensis supranotati à pag. 927. vsque ad 931; ac Torellus in To. V. sæculorum Aug. à pag. 430. usque ad 436; quique reponunt orationes, & Hymnos recitari consuetos in Ecclesia Vasti. Iure igitur à Toppio inter Scriptores Neapolitanos recensetur, sed nihil de eo narrat. Ipsius meminerunt Ferrarius in Catalogo Generali SS. 8. Id. Februarij, Cæsar Eugenius Caracciolus in Neapoli sacra, & ferè omnes nostri, qui tamen nihil scripsisse perperam dicunt.

23. ANTONIVS DVLCIATVS Florentinus, Augustinianæ Familiæ decus: vir admirabili ingenio, doctrina singulari, & eruditione exquisita, S. Galli Florentiæ Prior, ac Concionator fertilissimus. Hic promotor fuit mutationis Calendarij: Licèt enim opus anno 1582; in quo Calendarium Romanum à Gregorio XIII. emendatum apparuit, Aloysio Lilio Medicinæ professori tributum fuerit, fatebatur tamen iste, à nostro Antonio Dulciato Florentino se excepisse; vt etiam reuoluendo primum Librum Dulciati infrà notandum quisque

prospi-

prospicere potest. Huic dignissimo Religioso dicauit suum Opus de Computatione annorum Domini Ioannes Maria Lucidus Dominicanus, qui fuit de Tolosanis ex Colle vallis Elsæ. Cùm itaque Opus de emendatione temporum, in quo supradictum de Computatione includitur, impressum sit Venetijs 1537. apud Lucam Antonium Iunta in 4; asserendum est, nostrum Dulciatum floruisse ab anno 1512. vsque ad 1537. Ipsum celebrant omnes nostri, etiamque Poccianitus Florentinus pag. 17; & Posseuinus pag. 104; ac amici mei Augustinus Oldoinus, & Ioannes Cinellius Doctor Medicus in M. S. Scriptorum Etruriæ. Omnes qui de nostro Dulciato scripserunt, primi Operis editionem ignorarunt, præter Verderium in Appendice Gesneriana: Ipsam vidi in nostris Bibliothecis Martiniana, & Ilicetana Senarum. Meus Ambrosius Frigerius in primo capite vitæ D. Nicolai Tolentinatis vocat Dulciatum Concionatorem egregium. En ergo Opera.

De Festis mobilibus, ac Astronomia Clericali in tres partes diuisum. Prima inquisitiones decem continet, secunda tabulas totidem, & tertia capita quinquaginta. Opus impressum vsque ad litteram G. Regij Longobardiæ anno Domini 1512. per Hieronymum Rogerium Ciuem Regẽsem. A Litt. verò G. in finem Florentiæ, per Ioannem Stephanum Papiẽsem 1514. quinto Idus Nouemb. fol.

Vita D. Nicolai Tolentinat. miraculorum patratoris, Italica lingua, dicata Gabrieli Martinengo Priori S. Agnetis Mantuæ eiusdẽ Congregationis Aug. Florẽtiæ apud Bernardum Zucchetti 1525. in 4.

Opusculum de Reformatione Ritus celebrationis Festorũ Dulciati. Florentiæ per Michaelem Angelum Bartholomæi Florentinum, anno Domini 1519; Idibus Iulij 4. Pag. 4. scribit: *Hac de re olim plura colloquia habita sunt in Concilio Basileæ, & nouissimè temporibus istis in Lateranensi sub SS. Leone X. Summo Pontifice, cui Corneti octauo kalendas Nouembris 1515. manu nostra Opusculum de huiusmodi materia à nobis editum obtulimus. Quia ergo circa hoc nihil innouatum est, quum sæpiùs circa hunc ritum plures audierimus dubitasse, post Opus nostrum de Festis Mobilibus, & præfatum, libuit nobis in isto breui Compendiolo notare, quæ de hac re sentiamus, &c.*

Antonij Dulciati de Calendarij correctione M. S. in pergamena Plut. 29. Bibl. S. Laurentij Florentiæ; in eius principio deficiunt paginæ 9. non sine detrimẽto. In fine hæc apparent: *Et sic patet, qualiter ritus Romanæ Ecclesiæ in centum annis deuiet semel, & sexagesies à Decreto Synodi Nicenæ, & semper cum deuiat Pascha vlterius, quam deberet vna, aut quatuor, vel quinque recolat hebdomadibus*. Ac demum concludit:

Hæc sunt Beatissime Pater, quæ ad tuam Sanctitatem scribenda occurrerunt, quorum omnium te arbitrum, & Indicem exquirimus; cuius est ea, quæ nostræ sunt Fidei, declarare. In quibus si defecimus, tu pro tua clementia veniam dabis. Non enim vt aliquem carperemus, vel quod nos aliquid esse putemus; quum nihil simus, sed vt bonis, verique consuleremus, & nostris sententijs expositis per Sanctæ Synodi Lateranensis discussionem, an rectè, vel nè sentiamus: nostramque in tuam Sanctitatem seruitutem hoc nostro Opusculo manifestaremus: Quam omnipotens Deus diù felicè conseruet. Nec mirabitur tua Sanctitas, si qua in eo offenderit dissona his, quæ in opere præfato de Festis mobilibus diximus, sed meminerit antiquam consuetudinem Ecclesiæ ibi nos fuisse sequutos: Hic verò nouæ reformationis Kalendarij formam insinuare voluisse. Florentiæ apud S. Gallum Idibus Decembris Anno Dominicæ Incarnationis 1514.

24. ANTONIVS MELIVS Cremensis Patritius, non Cremonensis; vt plerique errando scribunt. Ad Religionem, & Congregationem Insubricam illustrandam ingreditur 1479. In ipsa statim virtutum summè amator, vitiorumque hostis acerrimus enituit; ac non multò post fundatissimus Theologus, consummatissimus Canonista, Concionator præclarissimus, sacrarumue Scripturarum scrutator indefessus etiam ad discipulorum, & Religiosorum profectus euasit. Inter fines tamen Italicos non se restrinxit fama excellentium qualitatum nostri Melij, sed cùm Nuncius extraordinarius Venetæ Reipublicæ Oras Germanicas, & Gallicas peteret, eum requisiuit, & obtinuit à Vicario Generali Thaddæo de Ipporegia, ac secum summa consolatione duxit. Cùm Parisijs moraretur Antonius, inter alia omnibus admirationem pepererunt conclusiones ab ipso expositæ, & disputatæ in materia de Vsuris ad mentem autentici Doctoris Gregorij Ariminensis, ex Tractatu de imprestantijs Venetorum; quia neque, si titulum huius Tractatus Gregorius edidisset, agnouerant. Hac de causa, post reditum in patriam, eum extraxit ab antiqua nostra Biblioteca Cremonensi; ac anno 1508. impressioni tradens Parisios transmisit. Tot Disputationes, & Controuersiæ à nostro Antonio confectæ oculos Sorbonicorum Doctorum rapuerunt; quapropter, ne meritum ipsius corona careret, Parisiensem Doctorem crearunt. Vltra eamdem Vniuersitatem, etiam Bruxellensem, ac præclarissimam Louaniensem illustrauit: vnde non absque fundamento scripsit in *Libro de vero, ac legitimo intellectu Priuilegiorum* ad Deffinitorium suæ Congregationis.

gationis. *Super quorum tenoribus, & efficacia, tùm in pluribus Italiæ Ciuitatibus, tum Lutetiæ Galliarum, tum etiam Louanij, & Bruxellæ, alijsque Flandriæ Vrbibus sciscitatus, & oretenus; & scriptis Consului sæpe in facto, & peritorum in palestra disserui*. In Italiam redux, per Breue Iulij II. utriusque Iuris Doctor creatus est. Anno 1512. cùm verbum Dei in Regiensi Vrbe gloriosè, & vtiliter disseminaret, ciuile Bellum, & cruentas factiones inter Nobiles, & Ciues sedauit, extinxitque. Biennio vti socius Vicario Generali 1497; & 1500. inseruiuit. Ter fuit visitator, quaterque Deffinitor: Demum 1516. Vicarius Generalis; quo in gubernio eius doctrinam, integritatem, & prudentiam omnes suspexere. Exorta lite præcedentiæ inter Minores, & meos Augustinianos, ad instantiam Reuerendissimi Gen. Gabrielis Veneti, qui eum sua præclara, & encomiastica Epistola, à meis Caluo, & Torello reportata, exortatus est, Romam transmigrauit, ibique strenuè se gessit, & aliqua in Ordinis spiritualem vtilitatem obtinuit. Cùm denuò in Patriam regressus P. Alphonsus Mussius Vic. Generalis curam, & Monialium gubernium ad ipsum per Pontificium Breue directum, Antonio nostro resignasset, his usus est verbis: *Non opus est, vt virtutes vestras celebremus, quia manifestæ sunt: non mores, non doctrinam, non sapientiam, non denique integritatem, & affectum ad vestrum Ordinem, quoniam id iam pridem compertum habemus*. Creatori suo animam reddidit, cùm esset Prior Cremæ anno 1528. 12. Septembris. Omnes Scriptores Ordinis eum commendant, & Posseuinus pag. 111; ac Petrus de Alua in Bibl. Conceptionis col. 109. Nullus verò meliùs explicauit qualitates nostri Melij, quàm Donatus Caluus Vic. Gen. Insubriæ in memorijs Historicis suæ Cong. lingua Italica pag. 207; & seq. Vtinam indicasset locum, & tempus impressionis Operum, sicut innuit, impressa fuisse. Quæ exarauero, meus labor expiscatus est.

Scala Paradisi, seù Italicè sic. *Vita contemplatiua, lettione, meditatione, Oratione, e contemplatione, Scala del Paradiso, intitolato con espositione mistica di Historie Diuine &c.* Brixiæ 1527.4. denuò disposita per R. P. Hieronymum Gratum de Cremona. Cremæ 1611.4.

De potestate dispensandi, & absoluendi Fr. Antonij Melij impr. vt testatur Ioannes Baptista Zilettus in Indice librorum Iuris Cæsarij, & Pontificij Venetijs 1566. pag. 45. De hoc nihil Caluus.

Tractatus de Gabellis, & alijs Laicorum exactionibus ab Eccle-

fijs, & Ecclesiasticis personis non exigendis 1506.

De impreltantijs Venetorum, & de vsuris, Gregorij Ariminen; cum duplici Præfatione nostri Melij, vna ad P. M. Innocentium Astensem S. T. Professorem Parisinum. Regij Emiliæ, apud de Mazala 1508. 4.

Tractatus de vero, ac legitimo intellectu Priuilegiorum.

Lectio prima, & breuis introductio, quasi prima elementa præbens iuuenibus, qui in Iure Canonico studere incipiunt.

Tractatus super Orationem Dominicam. De Libero arbitrio contra Lutheranos. De valore Priuilegiorum in casibus reseruatis.

25. ANTONIVS RAMPEGOLVS Genuensis, ingenio præstans, & clarus eloquio, ac inter Concionatores sui sæculi Princeps, nec non in Iure tam Pontificio, quàm Cæsareo, sacraque Scripturæ valde peritus. Hic, vt ex meo Ghiradaccio in 2. part. Hist. Bononiensium ad ann. 1414; in nostro Bononiæ Collegio studijs incubuit annis quinque (vtinam tempus innuisset; nam aliqua sequentia meliùs elucidarentur) asseritque fuisse in Constantiensi Concilio cum pluribus alijs viris præclaris Augustinianis. Non ergo solùm Crusenius hoc testatur, vt ob hanc causam subdubitat Herrera. Liber cuiusdam Anonymi nostri vltra 200. annos, qui in membrana manuscriptus asseruatur Sauonæ in Cœnobio S. Augustini, eum ad annum 1343. memorat sic: *Deinde mense Decembris eiusdem anni, de mandato Reu. Patris Fratris Antonij Rampegoli Ianuensis Vic. Generalis empta fuit vinea quædam extra portam Ciuitatis (modò S. Luciæ) & incepta fuit nostra Ecclesia S. P. Augustini in præsentia Episcopi Gerardi &c;* ac post aliqua sequitur: *Intereà Sermones R. Patris Fratris Antonij Rampegoli populo ita gratissimi erant, quòd relictis omnibus alijs Prædicatoribus, ad eumdem omnes auidè confluebant: Quippe ad virum perdoctum, & elegantem, qui Librum figurarum Bibliæ pulcherrimũ edidit.* Hæc dicta vera esse non inficior; cùm tamen Ordinis regesta solùm Rampegolum nominent anno 1389; ac 1390. asserant à Magistro Simone de Cremona Genuæ in Conuentu S. Augustini Lectorem institutum, impossibile est, ipsum fuisse Vicarium Generalem 1343. Vt autem hæc omnia conueniant; existimo Anonymum Scriptorem de fundatione intra mænia, quæ circa 1400. euenit, non verò de prima loqui velle. Fuit itaque Rampegolus 1390. Lector sacræ Theologiæ Genuæ, demùm Pataui, Bononiæ, ac Neapolis. In Constantiensi Oecumenico strenuè se gessit contra Hussitas, eique interfuit

terfuit nomine nostrę Genuensis Reipublicæ. Quo anno mortalitatem exuerit, incertum est. Modò aliqua exponam ad defensam Operis Figurarum Bibliorum mei Rampegoli. Si Antonius Posseuinus Iesuita (qui in Apparatu Sacro tam ardenter censurauit dictum Opus, vtpote ab Hæreticis varijs erroribus obscuratum, & mendis pluribus infectum; adeout dixerit, quòd nouum condere, quàm antiquum emendare facilius esset) vidisset editionē Venetam Georgij Arriuabenij correctam, & emendatam à Magistro Antonio Zerra Senense mei Ordinis, certè nunquam ita præscripsisset. Imò prospexisset, quòd nosmetipsi nostra corrigimus,& deprauata reintegramus, & illustramus. Proferam Epistolæ ipsius partem, vt veritas resplendeat: *Fr. Antonius Zerra Senensis Theologo clarissimo Magistro Paulo de Spoleto S. T. dicit. Euenit crebrò, Pater amplissime, vt imprimendis Libris, aut correctorum nescientia, aut impressorum permodica attentione, eorum, qui in enodandis, enucleandisque Sacræ Historiæ difficultatibus, non sine maximis, ac diuturnis lucubrationibus, vt de se aliquid memoriæ posteris relinquant, solerti studio non paruos subiere labores, famam imò, & auctoritatem aliqualiter denigrari, & exinde parui fieri conspiciamus, quod in præsentis Opusculi Auctorem, maxima eius, & Religionis nostræ, qui plurimo fuit decori, ac ornamento, cum iniuria, luce clariùs factum cùm animaduertissem, maxima cum solertia, attentioneque illud pluries voluens, ac perlegens, mendas omnes, ac errores, & si quid superflui erat, pro ingenioli mei viribus abradens, quodque deficeret, subnectens (id enim si priores eius inspexeris impressiones, facilè cognosces) vt impressioni iterum mandaretur, curaui, quod & effeci &c.* Post editum Ex purgatorium Clementis VIII; iterum Opus correctum fuit à Magistro Aurelio Plumbinensi Bononiæ Regente, vt asserit dictus Gherardaccius, dicatumque suis Studentibus Bononiensibus, sicut Rampegolus fecerat suis Neapolitanis. Quod autem à Sixto Senense vocetur rude, & impollitum Opus, non est cur valdè curemus; nam tot editionum multiplicatio, vt in manibus omnium Eruditorum volitaret, contra ipsum reclamat. Anno enim 1540; quando exiuit editio Veneta Ioannis Antonij Vulpini, in principio appositum fuit. *Post omnes impresſiones vbique terrarum excussas*. Encomiasticè, vt decuit, de Rampegolo locuti sunt omnes nostri, inter quos Forestus Bergomensis in supplem.ad annū 1355. reposuit:*Declamator sui seculi*

famo-

famosissimus, & celeberrimus, etiam ipse hæc tempora prædicando, & docendo, monendo, & castigando clariora reddidit. Qui & Christianis populis ad benè beatèque viuendum verbo pariter, & exemplo, quoad vixit, incessanter viam optimè ostendit. Alieni laudantes sunt Trithemius, Petrus de Alua in Bibl. Virginali To: 3. pag. 1; satisque benè, & in Bibl. Concep. col. 119. Sixtus Senensis, qui etiam ait: *Claruit in Concilio Costantiensi contrà Hussitas disputans.* Abbas Iustinianus, Raphael sopranus, ac Oldoinus in Liguriæ scrip; Gesnerus, & Frisius in Vniuersali, ac vltimò Robertus Gerio in sæculo Synodali pag. 301. Opera exarata à Rampegolo, sunt:

Figuræ Bibliorum editæ per Eximium Theologum Fratrem Antonium Rampegolū de Ianua. Mediolani, per Vdericum Scizenzeler 1494. 8. Parisijs Typis Andreæ Bocard. 1497. 8. Venetijs per Georgiumde Arriuabenis 8. 1496 ac per eundem 1500. Per Cæsarem Arriuabenium 1510. 8. Posteà Parisijs, per Fr. Regnault 1506. 8. Lugduni, Coloniæ, Basileæ, Bononiæ, & alibi pluries. In editione Lugdunensi Gulielmi Rouilij 1578. 8. Adest Epistola Auctoris excusatoria, malè ablata in alijs impressionibus. Post correctionem Coloniæ editæ sunt apud Heningiū 1609. 8. Deinde ibidem 1618. 16. Lugduni 1615. 12. In his etiam malè derelicta Epistola Dedicatoria ad suos Studentes Neapolitanos.

Aureum Bibliorum Repertorium continens locos Communes de Titulis Theologicis impr. in Germania in 4. ait Gesnerus.

Biblia aurea impr. Parisijs 1513. per Ioannem Petrum in 4; ac Bononiæ 1628. 8. eamdem esse putant cum Figuris Bibliorum supranotatis. Sed visa forma, qua vtitur meus Paulettus Montalcinensis in ea citanda, præcisè in Sanctuario Dominica prima post Pent. pag. mihi 220. diuersam iudico à Figuris.

Dictionarium pauperum, & Speculum saluationis humanæ prodierunt cum supradictoLibro. Parisijs 1497. 8.

Opus Casuum Conscientiæ, & ipsius quadragesimale pulchris caracteribus manuscriptum vidit Herrera Genuæ apud Magistrum Fulgentium Baldanum.

Sermonum Volumina aliqua, quibus Concionatores vti consueuerant, testantur Forestus, Pamphilus, & Ghirardaccius.

Figurarum moralium Compendium In Ambrosiana M. S. vt Sopranus ait.

26. AVGVSTINVS ASCVLANVS, seu de Asculo Piceni Ciuitate, Doctor in omni genere dicendi clarus, in concionando gratissimus, Regens Sacræ Theologiæ Patauij, vt ex sequenti M.S. elucet. Is verè fuit de quò Herrera in Ministris Pōtificum, & Regum pag. 49. scribit: *Augustinus de Asculo anno 1297. à Bonifacio VIII. constituitur Apostolicus in toto terrarum Orbe*

Orbe Confessarius. Extat Papæ rescriptum in Archiuo Conuentus Asculani. Aliunde Augustinum hunc non agnoui. Benè non agnouisse confessus est; quia posteà inter Scriptores eum distinguit, putans diuersum, & quod deterius est, confundit cum alio reuerà distincto, qui anno 1430;34;& 36. fuit Præses, & Vic.Generalis deputatus Capitulorum Prouinciæ Marchiæ Anconitanæ, qui,quod sciam, nihil edidit. Errauit quoque Pamphilus, & cum eo omnes Scriptores Ordinis (præter Coriolanum nihil de tempore asserentem) quia dixere floruisse 1385. Floruit ergo noster Asculanus plurium operum Scriptor annis 1294;&1297. Schiphouuerus in Chronicis citatis in Ægidio Columnio hæc reposuit: *Circa illa tempora (nempe an.1367.) claruerunt quatuor Doctores Excellentissimi. Primus fuit Fr. Augustinus de Esculo Doctor quidem in omni dicendi genere clarus. Edidit super sententijs commentum dignissimum: In moralibus, & in Sacra Scriptura multa quidem digna opuscula.* Manuscripta eius sunt.

Sermones Fratris Augustini Esculani Ordinis Eremitarum ad instantiam Scholarium eiusdem Ordinis in studio Patauino 1294. 4 ch. vet. In nostra Patauina ex Thomasino pag.75.

Postilla Fratris Augustini de Esculo Ord. Eremitanorum S. Augustini fol ex pagina 71.

Augustini de Esculo Ord. Eremitarum sermones 4. memb. in Bibl S.Ioannis, & Pauli Veneta, Thomasinus pag. 22. Facilè idem cum primo Opere.

ExpositioEuangeliorum totius anni in Bibl. S.Francisci de Vinea Venetijs ex To.p.105.

Super quatuor Libros sententiarum Libri quatuor.

Super Libros Physicorum Aristotelis.

Super Genesim moralia quædam lib.1.

Lectiones plures super Scripturam Sacram. Lib.1.

Supradicta, vt asserit Pamphilus, asseruantur Bononiæ, & Florentiæ in Bibl. Seruorum, & Minorum. Nominatur à Posseuino pag.144. & à Frisio pag. 91.

27. AVGVSTINVS DE CAMPELLIS de Leonissa, vir doctus, & tum diuinis, tum humanis disciplinis perpolitus, in S.Theologia Baccalaureus, & Magister Biblicus; Ab Eugenio IV. electus fuit Episcopus 16. Kalen. Martij 1435. Ciuitatis Bonensis in Calabria, quod plures pro Apostolica Sede exantlasset labores. Vix per procuratorem Sedis suæ possessionem inierat, cùm sæua mors à mortalium numero eum abstulit. Romæ namque mortuus est eodem anno die 22. Augusti, sepultusque in nostra S.Augustini Ecclesia ad portæ majoris limen, vbi effigies marmorea cum gentilitijs stemmatibus eiusdem perspicitur,

tur, infra reportata. Hunc virum egregium, illum esse existimo, qui super Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam Sermones edidit. Primò enim sciendum est, quòd error lapidis sepulcralis eum vocantis *de Gonessa* errare fecit omnes sic scribentes, quia non de Gonessa, sed de Leonissa Oppido in Aprutio vlteriori in limite ditionis Pontificiæ inter Ciuitatem regiam ad Ortum, & Casciam ad Occasum, fuit Augustinus; Idem esse, ac Gonessa corruptè, patet ex Pamphilo, qui pag. 70. iam scripsit: *Augustinus de Gonessa Prouinciæ Vmbriæ*. Etiam Constitutiones Ordinis editæ Romę 1649. Monasterium Leonissę vocant de Gonessa. Hunc tamen errorem iam notauerat Toppius in Bibliotheca Neapolitana, & Torellus in Sæculis ad annum 1435. Secundò, qui supradictos sermones edidit, cum in M.S. nihil aliud vidisset, nisi *Sermones Augustini de Leonissa*, sub illo nomine impressioni tradidit, nil aliud exprimens, quia ipsi ignotū. Tertiò nec Iacobus Frisius, qui primus meminit, nec Anastasis Augustiniana tempus assignant, in quo floruerit, solus Marraccius forsan ex proprio Marte, scribit floruisse circa 1400. Cùm ergo etiam illo sæculo floruerit noster Augustinus Episcopus, & fuerit Leonissanus, doctor in sacra pagina, ac etiam difficilè sit in eodem paruo Cænobio eodem tempore duos celebres Augustinos extitisse: Qua de causa Augustino ferè ignoto assignandum Opus, cùm habeamus cognitum, & præclarum? Accedit, quod de hoc diuerso ideato nihil apud Pamphilum, diligentissimum Herreram, ac eruditum Torellum. Non sine fundamento igitur tribuo Augustino Episcopo Bouensi sequens opus eruditum:

Sermones quinquaginta super Orationem Dominicam & viginti octo super salutationem Angelicam. Coloniæ 1503.8. *apud Martinum de Verdana; errauit Marraccius scribens* 1404. *Errorem tamen impressoris puto*. Memorant Augustinum Vghellus To. 9. col.460. Marraccius To.1.Lit. A. Iacobillus pag. 57; Nicolaus Toppius pag.4; Frisius pag.97; & Ioannes Scraderus in monum. Italicis pag.114 hæc proferens. *Hic iacet corpus Reuerendissimi in Christo Patris D. Augustini de Gonessa Ordinis Erem. Episcopi Bouensis qui obijt an. MCCCCXXXV. die* 22. *Augusti; cuius anima requiescat in Pace*.

28. AVGVSTINVS CAPPELMAIR Germanus Prouinciæ Bauariæ, Vir insignis, cuius meminit clarissimus Ioannes Eckius, qui in illis turbinibus nouæ pseudodoctrinæ, vt splendor veræ fi-

ræ fi-

tæ fidei elucefceret, infignes edidit tractatus, præcipuè opus eruditifsimum Ingloftadij *De littera occidente, & fpiritu viuificante*. Huic eximio Religiofo fidem Catholicam conferuatam in fua Bauaria frequenter adfcripfitAlbertus Sereniffimus Dux. Floruit circa annum Domini 1518; Crufenius par.3. cap. 35; Herrera, & Elffius in Encom. pag.87. Notat meus eruditusAngelus Vantius Ariminenfis in fua AcademiaChrift.cap.42.pag. 485; quòd egregiè, fe oppofuerunt Luthero Doctores præclariffimi Auguftiniani, nēpè Ioannes Staupitius olim Prior, Bartholomeus de Vffingen olim Magifter, Auguftinus Marius ipfius Condifcipulus, Conradus Tregarius ipfius Prouincialis, Auguftinus Cappelmair olim amicus, Ioannes Hoffmeifterus connationalis, Ambrofius Neapolitanus, Hieronymus Niger à Foffano, Anfelmus Bocturnius Vicentinus, Peregrinus Nafellus Patauinus, Petrus Aurelius Sanutus Venetus Patritius, Andreas Baurius Ferrarienfis, alijque, omnes contemporanei. Libris editis doctifsimis, & fundatifsimis.

29. AVGVSTINVS DE CVMIS Mediolanenfis, integritate vitæ, & eruditione commendabilis: Nam exemplaritas, & puritas vitæ eum populis venerabilem reddidit; Litteratura verò concionando, & fcribendo oftenfa, inter Doctorum Choros aggregauit. Aliqua laude ipfum cohoneftarunt mei Herrera, & Elffius, atque Abbas Piccinellus in Mediolanenfi Athenæo pag. 2; & Ioannes Baptifta Carifius in Theatro Sacro. Obijt circa annum Domini 1451. Opera, quæ adhuc Mediolani in Marciana afferuantur ex meo Rubeo, funt fequentia:

De quatuor virtutibus Cardinalibus Liber 1.

De feptem peccatis mortalibus Tractatus 1.

De oculo morali. Tractatus vnicus.

Sermones varij. Liber 1.

30. B.AVGVSTINVS DE FAVARONIBVS Romanus. Huius Viri eximiæ integritatis, prudentiæ, & fanctitatis, Theologi profundifsimi, ac Concionatoris excellentiffimi ortus naturalis, & fpiritualis adhuc latet. Ex Regeftis Ordinis verò apparet anno 1389. iam Sacræ Theologiæ Baccalaureum, Prouinciæque Romanæ Vicarium Generalem extitiffe. Magifter Regens Bononiæ fuit 1392; & 1407. Prouincialis Romanus;

Anno 1419. in Capitulo Astensi Præside Magistro Ioanne Zachariæ Germano Viro celeberrimi nominis die 21. Augusti, licèt diuisis Patrum suffragijs, vna parte in M. Hieronymum Pistoriensem, altera in Augustinum conspirante, tamen Præside sic disponente, in Priorem Generalem electus fuit. Confirmatus deinde Bononiæ 1425; & in Montispesulo 1430. Sequenti anno Idibus Iunij Eugenius IV. Summus Pastor Archiepiscopum Nazarenum, & Episcopatus Cæsennatensis Commendatarium creauit. In Sessione XIX. Basileensis Concilij 1437. damnatus fuit ob propositiones falsas Libellus ipsius *de humana natura Christi*, salua verò Auctoris persona. Admirabiles qualitates nostri Fauaronij nullus meliùs in epilogum restrinxit, ac eruditissimus Abbas Vghellius, protulit enim: *Vir eximia scientia doctus, ingenio subtilis, moribus, & sanctimonia vitæ celebris, cuius monumenta illustria recenset Anastasis Augustiniana. Post annos duodecim (totidem in suo Magisterio Generali consumpserat) in magna humilitate, & zelo Ecclesiasticæ disciplinæ in Archiepiscopali bonore vita traducta, bonorum fruge ditatus, in senectute bona virgo, & humilis ad æternæ salutis tramitem feliciter Prati in Hetruria properauit anno* 1443; *vbi summa veneratione in Templo S. Augustini humatus colitur, titulum viri Beati à suis adeptus; pluraque memorantur gloriosæ suæ sanctitatis argumenta.* Eius lypsana anno 1489. de more antiquo Fidelibus ostendebantur. Eo enim anno die 6. Nouembris Anselmus de Montefalcone Generalis præcepit Priori, & Fratribus Conuentus Pratensis, vt nullus auderet ostendere reliquias Reuerendissimi Augustini de Roma sine sua expressa licentia, vel Prouincialis, *& hoc, vt maiori desiderio dictæ reliquiæ venerentur*, Omnes nostri excelsis præconijs Augustinum extollunt, quorum primus Reuerendissimus Coranus dixit. *Alter fuit Augustinus: Sic enim Aurelij Augustini opera familiaria habebat, vt ab eo edita viderentur, sic copiosus, & profundus Theologus, vt flumen quoddam diuinæ Sapientię videretur.* Alieni Scriptores, sunt Trithemius, Sixtus Senensis, Posseuinus, Bellarminus, & Labbeus, Gesnerus, & Frisius suis in operibus sæpiùs memoratis, Vghellus in Italia Sacra To. 2. col. 479; & To. 7. col. 1044; ac vltimò Eques Mandosius in 1. To. Bibl. Romanæ cent. 3. n. 64; & Henricus Vuarthon Anglus sæculo synodali pag. 66; nec non Ludouicus Iacob à S. Carolo pag. 271. Bibl. Pontificiæ, qui cum Bellarmino incongruè assignat morti B. Augustini annum 1445. Opera eius sunt.

De Principatu, & Potestate Papæ Carolo Malatestæ dicatum. Est in nostra Angelica Romana M.S Fol. Citatur à Francisco Penia Hispano S.Palatij Auditore, Libro de Regno Christi To.12. Bibl. max. Pontificiæ pag.257; à Magistro meo Gauardi To.4.suæ Theologiæ Augustino-Ægidianæ de Hierarch.Eccl. pag.499.

Super primum sententiarum volumen grande. M.S. Fol. in Bibl. Carbonariæ Neapolis. In Compendium redactum fuit à Reuerendiss.Guillelmo Becchio, asseruatur Florentiæ.

In Epistolas ad Corinthios M.S.Fol.in Carbonaria.

Super Epist. ad Philipen. fol. ibidem.

Super Epist. ad Galatas Fol. ibidem.

Super alias Epistolas Libri decem.

Conciones eiusdem M.S. mēb. in Bibl. SS.Ioannis, & Pauli Venetijs ex Thomasino pag.23.

De Sacerdotio Christi; & electorum. Romæ in Angelica. Citatur à meo Gauardi vbi supra.

Super 2.3.4. sententiarum ex Gesnero, & ex meo Roccha.

Super Apocalypsim D.Ioannis Incipit. *Magnifico Domino, & præstantissimo viro Carolo de Malatestis Fr. Augustinus de Roma veras in præsenti virtutes, & in futurum vera virtutum præmia adipiscere.* In nostra Perusina M.S. 4.

Tractatus de Sacramento vnitatis Christi, & Ecclesiæ. Tractatus de Christo Capite, eiusque inclyto Principatu. Tractatus de Charitate Christi erga electos, & de ejus infinito amore. Prohibiti donec expurgentur ex Indice Hispanico expurgatorio pag.61.

In Epistolas Canonicas Lib. 7. De libero arbitrio Lib.1. De peccato originali Lib. 1. De perfecta Iustitia militantis Ecclesiæ Lib.1.

De meritis Christi lib. 1; super libros Ethicorum Aristotelis, aliaque plurima.

Augustini de Roma Tractatus varij asseruabantur in nostra Perusina, alienati, vt dixi in Ambrosio Quistellio.

31. AVGVSTINVS MARIVS Germanus, S.T.D. insignis, Discipulus Bartholomæi Arnoldi de Vsinghen nostri Ordinis: Postquam Erphordiæ per plures annos docuisset, anno 1517. Episcopus Salomensis, & Suffraganeus Herbipolensis creatus est. Anno 1526.nomine Episcopi Basileensis interfuit disputationi Badenæ Heluetiorum inter Catholicos, & Lutheranos, streuuèque se gessit. De ipso Milensius in Alph.Germanico, Crusenius p.3.cap.36; Herrera L.A. de Prælatis, Elssius pag.99; Rouerus Pont. Lib. 2. rerum memorabilium ad ann. 1526; Ægidius Helenius de admiranda sacra, & ciuili magnitudine Coloniæ Lib.3. sijntag.44. Verderius in supplemento

Commentaria in Logicam, Physicam, & libros de Anima in Germania excussa.

Exercitium veteris artis Basileæ 30. Nouembris. Incipit. *Circa principium veteris artis*.

De falsis Prophetis tam in persona, quàm in doctrina vitandis à fidelibus.

De Prædestinatione Diuina. Lib. 1. impr. in Germania 1542. 8.

De Prædicatione Euangelij.

Theologica aliqua M. S. reliquit.

32. AVGVSTINVS DE MESCHIATIS de Biella, vel meliùs de Bugella, Pedemontanus, Philosophus, & Theologus magni nominis. Anno 1496. erat Lector S. Theologiæ in Patauino Monasterio; eo enim anno dicauit Librum Elenchorum Ægidij, ab ipso extractum è nostra Bibl. S. Petri de Bugella, Reuerendissimo tunc Episcopo Vercellensi electo Ioanni Stephano Ferrerio eius affini, posteà Cardinali. Addidit etiam ex proprio ingenio quæstionem de medio demonstrationis, de qua in dedicatoria ita scribit: *Quæstionem quandam defensiuam opinionis Ægidij Romani de medio demonstrationis à nostris Doctoribus quanto potui studio, labore, vigilantia, ab illis vbicumque de hac materia dixerunt, notata excerpsi, in ordinemque redegi, & prece nonnullorum commillitonum meorum, votoque coactus, nuperrimè imprimendam statui &c.* Asseruere Pamphilus, alijque nostri, inter quos etiam Gauantus in Thesauro Sacr. Rituum, & Rossotus in Scriptoribus Pedemontij, eum edidisse Prosam defunctorum *Dies iræ, dies illa*; Verùm alij plures dicunt, Auctorem eius fuisse Humbertum Burgundum Gen. Ordinis Dominicani. Nominatur à Posseuino pag. 144; à Francisco Augustino ab Ecclesia in Pedemontanis pag. 4. Quò anno obierit, hucusque latet; scripsit librum, quem prætitulauit.

Exempla virtutum, & vitiorū; qui quidem liber hodie sine Auctoris nomine vbique impressus circumfertur.

Quæstio de medio demonstrationis in fine Libri Elenchorum Ægidij Romani. Venetijs 1496. per Locatellum in fol.

33. AVGVSTINVS MONSFALCONIVS. Hic patria Tudertinus familia de Clarauallensibus fuit, sed quia Conuentus Montisfalconij filius, ideò Montisfalconius dictus. Poeta Latinus, & Etruscus, S.T. Professor, Concionator, & Historicus sui temporis diligens, & accuratus refulsit. Multa opera nostrorum insignium Scriptorum edidit, correxit, atque illustrauit, videlicet B. Ægidij Columnæ, Gregorij Ariminensis, & Pauli Veneti. Floruit ab anno 1515; vsque ad 1523. Memoratur non sine laude ab Herrera pag. 58; ab Elssio pag. 92; ac Torel-

Torello ad annum 1523. Nihil de eo apud Iacobillum in Vmbriæ Scriptoribus. Benè verò laudatur à Ioanne Baptista Piergilio in vita B;mirabilissimæq; Virginis Claræ Montisfalconiæ in Indice Auctorum, alibique, præcisè par. 3. cap. 11. Sequentia sunt eius opera.

Vita, Miracula, & Reuelationes B. Claræ Montis-Falci Ordinis Erem. S. Augustini Italicæ. Venetijs, per Iacobum Pentium de Leucho 1515. 4. Deinde Fulginei apud Augustinum Collodium 1564. 4.

Subtiles, doctrinaquè plenæ abbreuiationes Libri Physicorum præstantissimi Philosophi Marsilij ab Inguem. Opus correctum, & editum per Augustinum de Monte-Falcone, dicatum Magistro Nicolao Veneto S. Stephani Priori. Venetijs, apud hæredes Scoti 1521. fol.

Primus Sententiarum Ægidij, Defensorium, Expositio super Libros Priorum; De formatione Corporis humani. Primus, & secundus sent. Gregorij Ariminen; Paulique Veneti Posteriora edita à nostro Augustino, require suis in locis vbi de supranotatis agitur.

Clypeus Ordinis Augustiniani; Innuit ipse in Dedicatoria Card. Pompeo Columnæ primi sent. Ægidij.

Vitam S. Matris Monicæ edidisse asserit Torellus à me non visam.

Conclusiones duodecim in Ordinis laudem paratas habebat, vt testatur in fine vitæ Beatæ Claræ.

34. AVGVSTINVS MORESCHINVS Montalcinensis. Natus est optimis Parentibus ex nobilissima, & antiqua Moreschiniorum Familia in Monte Ilcinio Thusciæ Ciuitate, aurea tunc libertate gaudente, atque tum natura tum arte munito. In Litteris humanioribus addiscendis, & in omni morum probitate, ac vrbanitate percipienda promptus apparuit. Cum decimumquintum annum attigisset, tunc præstans ipsius virtus, ac puritas cogitationum clariùs eluxit: nam Eremitanus factus, breui adeptis disserendi, ac benedicendi facultatibus, concitato cursu incredibili quodam ardore animi Mathematicæ, Philosophiæ, ac Theologiæ se dedit. Cùm de rebus totius Ordinis grauioribus apud aliquem Principem agendum erat, vnus potissimùm ex omnibus à Christophoro Patauino Religionis moderatore dignissimo deligebatur, non sine fructu, & perfecto fine obtento. Incredibile est, quæ per totam ferè italiam magna cùm Catholicæ Ecclesiæ, tum Religionis vtilitate peregit, precipuè in suggestis primatum Ciuitatum, nempè Romæ, Venetiarum, Bononiæ, & Mediolani, in quibus velut

Pau-

Paulus tonans, ac nouus Augustinus docens, ardens, & erudiens à Magnatibus, Principibus, Sapientibus, & Populis suspiciebatur. A magno Ferrante Gonsaluo rara æstimatione pluries exceptus, ac semper cum admiratione auditus. Insulam non ignobilem in Regno Neapolitano oblatam singulari humilitate recusauit. Fuit moribus incorruptus, conuersatione castissimus, & honestissimus. Concilio Tridentino etiam interfuit. Defecit Mediolani in virilitatis principio, dum esset Prior S. Marci, summo Ciuium mærore anno 1560; ætatis annorum 42. Plura alia in ipsius laudem peti possunt ab Epistola Antonij Mariæ Venusti Mediolanen; qua viuus, & ab oratione, qua mortuus laudatur supradictus Moreschinius, in quibus admirandum Lectoribus exemplar Sacerdotis, & Oratoris boni proponitur. Mediolani apud Antonianum 1560. 8. Eum commendant Pamphilus, & nostri Scriptores subsequentes. Inter alienos apparent Posseuinus pag. 146; Verderius pag. 10; & benè Vgurgerius Dominicanus in Pompis Senensibus Tit. 14. pag. 370; vbi etiam notat Familiam Moreschinam nostri Augustini inter Senenses Patritias aggregatam. Scripsit.

De Purgatorio. De Cultu, & inuocatione Sanctorum, & eorũ Reliquijs, Imaginibusque venerandis. De Orationibus, Eleemosinis, & Sacrificijs pro Defunctis: De Patientia *lib.* 1. De Itineribus ad æternitatẽ lib. 1. Neapoli excussa, testantur Pamphilus & Verderius. Hucusque non vidi. Citantur tamen à nostro Paoletti suo conciue, & præcisè in Dominicali, Dom. infra octauam Corporis Christi pag. mihi 119. Supradicta, & sequentia asseruantur Mediolani in Marciana M. S; ac etiam in Perusina tribus To. in folio. Alia igitur sunt. De septem Sacramentis. De præstantia Romani Episcopi, & Beatissimæ sedis eius. De Ecclesia Catholica, eiusque auctoritate. De Ecclesiasticis traditionibus. De Scripturis Canonicis, &c. Omnia contra sui temporis Hæreticos. Expositio Symboli Apostolici, & in Primum Regum. Ibidem; sed morte præuentus perficere non potuit. Aliaque opuscula Ægidij Romani edidit, vt in Ægidio.

35. AVGVSTINVS MVSÆVS Taruisinus, S.T. Doctor, ac Concionator disertissimus. Anno 1537. cùm verbum Dei non sine magno applausu in Ciuitate Senarum disseminaret, Æmulorum inuidia ad Sacrum Tribunal delatus, cognita eius innocentia illæsus exiuit: Quapropter vt futuris temporibus suæ famæ quoque consuleret, edidit Apologiam infrà notandam.

dam. Anno 1540. Familiaris, & Consiliarius Ioanni Seputij Hungariæ Regis erat. Decessit circa annum Domini 1539. Capitulum Generale Ordinis eum, vtpote cùm humanis, tum Diuinis litteris illustratum, ad Summum Pontificem Oratorem misit pro rebus Ordinis grauioribus. Eius Opus citatur ab Eminentissimo dignitate, sapientia, & eruditione nostro Norisio in Vindicijs Augustinianis pag. 68. *Ex Augustiniana Familia præter Gregorium Ariminensem fusè eamdem sententiam tuentur Augustinus Musæus Taruisinus in Apologetico ad Paulum III; Alipius Roylof. &c.* Loquitur dignissimus Purpuratus de Pueris decedentibus sinè Baptismo. Eum commendant Bartholomæus Burchelatus in Comm. memorab. Taruisinis pag. 44. Scriptoresque omnes post Pamphilum. Opera ipsius, quæ extant, sunt.

Apologia Augustini Musæi Taruisini Theologi Augustiniani aduersus eos, qui eumdem falso apud Sanctam Sedem Apostolicam accusarunt, quòd prædicans in Ciuitate Senarum hæresim prædicarit; ostendentis se non nisi Catholicam professum fuisse Doctrinam:ex Eminentiss. sanctæ Ecclesiæ Doctore Augustino, ad Sanctissimum Paulum III. M. D. XXXVII. 4.

Tractatus de formalibus, & modalibus distinctionibus, tum realibus, tum rationis, entiumque graduali latitudine, ad aures fundatissimi Ægidij per Fratrem Augustinum Musæum S. Th. Lectorem in Gymn. S. Iacobi Bononiæ. Quæstiuncula de potentia materiæ; Itemque Quæstio de medio potissimæ demonstrationis contra D. Th; quæ procedit etiã contra Scotum. Bononiæ per Iustinianum de Ruberia 1524. 4.

36. AVGVSTINVS SENECA Romanus, Religiosus doctus, ac sacrarum Scripturarum scrutator non ignobilis. Anno 1276. fuit vnus ex Deffinitoribus in Capitulo Romanæ Prouinciæ ad lacum Cyminum: Forsan, ait Torellus, vocatus Seneca, quià suis in loquutionibus sententiosus, & moralis apparuerat, sicut ille antiquus, ac Magnus Phisosophus. Anno 1295. in quodam Decreto emanato à Capitulo Generali etiam nominatur; cuius tenor est: *Item præsenti deffinitione acceptamus, & confirmamus Litteras, quas bonæ memoriæ Frater Clemens olim Generalis concessit Abbatissæ, & Monialibus Monasterij S. Mariæ Magdalenæ Ordinis S. Augustini de Vrbe veteri, in obsequium, & vtilitatem dicti Monasterij. Vnam scilicet de commissione facta Fratri Augustino Seneca supradictum Monasterium, & locum S. Martini de Campiano, aliam de venditione facta ipsis*

Monia-

Monialibus, & *Monasterio supradicto de loco de Campiano*. Hæc omnia recensere volui, vt appareat tempus, in quo floruerit noster Seneca, quià numquam ab Historicis Ordinis nominatus inter Scriptores cernitur. Primus, qui eum Opera exarasse meminerit, fuit eruditissimus Petrus de Alua Minorita, in Appendice ad Bibliot. Conceptionis col. 1491; inaduertenter tamen ab ipso Germanus creditus, quià Opera ipsius in Germania inuenit, nempè in nostra Bibl. Coloniensi. Hanc inaduertentiam correxit Marraccius in append. ad Marianam Bibl. Coloniæ editam 1683. fol. Inter illos igitur viginti annos, videlicet à 1276. vsque ad 95. inclusiuè floruit noster Seneca. Opera asseruata in nostra Coloniensi Bibl. ex supradictis sunt:

Tractatus super *Aue Maria*. Incipit. *Aue Maria Virgo Gloriosa*, M.S. in fol. Lit. E. num. 46.

Tractatus de Beata Maria, qui incipit. *Ancilla Dei est Virgo Beata*. Ibidem. *Est Tractatus egregius vtinam lucē videat*. Sic Alua.

Item ibidem alius Tractatus super *Missus est Angelus*, &c. *virū autem sit eiusdem, incognitum est*. *Hoc affirmare possum caracterem esse eumdem*. Hæc Alua.

37. AVGVSTINVS SOSTENEVS FREGOSVS, Neapolitanus, origine verò Genuensis. Primus inter Augustinianos sum, qui eruditi Fregosi mentionem faciam, nam hucusque latuit omnes. Agnouit equidem eum aliqualiter Iacobus Frisius in Gesneriana pag. 93; sed neque Augustinianum, nec Neapolitanum asseruit. Fuit itaque Fregosus S. T. Magister, in Operibus D. Patris Augustini egregiè versatus. Floruit tempore Generalatus Seripandi, posteà S. R. E. Cardinalis, ad eum enim direxit Opera sequentia impressioni tradita, ab ipso correcta, & illustrata, quibus adiecit Scholia, argumenta, & Indices. Inter alia in laudem Seripandi scripsit: *Nulla tam parua in Europa est Regio, in qua nomen tuum omni laude dignum non celebretur summo honore. Tu Mecenatem liberalitate vincis. Tu Pollionem munificentia exuperas. Tu Marcum Tullium copia dicendi, atque Ptolomeum Regem codicum, linguarum inuestigatione antecellis*. Quodque Augustinianus fuerit, ipse etiam se prodijt in eadem Epistola. *Hæc D. Augustini Opuscula per me minimum filium tuum in vnum redacta*. &c. Opera itaque sunt:

Diui

Diui Aurelij Augustini Ecclesiæ Doctoris eximij Opusculorū Tomi tres. In primo omnia quæ ad Fidem, & opera spectant declarantur. In secundo, Augustinus vti gratiæ Christi, & liberi arbitrij defensor, in contemptores, atque inflatores, & præcipitatores illius Pelagianos verba dirigit, &c. In tertio Tomo ex Sacrarum Scripturarum fonte, atque ex Ecclesiasticorum dogmatum fluuijs, verba in Pelagianos Augustinus haurit, &c. tractans quæ ad electionem, vocationem, glorificationemque spectant. Venetijs ex Officina Erasmiana Valgrisij 1545. 8. magno. Deinde ibidem apud Cominum de Tridino Montis-ferrati 1547. 8.

38. B. AVGVSTINVS TRIVMPHVS Anconitanus. Hunc Heroem, Regum delicium, Academiarum Oraculum, Religionis Augustinianæ Sidus splendidissimum, Ancona Ciuitas celeberrima in Piceno protulit anno 1243. Pater ipsius Benedictus vocabatur è nobili Triumphorum Prosapia, Mater Gineura de Bomplanis pariter nobilis. Anno 18. ætatis hortante B. Guillelmo Auunculo materno ad Ordinem Augustinianum illustrandum accessit. Breui in Religione facultates Logicas, Metaphysicas, & Philosophicas felici cursu pertransiuit. Posteà ad excolenda Sacræ Theologiæ Studia à Generali B. Lanfranco Septala admissus, Præceptores habuit insignes Theologos Leonardum Viterbiensem, & Iacobum Perusinum; in eaque statim tales progressus fecit, vt à B. Clemente Auximano Lanfranci successore destinatus fuerit cum B. Ægidio Columna ad Parisiense vniuersale Studium, vt duos Theologorum principes D. Thomam Aquinatem, & Bonauenturam audiret. Post non multum temporis Baccalaureus, & Magister factus, Scholas priuatas apud nostros, & publicas in Vniuersitate magna Discipulorum frequentia substinuit. Anno ætatis suæ 31. Concilio Lugdunensi secundo, Gregorio decimo iubente in locum D. Thomæ Aquinatis, qui Fossæ-nouæ in Monasterio ad superos euolauerat, interfuit cum Ecclesiæ vtilitate. Demum Patauium à Francisco Carrara Principe prædicationis causa vocatus, ibi nondum expleto 34. anno, Libros de amore Spiritus Sancti, & de Resurrectione mortuorum iam inceptos expoliuit, atque absoluit. Aliqua enim anteà, dum Parisijs moraretur, edidit contrà diuinatores, & Fraticellorum ineptias Simoni de Bria Cardinali, posteà Martino IV. Summo Pastori directa. Alia etiam, dum Venetijs permanebat in S. Mariæ de Nazareth Cœnobio, plurimaque in Pa-

triam reuersus, in sequenti Indice notanda. Cum igitur lucida, & celebris Triumphi fama non solùm in Gallia, sed in vniuersa Italia quoque effulsisset, Carolus Secundus Neapolitanorum Rex, missis Anconam Triremibus suis, Augustinum ad se vocauit; ibique ab eodem Rege, & Roberto filio perhumaniter exceptus, Consilijs intimis adhibitus, sepèque ad magnos Principes Legatus missus, ardua negotia tractauit, ac ad finem intentum feliciter perduxit. Eius intuitu idem Rex donauit S. Augustini Ecclesiæ D. Lucæ Euangelistæ venerandum caput tempore generalium Ordinis Comitiorum, nempè anno 1300; ac quædam Monasteria in Calabria fundari iussit. Quamquam negotijs Regijs occupatus Triumphus, non tamen intermisit successiuis horis consuetis studijs incumbere, & præsertim in Sacram Scripturam Libros doctissimos, & fundatissimos edere: Inter alios verò omnes ingenij sui vires effudit in eũ, quem de Ecclesiastica Potestate Ioanni XXII. consecrauit, à pluribus viris eruditis miris, & iustis præconijs cumulatum. Hic liber adeò Pontifici pergratus euasit, vt hac de causa in ipsius Papæ vita scribat celebris Ciacconius. *Extat Augustini Triumphi Anconitani volumen de Ecclesiastica Potestate editum, dicatumque Ioanni Pontificatus anno 4. Quem sanè virum propter eruditionem, & in dicendo, scribendoque perspicuitatem Ioannes insigni aliquo beneficio esset prosequutus, nisi mors nobilem, excellentemque Theologum sustulisset Neapoli 8. anno post id Volumen Ioanni conscriptum.* In Cœlum itaque migrauit Neapoli anno Domini 1328. 2. Aprilis. Eius vitæ Sanctitas adeo eluxit, vt non solùm in Epitaphio titulo Beati insignitus fuerit, sed à Volaterrano, Rhenato Choppino, alijsque viris eruditis, & omnibus Ordinis Scriptoribus, inter quos à Ven. Alphonso ab Orosco, & vltimo à Papebrochio mense Aprilis, inter prætermissos, Beatus sit acclamatus. Citatur encomiasticè, non solum ab antiquis Iurisconsultis, & Theologis, seù Canonistis, S. Antonino, Ioanne Andrea, Turrecremata, Felino, & Decio, sed etiam à Martino Nauarro, Didaco Couarruuia, Melchiore Cano, Francisco Penia, & alijs quamplurimis. Explicitè laudantes sunt tanti, ac tales, vt tædiosum esset futurum omnes, vti possem, singulariter recensere: Sunt enim plures Historici, tota Bibliothecariorum Academia, omnesque Scriptores Ordinis. Opera ipsius, quoad potero, exactè enunciabo, præcisè ea, quæ, vbinam asseruentur, mihi no-
tum

tum est. Nescio, qua de causa Papebrochius, & Henschenius solùm nominent inter prætermissos, cùm corpus Neapoli in nostra Ecclesia eleuatum fuerit &c; Sanctus Augustinus Triumphus vocatur ab Eminentissimo, & doctissimo Purpurato Cœlestino Sfondrato olim S. Galli Abbate in sua Gallia Vindicata. En sepulcralis inscriptio: *Anno Domini 1328. die 2. Aprilis, indictione 1. obijt B. Augustinus Triumphus de Ancona Mag. in sacra Pag. Ord. Erem. S. Augustini, qui vixit an. 85. ediditque suo Angelico ingenio 36. Volumina Librorum. Sanctus in vita, & clarus in Scientia, vnde omnes debent sequi talem virum, qui fuit Religionis speculum.*

Summa de Potestate Ecclesiastica ad Ioannem XXII. Augustæ Vindelicorum 1473. 4. Romæ in Domo nobilis Viri Francisci de Cinquinis procurante meo Paulo Lulmeo S. Mariæ de Populo Priore 1479. 4. Venetijs expensis Octauiani Scoti 1487. 4. Romæ cum Effigie vera Beati, ac vita edita à Summi Pont. Sacrista Augustino Fiuizanio Typis Georgij Ferrari 1584. fol.

Super *Missus est*, in Salutationem Angelicam, & Canticum *Magnificat*. Lugduni 1506. per Sixtum Alogkrugier Alemanum. Deinde Matriti in Regia Typographia 1648. fol. nempe in 3. To. Bibl. Virginalis P. Petri de Alua; etiam Romæ curãte Angelo Roccha Sacrista Typis Dominici Basæ 1590; & 92. 4.

In Orationem Dominicam Tractatus illustratus ab eodem Roccha. Romæ 1587. Typis Vincentij Accolti 4; etiamque 1590. 4.

Bibliothecæ Classicæ Auctor Draudius super *Magnificat*, & in *Salutationem Angelicam* attribuit Augustino Steucho Eugubino, vti obseruauit Marraccius, sed malè; nam vidi dictum Tractatum Membranaceum in nostra Perusina cũ miniaturis, & antiquum valdè, ac in fine habetur. *Completus in S. Maria de Nazaret Venetijs.*

De Cognitione animæ excerptus è p. lib. Metaphysicæ eiusdẽ Triumphi à M. Augustino Placẽtino dic. Gratiano Fulginati Generali. Bononiæ ex officina Ioannis Iacobi de Benedictis Ciuis. Bonon. 1503. 4. Tractatum de prædicatione generis, & speciei eiusdem Triumphi edidit dictus de Fulginio ibidem 1503. 4.

Destructio Arboris Porphirij, & expositio cuiusdam Decretalis, scilicet de duabus naturis in persona Christi figuratis in Arca Noe ad Ioannem Rectorem Ecclesiæ Varadinensis in Vngaria, curante supradicto Augustino Placentino. Bononiæ per eundem de Benedictis 1508. 4.

Commentaria super Epistolas Canonicas vel edita, vel proximè edenda. Scribit enim eruditus Iacobus Hommey in supplemento Patrum pag. 557. *Penes me habeo Commentaria Augustini de Ancona in Epist. Canonicas, quæ fortassis prope diem cudemus.*

Super Matthæũ fol. mẽb. in nostra Bib. Patau; vt ex Thomasino.

Tractatus de Resurrectione mortuorum per 40. Theoremata scriptus 1430. in memb. fol. est in Bibl. S. Antonij Patauij ex eodem pag. 58.

Quæstiones super Epist. Canonicam D. Iacobi m. 4. in Bibl. Veneta Ss. Ioannis, & Pauli, ex eodem pag. 27.

Sermones varij M. S. in 4. in nostra S. Marci Mediolani.

Glossæ in omnes Epistolas Canonicas, & Apocalypsim. Londini in Bodleiana, vt patet in supradicta L. A.

Super Apocalypsim catena Patrum Tract. M. S. fol. Est in nostra Vintimilij à me acquisitus.

Sermones de Sanctis ad Clerum. Romæ in nostra Angelica.

In Ezechielem lib. 1. In Marcum, Lucam, & Ioannem lib. 3. In Actus Apostolorum lib. 1. In omnes Epist. Pauli, & Canonicas expositio, & demùm catena Patrum. De introitu Terræ Promissionis; De Cantico spirituali, siuè de decem cordis. Sermones Dominicales ad Clerum; Tabula, seù Index moralium S. Gregorij, aliosque Libros ipsius.

In quatuor Libros Sententiarũ. De amore Spiritus Sancti. De Spiritu Sancto contra Græcos. De Prædestinatione, Præscientia, & Libero Arbitrio. De consolatione Animarum Beatarum. De potestate Collegij mortuo Papa. De potestate Prælatorum. De Thesauro Ecclesiæ. Quodlibeta Parisijs disputata. Contra Diuinatores, & Somniatores. Super facto Templariorum.

De Prædicatione generis, & speciei expositio, & quæstiones in Libros priorum Aristotelis. Commentaria super 12. libros Metaphysicorum. Milleloquium veritatis incepit, sed eo morte præuento, perfecit Bartholomæus Vrbinas. De quo suo loco.

Omnia B. Augustini Triumphi Opera Ciuium Anconitanorum sumptibus descripta in magnis, & pulcherrimis Voluminibus habet Vaticana.

39. AVGVSTINVS VICENTINVS S. T. Magister, egregius verbi Dei disseminator, à Gabriele Veneto Generali in Regestis anno 1536. valde commendatus: missus est in Vngariam anno 1512. Studiorum Regens. Fuit 1537. Præceptor, & institutor Iulij de Ruuere, Iulij II. Pontificis, vti creditur, Nepotis. Excessit è viuis Viterbij anno 1560; sed in antiquo Conuentu Suriani, cuius Rector, & moderator erat, tumulatus. Eius cum laude meminerunt Herrera pag. 62; Elssius pag. 103; & Torellus in 7; & 8. To. Sæculorum Augustinensium. Primus tamen sum, qui inter Scriptores illum enumero; nam sequentem Librum manuscriptum memb. in nostra satis bona Bibl. Ciuitatis Collensis in Etruria, dũ inibi Conciones Quadragesimales haberem anno 1700; cum alijs præclaris obseruaui. Titulus Libri est:

Inci-

Incipiunt Sermones, quos cõposuit Fr. Augustinus de Vicentia Lector Paduanus de Ordine Fratrum Heremitarum S. Augustini, per totum annum. In prima Dominica de Aduentu Domini Sermo. *Videbunt filium hominis venientem &c.* fol. paruo. In fine sic habetur. *Expliciunt Sermones Dominicales Euangeliorum totius anni fratris Augustini de Vincentia Ordinis S. Augustini*. Deinde sequitur sermo de Trinitate: Postea. Incipit Tabula distinctionum per Alphabetum ordinata super Sermones Dominicales Euangeliorum totius anni Fr. Augustini de Vincentia.

40. AVRELIVS BRANDOLINVS Florentinus, Matthæi q. Georgij filius, cognomento Lippus, vtpote à natiuitate penè cæcus, Philosophus, & Theologus disertus, Poeta celeberrimus, nec non Musicus, ac Rhetoricæ artis peritissimus, tantæque memoriæ, vt quæ semel audijsset, tenacissimè retineret. Hic vir eruditissimus, & eloquentissimus à Matthia Coruino Pannoniæ Rege gloriosissimo ascitus, Budæ, ac Strigoniæ multis annis publico munere, eximiaque laude Oratoriam docuit. Regi, ac Beatrici Reginæ in aduersis consolator dulcissimus, ob idque ab ipsis sæpius in intima Consilia admissus. Reuersus demum in Patriam, habitum Augustinianum induit, breuique euasit Concionator egregius, & Orator facundissimus. Cùm aliquam prædicaturus ingrederetur Ciuitatẽ, vt testatur Bergomensis contemporaneus, Ecclesiarum Prælati, atque alij doctissimi viri quadam incredibili voluptate illum audire satagebant. Erat etiam tam facilis in condendis versibus cuiuscumque generis, vt quidquid dicere volebat, carmen esset. Iure igitur meritò in eius præconium Aldus Manutius ad Illustrissimum Angelum Roccham Sacristam, Orationem de Passione Domini dirigens, inter alia reposuit: *Magnus sanè vir fuit Lippus, magnisque viris acceptus, summis, medijs, infimis apprimè carus, præcipuèque Pontificibus, Imperatoribus, Regibus, at quibus Regibus? ijs nempè, quorum memoria inter Reges omnes Regia erit semper, Litteratis hominibus, ijsque inter summos summis Hermolao Barbaro, Pogio, & vniuersis sui Æui*. Anno 1496. 11. Decembris (ex Ilicitano Regesto) degebat Aurelius in Cœnobio S. Galli Florentiæ, & 1497. mense Octobris Romæ in Cœnobio S. Augustini decessit, inibique sepultus. Omnes sequentes Bergomensem errarunt in assignando anno mortis ipsius 1498. Marianus enim de Genazano Generalis die 19. Octobris ann. 1497. in suo Regesto, vt Herrera, &

ra, & Torellus asserunt, sic habet: *Dedimus litteras ad Magistrum Gratianum Procuratorem Ordinis dolentes mortem Fr. Lippi Aurelij Florentini, qui per aduersam valetudinem præfati Procuratoris eius locò perorare debebat in Capella D. N. Papæ.* Extitit quoque Præceptor Ioannis Mariæ de Monte, posteà Iulij III. Summi Pontificis. Iustis præconijs decoratur ab omnibus Ordinis Scriptoribus post Bergomensem, atque à Pocciantio in Florentinis pag. 21; Posseuino pag. 174; Frisio 546; Verderio 47; atque ab Henrico Vvarthon 118; alijsque. Mirabiles porrò qualitates nostri Brandolini nullus lucidiùs enumerauit, ac Matthæus Bossius Canonicus Regularis Lateranensis, vir litteris, & pietate Venerabilis, in quadam sua Epistola, quæ est 75. ipsius Operis ad Hieronymum Campagnolam Ciuem Patauinum singulari Doctrina, vrbanitateque præstantem pag. 349; & 350; sequentia, mihi à sapientissimo Magliabechio communicata, scribens: *Et quum in præsens aliud non mihi succurrat, rem inauditam ecce tibi narrabo allaturam facilè tibi miraculum, & quam soles in omnibus exquirere, deuotionem egregiam. Audiuimus modò Veronæ prophetantem ex pulpito, Lippum Florentinum, Religiosum Heremitani Ordinis, hominem, & cum à primis fermè vitæ cunabulis oculorum luminibus captum, tanta cum admiratione omnium Præfectorum Vrbis, & Ciuium, eruditorum præsertim, vt id complecti satis, neque sermo, neque calamus queat. Hic imprimis Sanctas Litteras amat, easque commodissimè tractat, atque dispensat, hic quidquid Philosophia illius veteris, quæ ad nos effluxit à Græcis, grauis, plena, expolita, & emuncta, nostris nunc in Gymnasijs, nescio quo vitio, exoleta, sic benè callet, ut de ea quum aliquid suscipit, non Burleos, non Paulos Venetos, non* Strodos, *sed Platonem quidem, Aristotelem, Theophrastum audire videamur. Taceo Historiarum quarumcumque monumenta, & quicquid in Oratorum singulo, & Poetarum amplum extat, & nobile, quæ sibi ita suppeditauit, vt ea omnia non tam visus sit didicisse, quàm à puerperio illa secum credas adoleuisse. Lira, vt licentiùs loquar, ei cedit Apollo, & Amphion. Claros verò Poetas hoc vno etiam superat; quòd quæ illi cudebant longa peruigilia, atque lucerna, iste extemporaliter format, & canit. In quo æquè abundat tam capax, tenax, facundaque memoria, tanta, & ingenij, orisque facilitas, vt quod hac in parte de eo dicendum est, tu vix possis aut admittere animo, aut cogitatione mi Campagnola complecti. Quam tantam rem, &*

ipse

ipse anteà neque vidisse me vnquam, neque quod legerim, memini: Cyrus omnes sui exercitus milites recensuisse scribitur nominatim; Cyneas Romam missus Legatus à Pyrrho, singulis Senatus, & Æquestris Ordinis viris postero, quam aduenerat, die nomina dedisse; Mitridates duarum, & viginti gentium Rex, totidem linguis iura dixisse, singulas pro negotijs, & causis affatus. Sic admirabilis extitisse memoriæ Antonius proditur Seneca. Lippus verò noster, in cętu multorum Ciuium nobilissimorum, literarumque cultorum, ipsorumque astante Prætore, quicquid ei ab ijs proponi placuit, porrecta illi Lyra in quoscumque statim arctauit, & modulatus est numeros. Denique de illustribus quoque, & priscæ gloriæ viris, quibus Patria Verona esset, quæsitus vt diceret, Catullum, *Cornelium Nepotem, Plinium secundum, Ciuitatis dignitatem, Vrbisque splendorem luculentissimo prosecutus est carmine, ac splendidissimis pro merito laudibus, nulla intercedente cogitatione, vel bæsitatione cum mora. Sed illud cætera superat, quod omnem Plinianam naturalem Historiam, septem, & triginta in volumina discretam per singula cuiusque voluminis capita quàm plurimis, & præclarissimis versibus extemporaliter enarrauit, prætermissa re nulla memorabili, ac cognitu digna. Qui ludus fuit illi domesticus, & frequentissimus olim, apud Sixtum Pontificem Maximum eius nominis quartum, vel quum Festi Sanctorum dies incidissent decorandi, vel quum argumentum aliud impræmeditato illi proponeretur. Tum namque materias omnes ita prosequebatur ex tempore, ut nibil posthaberet intactum, quod siue ad gratiam, siue ad veritatem pertineret, At verò dum in concione descendit ad mores, & populariter docet ex pulpito, & singula, quæ vel extollit, vel in quæ fulgurat, non videntem vidisse vtique diceres. Hanc primam tibi, Hieronyme, isto de homine degustationem pinxi, atque porrexi, quam putaui tibi fore iucundam, & hoc animo etiam, atque consilio, vt illum istuc venientem, quum se ostenderit, possis audire, teque ille, & Æneam paruulum tuum posit agnoscere, qui vix tertium ingressus lustrum, ingenio, & natura non est Lippo absimilis. Quin pręter litteras, tum Latinas, tum Græcas, impuber iste, & Lyram tractare, & in ea canere, versus edere, & quod Cęcus non potest, scribere, pingere, statuas, atque signa fingere, sic per se se, magis, vt puto, duce natura, quàm arte perdidicit, vt temporibus nostris omnibus illi tantis in rebus simul possit meo Iudicio conferri nemo &c.*
Opera sunt.

Lippi

Oratio de Virtutibus D.N.Iesu Christi nobis in eius Passione ostensis Romæ ad Alexandrum VI. Pont. Max. in Parasceue habita, ac tantùm probata, vt iterum, ac iterum eam repetere auctor cogeretur. Romæ. 1596. ex Typographia Dominici Basæ 4. Manutius Iuuenis supracitatus scripsit. *Ciceronem Romanæ Eloquentiæ parentem æquat, materia proculdubio superat.* Anteà etiam alibi edita facilè Romæ 1496. 4; vt ex Indice Barberinæ.

Paradoxa Christiana. Basileæ 15 3. Romæ apud Fr. Minitium Caluum. 1531. 4.

De humanæ vitæ conditione, & toleranda corporis ægritudine, ad Matthiam Regem Hungariæ, & Beatricem Vxorem. Basileæ apud Robertum Vvinter 1543. 8.

De ratione scribendi Libri tres, in quibus Rethoricæ præcepta à dicendi ratione ad rationem scribendi transfert. Basileæ apud Ioannem Oporinum 1549. 8; denuò ibidem 1585. 4. Coloniæ 1573. 8.

Historiæ quædam sanctorum, & Orationes plures, precisè vna in Festo S. Thomæ Aquinatis in S M. super Mineruam Romæ.

De Legibus opus pulchrum.

Commentarij in omnes D. Pauli Epistolas.

In Sacram Hæbreorum Historiam M. S. in Altempsiana.

Liber, in quo carminibus heroicis nouum, & vetus testamentum complexus est.

Elegia in Morte Platinæ, ac duo Rythmi, vulgò Sonetti in laudem Laurentij Medices, in quibus patet, eum alia plurima in ipsius encomium edidisse, impressi in meis Floribus Eremi Augustiniani pag. 67. De eo etiam Vossius de Historicis Latinis lib. 3. pag. 611.

Lippi Brandolini de Comparatione Reipublicæ, & Regni ad præstantissimum virum Laurentiū Medicem Florentinæ Reipublicæ Principem in Bibl. Laurentiana Medicea pluteo 77. Liber M. S. membr. 4. pulchris charact. ac in principio effigies ad viuum Cardinalis Ioannis de Medicis, posteà Leonis Decimi, nec non M. Laurentij, & in circulo hæc verba: *Magnus Laurentius Med;* cū ornamentis aureis, figurisque delineatæ. Prima Epistola est Raphaelis nostri Aurelij fratris, incipitque.

Raphael Brandolinus iunior Lippus Ioanni Medici Diacono Card. S. Mariæ in Naui nuncup. S. D. Inter alia hæc cernuntur: *Ego & si eius in hoc genere laudis assequendæ spē mihi effulgere non videam, imitandi tamen, eiusque vestigijs inhærendi studio semper incumbo. Quare cùm tres eius Libros de comparatione popularis, & Regij status in Rep., quos Pannoniæ inceptos, Florentiæ per Dialogum absoluerat, nuper euoluissem, tuo nomini dicandos mihi proposui: tum quòd eos ille interueniente Matthiæ CoruiniOptimi, ac Sapientissimi Pannoniorum Regis obitu, cuius maximè hortatu opus aggressus fuerat, Laurentio Medici Parenti tuo vnico sæculi nostri virtutum, ac litterarum omnium præsidio, summoque, non Florentinæ modò Reipublicæ, totiusque Regionis Etruscæ, sed vniuersæ etiam Italiæ ornamento censuerat offerendos, vt qui, iustissimo, ac munificentissimo nostræ tempestatis Re-*

ge amis-

ge amisso, eum Ciuem diligendum videbat &c. Post supradictam sequitur alia, videlicet. *Lippi Brādolini in Libros de Comparatione* Reipublicæ, *&* Regni, *ad præstantissimum virum Laurentium Medicem Florentinæ* Reipublicæ *Principem Proemium.*

En aliqua verba: *Sed cominùs geri res, & strictis mucronibus videretur, cum autem* Regni *partes defendere nisi* Rex *satis commodè non posset, & ego apud Matthiam, vt dixi, Regem essem, tū potissimum* Regni *partes tuentem induti; Respondentem autem ei pro* Republica *feci Dominicum Iunium Ciuem nostrum, virum acris ingenij, magnæque in his rebus experientiæ, quippequi, & in nostra* Republica *esset natus, & in eo* Regno *magna cum dignitate iam pridem versaretur &c.*

Lippi Brandolini de Laudibus Laurentij Medices M.S. 4 membr. in eadem Bibl. Plut 35 Liber ornatus, sicut superior. Proemium incipit: *Arbitrabar profectò, Laurenti clarissime.*

Initium porrò Carminum est.

O mea Thirrenas nondum sat nota per Vrbes.
Huc ades imparibus vecta Thalia modis.

41. BARTHOLOMÆVS ARNOLDI de Vssingen, Germanus eruditissimus, diuinarum litterarum, veterumque Sanctorum in doctrina peritus, insignis verbi Dei declamator, hæresisque Lutheranæ verbo, & calamo fortis impugnator. Floruit ex Pamphilo 1522. Ad superos euolauit Herbipoli in Franconia die 9. Septembris 1532; & in templo nostro sepultus, his elogijs decoratus ex Milensij Alphabeto Germanico: *Mnemosynon Religiosi P. Bartholomæi de Vssingen Theologi integerrimi, Ecclesiæ contra Lutheranos inuicti propugnatoris hic locatum* 1532. *Iesus Maria. Anno* 1532. *quinto Idus Septembris mortem obijt eximius vir Bartholomæus Arnoldi de Vssingen Sacrosanctæ Theologiæ, atque Augustinianæ Religionis professor, accerrimus hac tempestate aduersùs Catholicam Ecclesiam sentientium impugnator, cuius anima requiescat in pace.* In pariete Refectorij sequentia adsunt Carmina:

Olim me Luther sit præceptore Magister,
Fit simul, & Frater Relligione mihi.
Deseruit sed vbi documenta fidelia doctor,
Detexi primus falsa docere virum.

Bartholomæo Arnoldi Vssingo Augustiniano Theologo Augustinus Marius Theologus doctor, Salomonsis Episcopus P.P.P.P. Discipulus. Meus Elssius asserit Bartholomæum etiam Episcopum

ſcopum Salomenſem creatum, ſed incongruè; quomodò enim, ſi hoc verum eſſet, Marius eius Diſcipulus in Epigraphe ſupranotata reticuiſſet? Eum cum laude memorant Pamphilus, Cruſenius, Herrera, Gratianus, & Torellus; nec non Poſſeuinus in Appendice Appar.pag. 631;Geſnerus pag.132; Friſius pag.107,& Verderius pag.11.Laudatur quoque à Franciſco Swertio in Athenis Belgicis pag. 157;à Valerio Andrea in Bibl.Belgica pag.110;à Marraccio pag.200. Hi tres non benè aſſerunt Vſſingen Belgam; nam ſi fuiſſet, certum eſt, quòd nec Gratianus, nec Elſſius noſtri Belgæ Germanum vocaſſent, & hac gloria ſuum Belgium priuaſſent.

Libri ab ipſo compoſiti ſunt.

Summa compēdiaria totius Logicæ Tractatus ſeptem ſcripti ab Auctore in Gymnaſio Erphurdenſi. Baſileæ. 1507.4.

Paruulus Liber Philoſophiæ naturalis, ſiuè interpretatio per figuras, & tabulas in Epitomen phyſicæ tribus tractatibus abſoluta; annexa quæſtio de quiditate quantitatis continuæ. Primus Tractatus quæſtiones habet de principijs phyſicis, materia, forma, cauſis, natura, motu, infinito, loco, & tempore. Secundus de elementis, generatione, intenſione, & mixtione. Tertius de Anima, ſpeciebus, ſenſibus, & rebus ſenſibilibus, voluntate, intellectu humano, diuino, & Angelico. Baſileæ 1511. 4.

Exercitium veteris artis. Baſileæ per Nicolaum Kesler 1507.8.

Purgatorium contra Lutheranos. Herbipoli 1527. 8.

Libellus de duabus diſputationibus contrà eoſdem. Ibidem 1537. 8.

De falſis Prophetis, tam in perſona, quàm in doctrina vitandis. Erphurdiæ 1525. 4.

De prædicatione Euangelij; quibus ſcilicet debeat conformiter Euangelium prædicari? Ibidem 1525.4.

De cælibatu Sacerdotum nouæ Legis, reſpondet ad ſermonem Langij de matrimonio Sacerdotali, quem fecit Erphurdiæ in Nuptijs Culſameri Sacerdotis. Ibidem. 1525. 4.

De merito bonorum operum. Erphurdiæ 1525. 4.

De tribus neceſſarijs ad vitam Chriſtianam, ſcilicet de Gratia, Fide, & Operibus. Herbipoli 1526. 8.

Contra rebaptizātes, ſeu confutatio eorū, quę Lutherus ſcripſit in rebaptizantes. Coloniæ apud Ioannem Cymnicum 1529.8.

De Miſſa ſtabilienda, opus inſigne.

De Coniugio Sacerdotum.

De Incarnatione, & adoratione Sanctorum.

Confutatio ſermonis Lutheri ſuper *Salue Regina*.

Confutatio ſermonis Lutheri ſuper *Regina Cæli*.

Confutatio Sermonis Lutheri de Natiuitate B. Mariæ Virginis.

Libel-

Libelli plures Scholastici. Interpretatio in Donatum. Regulæ,& figuræ constructionis cum vitijs Grammaticalibus.

42. B. BARTHOLOMÆVS DE PALATIOLO, Terra nobilis inter limites Brixianos,& Bergomenses. Ortus est anno Domini 1426; adhuc puerulus à parentibus habitu Clericali indutus, vt sacris Altaribus ministraret, ac genio suo spirituali inseruirent. Anno 21;iam Diaconatus ordine insignitus, cùm Bergamum accessisset ad aliqua peragenda, die 23. Martij 1447; audissetque Concionem Ven. Augustini de Crema super illud Thema. *Adolescens, tibi dico, surge;* diuinum impulsum sentiens,verbaque cordi infigens, Religionem Augustinensem amplexus est; statimque cæpit virtutibus omnibus clarescere: Indefessus in labore, & studijs, assiduus in Choro, obedientiæ, paupertatis, atque puritatis amator ardens. Humilitati adeò addictus, vt oblatas dignitates constantissimè recusaret. Nam ab Hippolyta vxore Alphonsi Calabriæ Ducis, & Francisci, ac Blancæ Mediolanensium Ducum filia expetitus, vt sibi à sacris confessionibus esset, nec precibus, nec muneribus, nec oblata insigni Infula flecti potuit ad honorificum ministerium obeundum. Iniuriarum, & irrisionum æmulorum, etiam olim amicorum, non solùm contemptor, sed ex corde condonator apparuit: Vnde Patri Basilio Ripæ, qui querelas effundebat contra quemdam olim Amicum, tum hostem eiusdem Bartholomæi effectum; respondit: *Ego, licèt læsum me ab Amico videam, non tamen charitatem meam erga ipsum volo esse læsam; quin, & amem, & seruiam, cum oporteat, prout anteà solitus fueram.* Deinde subiunxit hanc sententiam cordibus fidelium insculpendam: *Si Amicos quoscumque verbo, vel facto lædentes abijcere voluerimus, nullos certè insine habere reperiemur, cùm difficile, imo impossibile sit se se inuicem amicos aliquo modo non lædere; verus autem Amor id efficere debet; vt inuicem alter alterius onera portātes adimpleamus Legem Christi.* Ob has,aliasque præclaras virtutes, & merita, ad multas Congregationis suæ, quam vnicè amauit, & in aduersis defendit, dignitates eleuatus fuit: Ideò munus Prioris insignium Cœnobiorum pluries, Visitatoris, atque Deffinitoris, nec non ter Vicarij Generalis, videlicet 1489;1492;& 1497.obiuit, egregièque in omnibus se gessit. Angelum suum Custodem tam impensè dilexit, vt ob id meruerit pluribus à periculis etiam visibi-

visibiliter eripi. A Sūmis Pont. Innoc. VIII; & Sixto IV. plurimum æstimatus. Cùm esset Prior Brixiæ anno 1502. in cubili ob infirmitatem decumbens, abstinentiam, quam semper amplexus fuerat, deserere noluit; Itaque hortante Medico, die Veneris, & Sabbati non solùm carnes, sed nec ius absorbere voluit, nec consuetas deuotiones, & officium prætermittere. Denique die 3. Octobris post completorium recitatum, sentiens mortem appropinquare, receptis Ecclesiæ Sacramentis, adhortatis Fratribus ad diuinum amorem, & feruorem Religionis, animam efflauit, remanens hilari, iucundoque vultu, ætatis suæ 76. Fusiùs omnes qualitates nostri B. Bartholomæi enarrat Donatus Caluus Bergomensis Vic. Generalis vir eruditus in memorijs Historicis suæ Congregationis Insubriæ Lingua Italica à pag. 135. vsque ad 147. inclusiuè ex Basilio de Ripa coætaneo, scriptore ipsius vitæ, diù ab Herrera nostro desideratæ. Eum commendant Episcopus Signinus pag. 133. *Ter Beatum appellans*; Herrera in Alphabeto pag. 99; Crusenius part. 3. c. 31; & 32; Torellus in sæculis To. 7. à pag. 527. vsque ad 531; ac Elssius in Encomiastico diuidens in duos pag. 114; quod inaduertenter fecit; quia Herrera hoc anteà monuit. Etiamsi fuerit Palatiolus doctus, & eruditus, non tamen in lucem protulit nisi vnicum *Martyrologium copiosum, editum Papiæ, impressum per Georgium de Palazzolo* 1487. 4; *in eòque plurimorum Beatorum, & Venerabilium Ordinis nostri merita memorantur. Quædam copia asseruatur in nostra Angelica Romana.*

43. BARTHOLOMÆVS SIMONIS DE CARVSIS Vrbinatensis, celebris Theologus, & Concionator disertissimus. Anno 1331. in Felsinæa Vniuersitate publicus professor, vt asserit Ghiradaccius, deinde Parisiensis Accademiæ illustrator, postquam inibi summa cum laude, nec minori profectu docuisset, Sanctorum Patrum studio totum se dedit; ex quo admiranda, & præclara Opera, scilicet Milleloquia S. P. Augustini, & D. Ambrosij produxit, in quibus, vt Pamphilus protulit, *tam D. P. Augustini mare, quàm Ambrosij supernotauit flumen. Liber verò* (Petrarcha eidem scripsit) *maioris operis, quàm gloriæ, in quo ipso animum tuum miror, qui studio vtilitatis publicæ maiora (nisi fallor) ausurum, ingenium inclinasti.* Hoc etiam expressit Auctor in Epistola ad Clementem VI. pro sui defensione. Aliqui asserunt Bartholomæum nostrum surripuisse gloriam primi Milleloquij Augustino Triumpho Anconitano, sed hoc imme-

immeritò proferunt; nam Triumphus solummodò incepit, & aliqualiter delineauit, at Bartholomæus formauit corpus, & ad perfectionem reduxit, quapropter verus Auctor milleloquij censendus est. En vt ipsemet ius suum tuetur in fine supracitatæ Epistolæ. *Reu.Patri Fratri Dionysio de Mutina S.paginæ professori, nunc Priori Generali meo, sub cuius magisterio apud Bononiam compilaui, placuit ipsum opus milleloquium veritatis Augustini debere intitulari*; Et eruditus Paulus Lulmeus in Epist. ad Ambrosium Coranum Generalem in principio libri Anconitani de Potestate Ecclesiastica anno 1479. scripsit. *Triumphus incepit sed dormitione Sancta præuentus complere non potuit, quod posteà Fr.Bartholomæus Vrbinas D. P. Augustini doctissimus hæremita, Vrbini præsul, egregio ordine compleuit*. Aduersùs Ludouici Bauari Imperatoris sequaces, scilicet contra Marsilium, & Ocham, aliosque Pontificiam auctoritatem oppugnantes, viriliter calamum strinxit, tutatus est egregièque eam. Anno demum 1347. 2. Idus Decembris, vt eius præclaræ virtutes coronam aliquam obtinerent, Clemens VI. suæ Patriæ Vrbini Episcopum designauit, *Maiora*, vt Petrarca ait, *sperare iussum*. Sed qui maiora sperare iusserat, longiorem vitam impartiri non valuit: Quippe qui triennio post adeptam Infulam, nempè 1350. placido fine quieuit. Præsul re vera conspicuus, à pluribusque condignè laudatus, inter quos celeberrimus Iurisconsultus, & Decretalium expositor Ioannes Andreæ Bonon. protulit. *Augustini Epistolam sollicitudine non parua diu quæsitam, cùm inuenire non possem, nonissimè vir deuotione sincerus, & feruidus charitate, grandis scientia, nec minor facondia, Fr. Bartholomæus de Vrbino &c. illam sibi notam exhibuit*. Ciacconiusque notauit: *Constat Clementem VI. literatissimum Pontificem à Petrarca appellatum, sed occupatissimum hominem, atque ob id compendiorum auidissimum, quam ob causam Fratri Bartholomæo de Vrbino Eremitæ Augustiniano, qui ex Sancti Augustini sententijs volumen ingens milleloquium vocatum per Alphabeti Literas collegerat, atque obtulerat, Pontificatum Vrbinatium in Patria dederat, iusseratque, vt quod de Augustino fecerat, id de Ambrosio faceret, quod & præstitit, milleloquium S. Ambrosij nuncupauit. Discipulus is fuit magni illius viri Augustini Triumphi*. Vltra omnes Scriptores Ordinis eum commendant Vghellus To. 2. Italiæ Sacræ col. 865; Possevinus pag. 185, Sixtus Senen. in Bibl. Sancta editionis Coloniæ 1586. pag. 217; Gesnerus pag. 135; Frisius pag.

pag. 107. Archmanus Schedel in Chron. 5. mundi ætate, Ludouicus Iacob à S. Carolo in Pontificia Bibl. pag. 278; ac vltimò Henricus Warthon pag. 26; alijque. Memorabilis est ipsius sententia de quatuor operibus S. P. Augustini. *Ex omnibus Libris eiusdem, iudicio meo in quatuor maximè alios Doctores excedit, scilicet in Libro Confessionum, vbi apparet, & est deuotior, in Libro de Trinitate subtilior, in Libro de Ciuitate Dei vniuersalior, & in Libro retractationum prudentior. Hæc in principio milleloquij in Indice*. Memorat etiam primo loco inter Vrbinates litteratos nostrum Bartholomæum eruditissimus Prælatus, & conciuis Bernardinus Baldi in Tractatu de laudibus suæ Ciuitatis Vrbini M.S. fol. in Bibl. domestica Sanctissimi D. N. Clementis XI. gloriosè regnantis, & Eruditorum fautoris. Opera edita sunt.

Milleloquium S. P. Augustini. Lugduni apud Senetonios Fratres 1555. Fol. Parisijs illustratum à Ioanne Collierio Præsbytero Theologo per Carolum Rouillard. 1645. To. 2. Fol. Denique 1672. apud Leonard. Typographū Regium To. 2. fol.

Milleloquiū D. Ambrosij. Lugduni apud Senetonios 1556. fol.

Commentarij tam in vetus, quàm in nouum Testamentum ex omnibus D. Augustini Lucubrationibus à nostro Bartholomeo collecti. *Hoc opus*, vt scribit Sixtus Senen; *Ioannes quidam Gastius, deleto veri Auctoris nomine, in voluminis fronte præposito, sibi satis impudenter vsurpauit, & quod grauius est, transpositis, detruncatis, ac detortis quibusdam eiusdem operis locis ad Lutheranam hæresim, vtilissimum, ac piissimum Catholici Auctoris nomen contaminauit*. De surreptione suprad. Comm. à Gastio testantur quoque Theoph Raijnaudus de bonis, & malis libris pag. 166; & Vincentiūs Placcius Hamburgensis in Catalogo Pseudonimorum pag. 198. Opus impressum est Basileæ, apud Heruagium 1542. To. 2. Fol. Venetijs 1543. apud Ioannem Franceium To. 2. 4; & apud Valgrisium 1545. To. 2. 4. De his duabus vltimis editionibus in sua Cathechesi pag. 244. scribit meus Antonuccius Eugubinus: *Donec à Religione S. Augustini non fuerint emendata, & denuò impressa cum sua Epistola autentica tam in primo quam in 2. Tomo meritò comburantur, licèt Epistola damnati Gastij ablata fuerit*. Biblia Augustiniana P. Dauid Lenfant Dominicani ferè eadem est cum supradictis commentarijs.

Tractatus contra errores, qui inuenti fuerunt tempore Ludouici Ducis Bauariæ. Incipit. *Domine labia mea aperies, & os meum detestetur mendacium*. Romæ in Ordinis Archiuo, vt Pamphilus asserit, ex quo Posseuinus.

Commentaria sua in vetus, & nouum Testamentum ex Roccha in Bibliotheca Theologica pag. 245.

Euangelia Quadragesimæ egregiè interpretatus est.

Tra-

Tractatus de quatuor nouissimis.
De Bello spirituali.
In compendium redegit libros Ægidij Romani de regimine principum.
Memoriale Militiæ Spiritualis M.S. in Bibliotheca Bodleiana Ozonij pag. 522. Aliaque.

44. BASILIVS MONALDVS Senensis, Congregationis Ilicetanæ, & Conuentus S. Saluatoris nobilissimus Alumnus, cui multum splendorem attulit. Is anno 1503. cùm esset S.T. M; ac Concionator illustris, die 30. Aprilis Vicarius Generalis electus fuit; et 1506. Procurator Congregationis in Romana Curia primus declaratus; ac deinde ad suæ Congregationis gubernium ob præclara merita admissus 1510; 1514; 1520; & 26. Pluries extitit Conuentus sui Ilicetani Prior, & vltimò 1530. Paulò post, vt puto, obijt, quia Illustriss. Landuccius Episcopus Porphyriensis in sua Ilicetana Sylua edita Senis 1653. fol. Latinè, etiamquè Italicè 1657. Romę apud Cabalum, nihil de eo vlterius exprimit; Laudatur ab eodem Landuccio in Elogio Bernardi Monaldi nostri Basilij Nepotis, in Scriptoribus dictæ Syluæ pag. 147; & pag. 63. reponit: *Basilius, vir vtique doctissimus, exarauit Tractatum super septem Psalmos, sed humilitatis gratia apponere titulum, aut gradum Doctoratus minimè voluit*. Edidit itaque sub nomine Basilij Cottæ. Eum memorant Vgurgerius in pompis Senensibus pag. 369; Herrera, & Elssius, ac citatur à Pauletti nostro in Annuali: præcisè Dominica 24. post Pent. pag. mihi 400.

Philosophia Christiana, & studium Pęnitentis, seù in septem Psalmos Pœnitentiales. Senis per Simonem Nicolai Nardi 1528. 4.
Questulum etsi paruum mole magnum tamen virtute M. S. in Martiniana.
In duodecim Abusiones sæculi, M. S. in membr. 8. apud Illustrissimum & eruditum Amicum Vbertum Benuoglienti Senis. Aliaque.

45. BASILIVS A' RIPA Bergomensis Ditionis; qui ab aliquibus nostris Brixiensis vocatur ob longum domicilium, sed re vera ex Bergomensi territorio fuit, vt testantur Gratus, Fontana, & Marius Mutius. Vix 14. annum expleuerat, & iam cursum omnium minorum facultatum compleuerat. Pari fęlicitate quoque ad maiores facultates, cùm ingenium velox haberet, ascendit. Anno Domini 1462. 18. suæ ætatis Religionem Augustinianam amplexus est, eamque virtutibus, doc-

trinis,

trinis, & exemplis illustrauit. Breui tam excellens verbi Diuini disseminator euasit, vt in Capitulo Alexandrino 1473. Concionator Generalis declaratus fuerit, ac confirmatus in Bergomensi 1474. Obseruantiæ feruidus zelator semper apparuit, hacque de causa à B. Bartolomæo de Palatiolo vnicè dilectus. Cùm esset Prior Brixiæ 1492; 93; & 94. Bibliothecam pulcherrimam, & eruditam eiusdem Conuentus construxit. Sed quid-mirum? Libros diligunt, qui cum libris, & in Libris perpetuò viuere sciunt. Anno 1500. ad primariam suæ Congregationis dignitatem eleuatus iuxtà condignum fuit: Posteà Prior Bergomensis, ac demum Brixiensis, in cuius gubernio placida morte spiritum emisit anno 1505. Iustis præconijs extollitur à nostro Caluo Bergomensi in memorijs Historicis iam citatis pag. 172; in Scriptoribus Bergom. pag. 68; Possevino pag. 208; Pamphilo pag. 100; & ab alijs Scriptoribus Ordinis, post quos Torellus in 7. To. sæculorum, qui posuit mortem Basilij ad an. 1503; quià non vidit secundum Opus de Scrip. Bergomensibus Donati Calui.

Opera ipsius sequentia asseruantur in Bibl.
S. Barnabæ Brixiæ.

De vita priuata ad R. P. Benignum de Ianua. Incipit: *Varios de te loquentium &c.*

Vita B. Bartolomæi de Palatiolo ad Paulum de S. Genesio Episcopum Helenopolitanum Augustinianum.

Parabolica descriptio Ficulneæ, & cucurbitæ. Incipit: *Ficulneam in Agello suo Colonus quidam plantauit.*

Conciones Aduentuales, & Quadragesimales 2. Tomis omnes distinctè enumerat Pamphilus.

In Ius Canonicum Libellus.

Orationes in Cœna Domini.

Orationes habitæ in pluribus Capitulis Congregationis.

46. BELLINVS PATAVINVS Theologus pius, & doctus. Cùm in lectionibus Auctorum probatorum, qui de Sanctorum vita, atque martyrio conscripserunt, versaretur, multa diligentia, opera, & cura vsus est, vt Martyrologium, quod in Ecclesijs communiter legitur, fidelissimè imprimeretur. Anno 1464. iam erat Religiosus, ac Philosophiæ Studens, eo enim tempore scripsit sequens Opus: *Quæstiones Ioannis de Ianduno in Libros de Anima miniatæ fol. magno ch. Scriptæ per Fratrem Bellinum de Padua* 1464. Anno 1475. erat Pataulij Prior; & 1489. Marchiæ Taruisinæ Prouincialis. Insignis Bibliotheca nostra Patauina plurimis egregijs manuscriptis etiã membra-

membranaceis ornata, industria nostri Magistri Bellini erecta fuit, vt ex Portenario Lib. 9. cap. 26; hodie tamen valdè imminuta; Illustrissimus enim Paulus Naldinus Episcopus Iustinopolitanus noster, aliquorum religiosorum causa, ea relicta, ad ampliandam Bibliothecam S. Stephani Venetam conuersus est. De supradicto Bellino Scardeonius lib. de antiquitatibus Patauij loquens inseruit: *Paulo Zabarella fermè par floruit Bellinus insignis Theologus; cuius non modica laudis fuit editio, & correctio Martyrologij, quod olim cùm pro sua raritate in Choris tantum, & in Conuentibus publicè legeretur, nunc huius opera factum, vt ab omnibus legatur: Et propterea meritò eius nomen non tantùm in illa prima editione mille, & amplius voluminum inscriptum est: sed posteà quoque quoties huiusmodi opus imprimitur, non nisi sub Bellini Eremitani Theologi Patauini correctoris nomine publicatur. Itaque huiusmodi pia martyrum memoria cum nominis huius immortalitate à posteris vbique celebrabitur.* De eo Posseuinus in Appar. pag. 215; Petrus de Alua in Bibl. Conceptionis col. 175; ac citatur à Ioanne Molano in Lib. Nataliū SS. Belgij, in Decisione S. Rotæ Romanæ coram D. Ghisilerio 1638. in Defensorio Sanctitatis S. Luciferi Calaritani Archiepiscopi Ambrosij Machin pag. 14; omnesque nostri eum celebrant, sed corrigendus Elssius, qui asserit floruisse 1530; cùm obierit circa annum 1514.

Martyrologium ab ipso correctum, & illustratum, impressum est Venetijs 1509. 4. ibidem apud Iūctas 1517; & 1522; ac 1564. 4; ac Parisijs apud Mornof 1521; & 1536. 4.

De laudibus Martyrum etiam Venetijs impressum ex Pamphilo.

47. BENEDICTVS ICENVS NORDOVOLGICVS Anglus. Religiosus pius, prudens, rara eloquentia, nec non varia Scientiarum suppellectili instructus: Qui cùm esset S. Th. Professor, multos sui tēporis Theologos ātecelluit; Regisq; Angliæ Eduardi III. Consiliarius electus. Is ob egregiam in concionibus gratiam, & persuadendi vigorem, apud Antonium Episcopum Nordouicensem magno fuit in pretio, eumque titulo Episcopatus Cardicensis insigniri curauit, & Suffraganeum elegit, seù potius suæ functionis participem, ac sodalem. Quo autem anno ex hac vita migrauerit, variant Scriptores; quidam anno 1340; alij 1342. excessisse tradunt. Crusenius, & Pamphilus sub anno 1354. reponunt. De ipso loquuntur Balæus, & Ioannes Pitseus in Scriptoribus Angliæ, Frisius pag. 112; Pos-

112; Posseuinus pag. 219; omnesque nostri. Opera, quæ reliquit, sunt:

Alphabetum Aristotelicum lib. 1. incipit. *Homo nosce tuam vitam*.

Sermones per annum Lib. 1.

Epistolas hortatorias Lib. 1; aliaque.

48. BERNARDVS ANDREAS Patria Tolosanus, vir eruditus, suæ ætatis excellens Poeta, artes ferè omnes, quas liberales vocant, optimè calluit. A Patria discedens aliarum Regionum videndarum causa, Londinum se contulit, inibiq; ab Henrico VIII. Rege, tunc catholico, agnitus statim, in Aulam adscitus, Regius Poeta, Orator, ac Regiæ Typographiæ, & Bibliothecæ Præfectus declaratur. Illo tempore promotor extitit, vt Rex contra Lutheranos scriberet. Hunc videtur illum esse, qui in Regestis Ordinis Magister Bernardus Tolosanus 1514. V. I. Doctor nominatur, & anno 1519. in Anglia existens dicitur Poeta Laureatus. Carmina diuersi generis edidit; Regique dedicauit. Sexagenarius Londini obijt, apud nostros sepultus; eum nominant omnes Scriptores Augustiniani, & Posseuinus pag. 223; Frisius 116. Eius opera sunt:

Hymni Sacri per totum annum Lib. 3.

Vita D. Andreæ Apostoli Lib. 1.

Sermo in B. Dominici Festiuitate. Romæ M. S. in Angelica.

49. BERNARDVS OLIVERIVS Valentinus, Doctor Parisiensis, ac ibidem publicus Professor. Iste à Petro IV. Aragonum Rege, apud quem erat Nuncius, vocatus fuit (teste Francisco Didaco citando) vnus ex melioribus Theologis, qui in Vniuerso aderant. Propter Doctrinæ eminentiam, & morum probitatem anno 1336. Episcopus Oscensis in Aragonia creatus fuit. (Antea enim, nempè 1330: suæ Prouinciæ fuerat Prouincialis.) Missus ab eodem Petro Rege anno 1342. Legatus ad Galliarum, & Maioricarum Reges; dum in Patriam reuertebatur, à Summo Pastore Clemente VI. 1343. Bernardo titulo S. Ciriaci Cardinali Comes Legationis Hispaniarum assignatus extitit. Ab Oscensi Cathedra ad Barchinonensem 1344; & ab ista ad Dertusensem anno 1346. translatus. A Principatu Cataloniæ ad supranominatum Aragoniæ Regem demandatus, post omnia feliciter peracta, ex legatione rediens pia dormitione decessit Dertusæ die 14. Iulij an. 1348; ac in claustro Ecclesiæ Cathedralis in Sacello S. Candidæ Corpus depositum. Dignus immortali memoria Prælatus (expressit Herrera, ex

quo

quo omnia sequentia) ad maxima natus, quem incomparabilis doctrinæ, & magnarum virtutum merita nullibi quiescere patiebantur; & hæc Ecclesia Præsulem alteri, quæ maiori fœlicitate præuenerat, quasi certatim rapiebat, ac Pōtifices Resesque, & Regna, quasi aliū, quē mitterent, non haberent, hunc vnū ad Principes Legatū emandabant. Sunt, qui Bernardū inter Purpuratos Patres adscribunt, & S. Marci titulū Præsbyteralem assignāt. Ex his Hieron. Roman in Centurijs Augustinianis, Martinus Carillo in vita S. Vallerij, & Didacus de Ainsa in Historia Oscensi. Merebatur quidem purpuram Oliuerius; & in magnis meruisse sat est. Sed illum non fuisse in publica promotione rubro galero, & titulo S. Marci donatum, manifestū est argumentū silentium Petri Regis Aragonum, non silentis, sed enumerantis omnes eius Episcopatus, & Elogij sepulcralis inscriptio, quæ Præsulis publicam purpuram non omitteret, & est huiusmodi, *Anno Domini MCCCXXXXVIII. pridie idus Iulij obijt Reuerendus Pater, & Dominus Fr. Bernardus Oliuerij Episcopus Dertusensis, ac Magister in sacra pagina. Hic tumulatur.* Valdè tamen fit probabile fuisse Bernardum in priuato Concistorio, iuxtà antiquum, sed antiquatum morem, à Clemente VI. anno 1345. ad Cardinalatum admissum. Eo enim anno Ecclesiam Barchinonensem gubernabat: & refert Zorita rerum Aragonensium exactissimus indagator Regi Aragonum pro Episcopo Barchinonensi purpuram petenti summum Pontificem annuisse. Defecit alias oculatissimus, & eruditissimus Nicolaus Antonius, loquens de nostro Oliuerio in primo Tomo Bibliothecæ Hispanicæ nouæ pag. 176; protestans se nescire, quisnam fuerit nec cuius sedis Episcopus, nec quonam tempore floruerit. Si Posseuinus, & Pamphilus extrahere non poterant eum ab obscuritate; quare ad illuminandam facem in diligentissimi Herreræ splendoribus, toties ab ipso visis, & citatis, non accessit? Bonè Deus! Homines sumus, ad errandum faciles, nullumque corpus sinè vmbra. Celebrant Præsulem celeberrimum nostrum Oliuerium omnes Scriptores Ordinis, & supracitati ab Herrera, ac etiam Magister Franciscus Didacus in Lib. 3. Comitum Barchinonensium capite 18; Posseuinus pag. 228; Verderius pag. 11; alijque. Eius Opera Theologica sæpius citantur à meo Alphonso Vargas Archiepiscopo Hispalensi in primo To. Sententiarum, & præcisè in Prologo art. pr. quæst. pr. quæst. 4. art. 4. dist. 1. quæst. p. art.

2; & 4; ac alibi pluries. Opera ab ipſo exarata quorum aliqua notantur à noſtro Pamphilo, ſunt:

Super Libros Magiſtri Sententiarum libri quatuor.

In caput *Cùm Martha* de celebratione Miſſarum.

De Diuinis officijs Liber ſingularis.

De Inquiſitione Antichriſti M. S. in Bibl. Regia Eſcurialis, vt teſtatur Alua in Sole ver. pag. 362.

Quæſtiones Quodlibetales.

Excitatorium mentis ad Deum Bernardi Oliuerij Auguſtiniani extabat in Biblioteca M. S. Antonij Auguſtini, nuncupatum Roderico Epiſcopo Valentino, poſtea Alex. VI; ſcribit Nicolaus Antonius; ſed vel Dedicatoria fuit formata ab alio, qui impreſſioni tradere volebat dictum opus, vel non eſt noſtri Bernardi; Alexander enim obijt 1503; & Oliuerius 1348.

50. BERNARDVS DE ROSSERGIO Gallus, Patria Toloſanus, vir doctiſsimus, & eruditiſsimus, qui per annos 20. Toloſæ publicè docuit; primò Canonicus Regularis, ac Romæ ſub Eugenio IV; & Nicolao V. Apoſtolicus Referendarius, vbi pluries coram Pontifice, & Purpuratorum cætu Orationes, & Sermones habuit. Deinde ad meam Religionem tranſijt, vt teſtatur Claudius Robertus in Gallia Chriſtiana; Epiſcopus Vaſatenſis, ac Montalbanus euaſit: Poſtremò ad inſignem Cathedram Archiepiſcopalem Toloſanam regendam aſſumptus anno 1452; nam anteceſſor obierat die 1. Octobris 1451. Hunc præclarum Infulatum, præter Claudium Robertum, non habemus, quos hucuſque viderim, teſtes alios externos Auguſtinianum aſſerentes, quapropter Labbeus illum reponit inter carentes vmbra probabilitatis. Si verò proſpexiſſet aliquos Scriptores, etiam ſuos domeſticos, aſſeruiſſe ſententiam probabilem innixam ſolo vnico teſte minoris auctoritatis, quàm Claudius Robertus, tam ſcrupuloſus non fuiſſet. Obijciet forſan eruditos Sammarthanos pariter in Gallia Chriſtiana nihil de profeſsione Eremitana doctiſsimi Roſſergij meminiſſe, ſed iſti aliqua tametſi clara, etiam ad noſtros ſpectantia, omiſerunt, ac inter alia duos Epiſcopos Tolonenſes memoratos in To. 4. pag. 1063. n. 24; & 25; videlicet Vgonem Labailam anteà Epiſcopum Eugubinum, & Fratrem Petrum eiuſdem Vgonis ſucceſſorem Eremitanos non dixere, quos expreſsè ex Vghello To. p. Italiæ Sacræ, ex regeſtis Ordinis, & ex Torello conſtat Auguſtinianos fuiſſe: Præterquam quòd, etiam ex D. Hieronymo in Lucam cap. 12. habetur: *Argumentum ſumptum*

sumptum ex silentio nec tutum, nec procedit. Sed si Augustinianis deficit probabilitas, quam probabilitatem expressit Labbeus in fauorem suæ negationis? Nullam profectò, nullam. Vt ut tamen sit, vel Canonicus, vel Eremita, Augustinianus fuit Archiepiscopus noster. Scio equidem extitisse aliquos Scriptores Canonicos, Pennotum, Melegarium, San Trudonem, Ticinensem, ac vltimò Nicolaum Desnos discipulum Pennoti, licet hoc neget, aliosque, qui nos excludere conati sunt à D. Augustini filiatione, hac præcipuè de causa, quod Augustinus non fuit Monachus, & quod nos successionem probare non possumus. Attamen pro Monacatu D. Augustini ad Tribunal sapientissimorum Patrum Monachorum S. Germani à Pratis in vltimo To. Operum D. Augustini appello. Ac pro successione profero: Videant, ne ipsi maiori difficultate in sua ostendenda premantur, quàm Eremitæ. Præsidium mihi erit, si opus fuerit, eruditissimi æquè, ac doctissimi P. Io: Gasparis Berettæ Benedictino-Casinensis Monachi Lychnus Cronologico-Iuridicus. Nos tamen, si volunt, Canonicos Regulares vt Augustini Filios veneramur, vt Fratres diligimus. Quod ferè omnes Scriptores Ordinis fecere, at è contra erga nos immeritò paucissimi ex ipsis. Quæso parcat eruditus Lector huic, aliàs longiusculæ, quam par est digressioni necessariæ quidem. Commendatur dignissimè Rossergius, vltra à supradictis Sammarthanis, & Roberto, etiam à Nicolao Bertrando de Gestis Tolosanorum, à Frisio in Bibl. pag. 118; ac à meis Herrera pag. 107; Elssio 125; & 681; ac vltimò à Torello in VI. sæculorum pag. 827. Pro posteris apparent.

Tractatus de Cardinalibus S. R. E. Liber, in quo omnia, quæ ad hanc materiam pertinent, copiosissimè tractantur Auctore Hieronymo Manfredo Iurisconsulto nobili Ferrariensi. Bononiæ excudente Ioanne Rubrio 1564. fol. Opus hoc esse nostri Rossergij testatus est clarissimus Purpuratus Franciscus Maria Brancaccius suis in Dissertationibus Romæ impr. 1671. de Benedictione Diaconali pag. 300. *Tractatus de Cardinalibus non est ipsius Manfredi, sed Bernardi Rosacio*, Rossergij me-lius, *Theologiæ magistri, & V. I. Doctoris, quē citat Cardinalis Iacobatius, sed illum Typis excussum Manfredus vt i proprium opus, falsò sibi adcripsit, & suo nomine edidit Bononiæ 1564. Corniculæ Horatianæ, siue Æsopicæ similis, quod deprehendisse Cardinalem Lancellotum collato Manfredi Tractatu cum vetusto Codice ipsius Bernardi Manuscripto, Anonymus quidam I. C. testatur in quadam nota satis antiqua, & præfixa eidem Tractatui à me diligenter perlecta, qui prædictæ collationi interfuisse affirmat in Bibl.*

Bibl. locupletissima D. Lancelloti tunc Rotæ Auditoris 1580. *Solæ itaque Decisiones ad Cardinaliũ spectantes sunt Manfredi Farinæ.* Priusquam hoc legissem in Brancaccio, iam obseruaueram ante supradictum Tractatum, qui extat in nostra S. Augustini Senarum; manu antiqua cuiusdam incogniti scriptoris, sequentia. *Verus & proprius Auctor huius Tractatus est Magister Bernardus de Rossergio Theologus, & V. I. Doctor, qui est apud me manuscriptus in mea Bibl. sub numero Libri 1876. De quo Auctore mentio est apud Iacobatiũ in Tract. de Concilio fol. 27. col.* 1.

Super Pentatheucum lib. 1.
In Cantica Canticorum lib. 1.
In Apocalypsim Ioannis lib. 1.
In Acta Apostolorum lib. 1.
De Orationibus quotidianis lib. 1.
In Stomathæum Tragicũ lib. 1.
Sententiarum attestationum lib. 1.
Sermones de tempore lib. 1.
Sermones de Sanctis lib. 1.
Inductionum super sexto li. 1.
Repetitiones 6. studiorum li. 1.
De amplitudine potestatum lib. 1.
Agoranium de sacro principatu lib. 1.
De Schismatibus extirpandis lib 1.
Viridarium Rosetum lib. 1.
Itinerarium Romanum lib. 1.
Sermones 8. de B. Virg. Maria lib. 1.
De 100. Miraculis lib. 1.
De Abele, & Stephano lib. 1.
Super Sententias lib. 4.
Comment. Decretorum lib. 2.
Consultationum tripartita lib. 3.
De quæstionibus 42. lib. 1.
Solemnium principiorum li. 1.
Promptuarium Ecclesiæ Catholicæ lib. 1.
De Legatorum officio lib. 1.
De futurorum cautela lib. 1.
De Concilijs Generalibus l. 1.
Prærogatiua Ecclesiæ Gallicanæ lib. 1.
Pro Delphino Viennensi li. 1.
Ambassiatorum breuilo quium lib. 1.
Vita D. Bernardi Claræ-Vallensis lib. 1.
Officium S. Bernardini de Senis lib. 1.
De Visitandis Paræcijs lib. 1.
Secopiscum de naturalibus lib. 1.
De Lapidibus pretiosis lib. 1.
De Pragmatica sanctione lib. 1.
De Regis Francorum regimine lib. 1.
De Armorum insignijs lib. 1.
Ars interpretandi eadem li. 1.
Aurifium S. Thomæ de Aquino lib. 1.
Viagium contra Turcas lib. 1.
Annales Vrbis Tolosanæ lib. 1.
Historia Caroli Magni lib. 1.
Iufluxiones Planetarum lib. 1.

Omnia hæc ex Frisio, qui non exprimit, vbinam asseruentur. Insuper non benè signat ipsum claruisse 1460.

51. BERTHOLDVS RVCHAVOSER de Ratispona Germanus, Philosophus, & Theologus magni nominis: Anno 1388; & 1392. Oxonij Studijs operam dabat. S. T. Doctor crea-

creatus, in Germaniamque reuersus, Accademiarum Religionis moderator euasit. Anno 1400. in Vniuersitatem Viennensem admissus, ibidem inter primos Theologiam docuit. Anno 1410. exarauit Viennæ Austriæ expositionem insignem super Apocalypsim, de qua infra. Anno 1412. fuit Præsidens capituli in Bauaria habiti: ac ab anno 1419. vsque ad 1427. eiusdē Prouinciæ Prior Prouincialis. Denuò 1435. à Gen. Gerardo Ariminensi Præses, & Vicarius Generalis deputatus. Facilè paulò post obijt, quià ampliùs de eo mentio vlla in regestis non apparet. Celebrant ipsum Pamphilus pag. 73; Milensius in Alphabeto Germanico, omnesque Scriptores Ordinis post ipsos. Inter exteros apparēt Posseuinus pag. 230; & Marraccius To. p. pag. 233. Scripta eius sunt:

Super Apocalypsim Lectiones 107. Seruabantur Ratisponæ in nostra Bibliotheca 2. volum. in Fol. Primum Volumen duodecimo capite terminabatur; Secundum reliqua continebat: Adiunxit in eo has quæstiones arduas. Vtrum Christus omnē Sanguinē, qui de Corpore suo fluxit, in eodem corpore hora resurrectionis glorificauerit? Et vtrum efficacia Sacramenti Baptismi noxam deleat cuiuslibet peccati?

In Euangelium Ioannis expositio.

Super Salutationem Angelicā, & Salue Regina.

Super magistrum Sententiarum.

Quæstiones in Libros Aristotelis de Anima. Et quædam alia.

52. BINDVS GVERRI Senensis filius Cœnobij S. Antonij de Nemore ad Lacus Ambrosianos. Scribit Landuccius in Sylua Ilicetana latina. *Plura Opuscula dictauit, eius manuscripta conseruantur Romæ in Bibl. Angelica apud Cœnobium S. Augustini, quæ cùm eramus Prior dicti Monasterij, per pluries legimus, vidimusque maximam doctrimam, eruditionem, & pietatem in se includere. Quò anno, quo mense, quo die ex hac vita discesserit doctissimus hic Bindus, nescimus, quamquam omni diligentia scire curauimus.* Si doctus Prælatus obseruasset manuscriptum ipsius Bindi in Bibliotheca Ilicetana à me visum, nec non Herreram nostrum, & Vgurgerium Dominicanum Senensem, absque tanta diligentia clariùs inuenisset tempus, & qualitatem Bindi, nec non eius cognomen à me in manuscripto obseruatum. Floruit igitur Bindus 1385. S. T. professor. Anno 1390. erat Vicarius Generalis Senarum, & die 17. Octobris iam obierat. De eo vltrà citatum Landuccium in Sylua latina pag. 148; in Italica pag. 157. addentem ex proprio marte

eum

eum vixisse 1570; & Vgurgerius in Pompis Senensibus pag. 368; Herrera pag. 111; etiam Elssius in Encom. pag. 129; Torellus verò nihil. Scripsit opus sequens, cuius initium:

Incipit quoddam Opus compositum per Fratrem Bindum Guerri de Senis Ord. Heremit. discurrendo per omnes Litteras Alphabeti assignando Figuras noui, & veteris Testamenti. In fine porrò Operis habetur: *Explicit Tabula super Librum Fratris Bindi Guerri de Senis Ordinis Herem. expleta 1385. die 7. Iunij. Laus sit tibi Christe, quoniam Lib. explicit iste.* In membr. 4. Adest quoque in nostris Marciana, & Carbonaria. Quæ sunt in Angelica, adhuc non vidi.

53. B. BONAVENTVRA BADVARIVS ex Comitibus de Peraga Patauinus: De domo Principum Carrariensium, vt asserunt Coriolanus, & Panuinius, facilè, vt puto, ex parte matris. Natus est die 22. Iunij 1332. Fratrem habuit Bonsemblantem etiam Augustinianum. De eisdem Petrarcha in Epistolis senilibus ad Bonauenturam scribens, vt solamen afferret pro Bonsemblantis obitu; hæc inter alia: *Quis non hominum vos spectabat oculis, atque animo suspensus, præsertim vbi casus aliquis fortè vos iungeret in consessu publico, aut in via. Quis non vos amabat, & laudabat, & mirabatur? Fraternitas ipsa miraculo addebat, ac raritas, par statura, eadem quasi Corporis habitudo, vna propè duobus fratribus ætas erat, vna certè professio, vna conuersatio, vnus habitus, vna religio, vnus Ordo, vnus splendor magisterij; pluris existimabantur tales duo Fratres, quàm quatuor alij, pares licèt. Felices parentes dicebantur, qui tale par hominum genuissent. Felix Patauium, vbi geniti essetis, enutriti, nihil est enim, quod vnam quamque patriam tam felicem faciat, quàm suorum Ciuium virtus, & gloria.* Noster igitur Bonauentura in primo ætatis flore ad meam Religionem illustrandam ingressus est. Post aliquot annos omnibus liberalibus disciplinis ornatus repentè excellentissimus Concionator super Rostra, & ferè absque paribus in Cathedris suspiciebatur. Inter nouem insignes Doctores mandante Innocentio VI. ad erigendum Theologorum Collegium in celebri Vniuersitate Bononiensi anno 1362. adscitus. Famosissimo Francisco Petrarchæ arctissima familiaritate coniunctus fuit: Quapropter anno 1374. 18. Iulij in frequentissimo illius funere Orationem funebrem habuit luculentissimam, tam celebri Doctore, ac Poeta dignissimam. In congressu Generali Veronæ habito 16. Kal. Iunij 1378. ad supre-

mum

mum Ordinis gubernium eleuatus est, & circa annum 1379. ab Vrbano VI. S.R.E. Cardinalis tit. S. Cæciliæ creatus: Ad ipsum enim iam Cardinalem Epistolam scripsit D. Catharina Senensis, quæ ad Cœlos ascendit 1380. die 29. Aprilis, vt videre est in Epistolis huius Sanctæ impressis fol.33. Anno 1381. simul cum duobus alijs Cardinalibus Ordinis Dominicani, & Franciscani ex Pontificia commissione Scholis Theologicis Vniuersitatum Italiæ leges præscripsit. Anno 1381. die 1. Iunij se subsignauit Bullæ eiusdem Vrbani Inuestituræ Regni Siciliæ Regi Carolo factæ, tali forma: *Fr. Bonauentura Præsbyter Cardinalis tit. S. Cæciliæ.* Variant Scriptores in assignando anno ipsius obitus, qui non benè ex eiusdē Epitaphio eruitur ab eruditissimo Papebrochio, licet congruè alias assignetur ab ipso annus 1388. die 10. Iunij. Ciacconius in Vita Vrbani VI. hæc de nostro Purpurato prodit. *Ecclesiasticæ libertatis vnicus assertor, & Patronus cùm esset, ortis inter eum, & Franciscum Carrariensem Patauij Dominum ob ius Ecclesiasticum simultatibus, impijs Principis conatibus constantissimè sese opposuit, & iniqua eius postulata insigni constantia contempsit. Haud multò post tantæ virtutis vir Romæ, dum pontem Elium transiens ad Basilicam Vaticanam ire pergerat, sagitta ab incerto emissa immaniter transfixus, nefariè interfectus est, ità occultè, vt neque de homicida, neque de tanti sceleris authore quidquam vmquam certi sciri potuerit. Cæterum omnes suspicati sunt Carrariensem iratum per occultos Sicarios id egisse.* Plurimi eruditi Scriptores martyrem appellant nostrum Bonauenturam, inter quos Paulus Cortesius lib.1. de Cardinal; Volaterranus lib. 21. Antropologiæ, Trithemius de Scriptoribus, Panuinius in vitis Pontificum, Scardeonius lib.2. class.7; alijquè plurimi. Attamen, quia hoc à suprema Sede adhuc non est confirmatum, nihil affirmo. Illud certum est, quòd in antiqua Capella Apostolici Palatij olim conspiciebatur eius effigies titulo Beati, & radijs coronata. Hunc Purpuratum Patrem excelsis præconijs extollunt omnes nostri, præcisè Cherubinus Ghirardaccius in Hist. Bonon. par.2. pag. 404. etiam martyrem vocans, Angelus Portenarius in Felicitate Patauina cap.7. pag. 390; & Curtius in Elogijs pag.49; in quibus veram eius effigiem profert. Inter exteros apparent, vltra supranotatos, Abraham Bzouius in Annalibus, omnesque Bibliothecarij, ac vltimò Henricus Warthon in opere sæpiùs citato pag.43; sed meliùs, eruditiùs, ac præclariùs vti

consuetum, clarissimus Daniel Papebrochius Iesuita in To. 2.Iunij pag.382;& sequentibus.Pro eo cōcludit accuratus Herrera. *Dignus planè vir ampliori honore si sanctitatem, & merita humano iudicio trutinemus; sed differtur aliquando sanctis gloria, vt congruentiori tempore cumulatiùs conferatur.* Familia Baduaria olim Patauina ab Oppido Peraghæ Peraghina cognominata Venetias se transtulit, vbi Participatia vocata fuit, quià particeps erāt Dominij continentis, & Insularum. Origo ipsius fuit à Gente Arria Romana, & quia Patauij sedem primam habebant, vocabantur Paduarij, quasi Paduæ Arrij, & indè corruptè Baduarij, & ex ipsis Duces primi Venetiarum extiterunt. Iacobus Zabarella in sua Aula Zabarella pag.156; vbi de nostro B.Bonauentura loquitur, qui annum mortis primus obseruauerat, quòd posteà Papebrochius, etiamque de martyrio. Aliqua extensiùs iàm retuli de ipso in Augustinianis Purpuris, Cardinale 14.pag. 22.Sequens est Epitaphium, demum Opera ab ipso edita.

Hic Bonauentura est, qui doctus dogmate Sacro,
Augustine tuis Eremis iam præfuit Orbis;
Padua prouectus ad Solium Cardinis, inde
Anni milleni decies septemque triceni.
Additis bis nouem Christi, requieuit in Vrbe.
Cæli Ciues animam, tu possides ossa sepulcrum.

In Libros sententiarum Petri Lombardi Commentaria, excussa in Germania, tomis quatuor distincta, vt Pamphilus, Posseuinus, & Frisius testantur.

Vita Christi, vel Meditationes deuotæ in vitam Christi, opus diuisum in capita 95. etiam impressum fuisse ijdem testantur.

Speculum Beatissimæ Virginis Mariæ, impressum Augustæ, apud Antonium Sorg.1476.4.

Tractatus vnicus, de Cōceptione B.Virginis, de quo noster Ioannes de Meppis apud Petrum de Alua in Bibl. Conceptionis col. 1493. *Hic eruditissimus Doctor, scilicet Bonauentura, compilauit Tractatum vnum de Conceptione Immaculatæ Virginis, qui ab æmulis in morte sua fuit subtractus, sed circa annum Domini 1464. per Reuerendum Rectorem Ioannem Agarijs Ciuem Pergamensem reinuentus fuit, & ne nomen tanti Doctoris ignotum remaneret, volui eius dicta in medium proferre &c;* & per plures paginas refert plures clausulas de prædicto libro à pag. 74.vsque ad 80.

Sermonarium Scholasticum in Euangelia totius anni, quod incipit. *Venit desideratus cunctis Gentibus.*

Ternarium, siuè trinum bonum de regimine conscientiæ.

Commentaria in Canonicam S.Iacobi Apostoli.

Ser-

Sermones de tempore; Sermones de Sanctis; Sermones ad Clerum. Ex his aliqui irrepserunt inter sermones S. Bonauenturæ Minoritæ, vt testatur noster Roccha Sacrista in Dedic. To.3. eiusdem Sancti ad Clem. VIII; sed in editione Romana ablati.

Breuiloquium, in quo procedit subtilissimo modo Theologico à prima causa ad suos effectus, sicut è contrà Philosophica deductio progreditur ab effectibus ad Deum.

Liber, qui dicitur Itinerarium B. Bonauenturæ ch.8. in nostra Patauina ex Thomasino pag.71.

54. BONSEMBLANS Patauinus supranominati Bonauenturæ frater, Religiosus non minus sanctus, quàm doctus, quem Franciscus Petrarcha Lib.11. senilium rerum Epist. 14. vocauit *magnam gloriam suæ patriæ, magnum ordinis sui decus, & eximium*. Venetijs pijssimè ex hac vita migrauit anno 1369. die 28. Octobris ætatis suæ 42. *Cùm enim missam deuotissimè celebrasset*, sequitur citatus Petrarcha, *non multo post seria inter verba cum amicis, repente se deficere cognoscens, suam in cellulam properauit, lectuloque accliuis, Dauidicum Psalmum illum famosissimum*, Miserere mei Deus, *incipiens, antequam expleſſet religiosam illam, atque vt sic dixerim, excepta actionis animam exhalauit*. Suspicio est, Franciscum Carraram Regulum Patauinum, mediante aliquo viro peruerso, veneno illi occultè dato è medio sustulisse: Quam suspicionem augent Capituli Generalis acta, hæc inter alia habentia. *Item eidem Patri Priori Generali committimus diffiniendo, quòd omnes quæstiones, & causas cum omnibus suis dependentijs terminare valeat, principalissimè causam mortis reuerendæ memoriæ M. Bonsemblantis*. Commendatur ferè ab omnibus qui de Bonauentura loquuntur, etiam à nostris. Hæc sunt ipsius opera:

Lectura super primum, secundum, & tertium sententiarum. In nostra Patauina Fol. memb. vet. ex Thomasino pag.75.

Quæstiones diuersæ tam Philosophicæ, quam Theologicæ.

Sermones multi ad Clerum, vtile Opus studentibus.

55. CHRISTOPHORVS Bononiensis Pauli filius, Theologus præstantissimus, & Concionator disertus; anno 1380. erat iam in Theologorum Collegium aggregatus. Anno 1414. Theologiam ex Cathedra in Metropolitana S. Petri legebat. Deinde anno 1424. conciones vtiles habuit in Celebri D. Petronij Templo. Primo verò Anno 1419. & 20. S. Iacobi Prior

etiamque extitit Confessarius Ven. Confraternitatis S. Mariæ, vulgo dicta *della Morte*, ad cuius instructionem Regulas dictauit infrà notandas. Adhuc viuebat anno 1428; quo tempore Dechacordium composuit. Bononiæ obiens hac fuit inscriptione sepulcrali decoratus.

Inclyta Christophorum genuit me Felsina Fratrem,
Qui viuens Christum corde timente tuli.
Astra tenet Cęli nunc mens sibi conscia recti,
Sub tamen hoc gelido marmore membra iacent.

Eius mentio præclara apud Pamphilum, Herreram, Crusenium, & Elssium, etiam apud Ghirardaccium Lib. 29. pag. 629; & Nicolaum Pasqualem Alidosium Lib. Doctorum Bononiensium Italicè Bononiæ apud Tebaldinum 1623. impr. Lit. C. pag. 40; ac Ioannem Antonium Bumoldum in Bibl. Bononiensi pag. 51; vel clariùs Ouidium Mont-Albanum Doctorem Medicum, qui sub nomine Bumoldi edidit. Opera ab ipso exarata, sunt.

Decachordium. Liber profundæ doctrinæ, asseruatur M. S. in nostra Bononiensi ex Ghirardaccio.

Expositio super Cantica canticorum, testatur supracitatus Alidosius.

Regulæ, seù directiones pro schola confortatorum supranominatæ Confraternitatis S. Mariæ, asseruantur in Archiuo eiusdem Societatis, vt Torellus affirmat.

56. CHRISTOPHORVS Pisaurensis S. T. Doctor, ac Iuris Canonici peritia clarus. Anno 1460. quibusdam Tractatibus euulgatis memoriam sui immortalem reddidit. Anno 1451; & 52. erat Cœnobij Ariminensis Prior. Anno 1454. Præses Capituli Prouinciæ Anconitanæ, & 1459. aliquorum Generalium Conuentuum Vicarius Generalis. Adhuc viuebat anno 1472. Eum laudant Posseuinus pag. 318; Pamphilus pag. 84; Herrera pag. 150; Crusenius par. 3. cap. 38; Gratianus pag. 57; & Elssius pag. 145. Opera extantia in Bibl. nostra Pisaurensi sunt.

Tractatus admodum vtilis de Simonia.

Tractatus declarans Arborem affinitatis, & Consanguinitatis.

Explanatio pulcherrima in orationem Dominicam.

57. CONRADVS de Monte Puellarum Germanus, Ecclesiæ Ratisponensis anteà Canonicus. In Erphordiensi Academia

mia liberalibus disciplinis eruditus, ad Parisiensem Vniuersitatem accessit, inibique sacris litteris instructus, ac Magistrali laurea insignitus, per annos octo multos cum gloria erudiuit. Indefesso labore, eximiaq; industria virtutibus ornatus enituit. Hic Conradus annis maturus, relicta militia Clericali, Augustinianæ Religioni Ratisponæ se dedit. Fuit Rector Studiorum Viennæ, vt testatur ipse cap. 3. vitæ S. Erhardi Episcopi, in quo cùm aliqua narret ad se ipsum spectantia, ideò hic reponere placuit: *Nec silentio præterire debeo* (inquit) *illud miraculum, quod Beatissimus Dei Præsul Erhardus mecum operari dignatus est quamuis indigno, & sordido Christi peccatore. Cùm enim ante annos sexdecim, & vltra, studium regerem Viennense in Austria, accidit mihi diuina correctione, vt post grauem colicam membrorum, pedum videlicet, & manuum, incurrerem grauem paralysim, adeòut nec de loco ad locum progredi valerem, nec manibus meis ori meo buccellam panis porrigere, & visum est mihi per somnia, qualiter Ratisponæ apud inferius Monasterium genicularem coram sepulcro B. Erhardi, & respiciendo sursum, viderem in quadam schedula (Cancellis ferreis circumdantibus tumulum eius) affixa hos duo versus:* Erhardus mores augumentat res, & honores: huc omni Genti, pro laude sua venienti: *Feceram me ergo deferri in Ratisbonam per Nauiculam in Danubio flumine, & cùm quadam die missam solemnem super Altare B. Erhardi apud inferius monasterium sociorum, & amicorum subsidio comparassem, prostratus in modum Crucis coram eodem Altari, dum cantaretur* Alleluia, ò Gemma Pastoralis lucida, & sequentia. Salue splendor firmamenti, *quas laudes, Deo donante, ad honorem Præsulis infirmus feceram, mox totum meum corpus, cum omnibus membris meis in melius est alteratum, & conualui ex totò. Igitur nunc ad honorem Dei, & huius Sancti Gloriam hanc Historiam tradidi, ac legendam ipsius in hoc compendium transformaui*. Claruit 1340; nam opus suum dicatum Lupoldo Bambergensi Episcopo, qui obijt 1341; hoc indigitat. Pamphilus tamen eum reponit sub anno 1395; facilè tunc iam defunctum. Condignis præconijs cohonestatur à Trithemio de Scriptoribus Germaniæ, à meo Stellartio l. 2. Augustinom; Elssio, Gratiano, Herrera, ac Torello: eiusdemque meminit Colganus Minorita Tom. 1. de SS. Hiberniæ, & Frisius in Gesneriana pag. 170. Scripsit itaque.

Occu-

Oecumenicum, grande, & nobile opus D. Lupoldo Episcopo Bambergensi. Initium est. *Omnis moralis Philosophia*.

Monasticam ad Ducem Austriæ Lib.1.

De erroribus Beghardorum M.S. in Bodleiana pag. 340.

Super sententias Lib.4.

Quæstiones varias Lib.1.

Politicam Lib.1.

Vita S. Erhardi Episcopi Ratisponensis edita est in primo Tomo Ianuarij Bollandi pag. 541.

Aliaque varia.

58. CONRADVS TREGARIVS Heluetus Theologus doctissimus in Sacra Scriptura, & Sanctis Patribus versatissimus, Ordinis Augustiniani fulgentissimum sidus, *verus Fidei Catholicæ Zelator* à Gabriele Veneto Generali in regestis vocatus; accerrimus hæreticorum impugnator, & Religionis Catholicæ propugnator strenuus semper eluxit. Hic vir eximius Prouinciam Rheni, & Sueuiæ difficillimis temporibus ab anno videlicet 1519. vsque ad 1540; gubernauit, defendit, conseruauit. In meo Ordine itaque etsi alij religiosi præclarissimi non extitissent, solus Tregarius ad fulgidum reddendum sufficeret. Iure igitur merito alter hæresum indefessus profligator noster Ven. Ioannes Hoffmeisterus in Opere citando eum vocat *Priorem Prouincialem dignissimum*, *Theologum eximium*, *Patrem venerandum*, *quem inopinata pestis eripuit*, *& Deo*, *à quo ipsum acceperamus, reddidit*. Is vnus, & vnicus inter Catholicos Doctores extitit, qui cùm determinata fuisset apud Bernates Heluetios disputatio Catholicorum cum Zuinglianis, missus ab Episcopo Lausanensi ad certamen strenuè properauit, ac coronam Victoriæ consecutus est. Finem habuit disputatio 1528. 26. Ianuarij. Demum post plures triumphos ab hæreticis reportatos, ac post multos labores pro Christo, & vera Religione despectos, in Domino feliciter requieuit anno 1542. 25. Nouembris. Pluribus encomijs, sed merito inferioribus, decorarunt Tregarium omnes nostri, ac etiam Posseuinus pag. 349; Surius in Append. ad Nauclerum, Rou. Pontan. Lib.2. rerum memorabilium, & nominatus Hoffmeisterus in Epist. dedic. de Sacrificio Missæ, ac Fernan. Hist. Eccl. Lib. 3. cap.7; & Ardinghellus in congem. vocis Turturis Appēdice pag. 36. Opera eius sunt.

Paradoxa centum de Ecclesiæ, Conciliorumque auctoritate, Reuerendissimo Principi Fabiano de Montefalcone Episcopo Lausanensi dicata. Impress. Argentinæ.

Dil:rtationem de Sacrificio Missæ inceperat, sed morte præuentus perficere non potuit, vt asseruit Hoffmeisterus.

59. DIMALDVCIVS FOROLIVIENSIS, vir tam diuinis Scripturis, quàm humanis Litteris instructus, ex Pamphilo floruit 1336. Sed cùm Librum de Resurrectione Mortuorum dicauerit Bartholomeo de Capua Prothonotario, & Logothetæ Regis Neapolitani Caroli Secundi, qui obijt 1309; & illum extantem, & visum à se Herrera testetur scriptum per Fratrem Ioannem de Austria anno 1305; asserere debemus Dimalducium floruisse dicto tempore:& forsan 1336. ex hac vita migrasse, vt etiam suspicatur Torellus. Commemorant Posseuinus pag. 399; Verderius in supplemento pag. 15;& Marraccius pag.332. Quæ scripsit, sunt.

De Resurrectione mortuorum volumen insigne; incipiens. *Nolumus vos ignorare de Dormientibus*. Extabat Romæ in Bibl. D. Constantini Caietani.

Sermones Quadragesimales super epistolas, & Euangelia. In Bibl. Augustana fol; vt testatur M.Antonius Reiserus in Indice impress.ibidem 1675.4. pag.43.

Sermones Dominicales totius anni. Incipiunt *Virgā Virtutis tuæ*.

Sermones super epistolas Dominicales totius anni. *Fili, suscipe sententiam Patris*.

Sermones de Festis totius anni: *Corde creditur ad iustitiam*.

Sermones ad Clerum. *Ille arguet mundum de peccato*.

Tractatus de septem Sacramentis; olim in nostra Bononiæ, & Seruorum Florentiæ.

60. DIONYSIVS BRISENVS Collensis, filius Conuentus eiusdem Ciuitatis, de quo Torellus noster in 7.To. sæculorum pag. 195. sic dubiè loquitur, ac si nesciret, an Ciuitas Collensis in Etruria existeret. Ciuitas igitur Collensis distans à Senis ad decem milliaria, tria Augustinianorum Cænobia possidet, nempè S.Marię Gratiarum per dimidium milliare à Ciuitate; S.Antonij ad lacus Ambrosianos per tria milliaria, suntque Congregationis Ilicetanæ, tertium, & primarium habens insignem Parrochialem, in qua ann.1700. Euangelia Quadragesimalia exposui, genuit spiritualiter Dionysium Brisenum. Pater Bacc.Leonardus Lessius, qui eruditè admodum lingua Italica descripsit Annales eiusdem Monasterij Prouinciæ Senarum, postquam ex Pamphilo reposuit qualitates Dionysij asserens eum pietate, & litteris exornatum, & in arte sermocinandi peritum, concludit. *De Virtute, nomine, & doctrina huius præclarissimi viri in Conuentus scripturis memoria non*

rema-

remanet. Solummodo in Tabula Defunctorum Sacristiæ benè disposita inter S.T.M.inueni Dionysium Brisenum, qui è viuis excessit 1471. Hunc celebrant Pamphilus pag.88; Herrera pag. 100; Crusenius par.3. cap.29; Gratianus 63; Elssius 169; ac vltimò in suis M.S. Scriptorum Tusciæ Oldoinus, & Cinellius mei amici eruditi, quorum Opera aliquando, vt audiui, in lucem prodibunt, præcisè cum M.S. Patris Oldoini in manus celebris ingenij P. Iulij de Nigris deuenerit. De eo etiam Posseuinus pag. 408. En Dionysij scripta, quæ tamen, vbinam asseruentur, est incognitum.

Tractatus de Morte, in cuius omnibus fermè capitibus incipit: *Omnes morimur, & quasi aqua dilabimur &c.*

De arte Sermocinandi Lib. 1.
De pulchritudine pacis Lib. 1. Incipit. *Distinguit Beatus Augustinus.*

61. DIONYSIVS DE MVRCIA Hispanus, Religiosus valde doctus, & eruditus. In Academia Parisiensi postquam Doctoris Lauream suscepit, perplures annos Theologiam docuit: Cùm anteà fuisset primus Capellanus Siciliæ Regum, ex rescripto Vrbani V. asseruato in Tabulario Messanensis Ecclesiæ, dato Auenione anno primo Pont. 1363; ad Cathedram eiusdem Messanensis Ecclesiæ exaltatus fuit, inibiquè constituit suum Vicarium Generalem Fratrem Lucidum de Murcia, ex eodem suo Ordine: Olim tamen, nempè 1358; vt asserit Roman ex regestis, fuerat Vicarius Generalis Prouinciæ Neapolitanæ. Ab Vrbano V; & Ioanna Regina Neapolitana ad Fridericum Siciliæ Regem de pace acturus, Nuncius destinatus, vt habetur in Cancellariæ regesto, vbi à Siciliæ Magnatibus, *Vir venerabilis, & magnæ auctoritatis* nominatur. Eius, aliorumque Oratorum efficacia longum, & molestissimum Bellum inter Gallos, & Siculos cum Aragonijs sopitum est, & pignus Pacis oblatum, videlicet Margarita, Ioannæ Reginæ ex Maria sorore neptis, Regi Friderico desponsata. Dionysij memoria in Tabulis Messanensibus vsque ad diem 18. Iulij 1380. apparet, unde credendum est, circa ea tempora Archiepiscopum ad feliciorem vitam migrasse. Eum Ven. Alphonsus ab Orosco in Chronicis Hyspanicis vocat celebrem Scriptorem, Pastorem bonum, & largum elemosynarium, atque omnes nostri celebrant, sed errarunt in assignatione temporis, præter Herreram, & Torellum. Meliùs tamen Rocchus Pirrus par.2. in Ecclesia Messan. pag. 319. n. 17; ex quo supradictus Herrera notitias hausit: Scripsit. Con-

Commentaria super Libros sententiarum lib. 4.

Sermones notabiles ad Clerũ, & Populum.

62. DIONYSIVS DE ROBERTIS à Burgo S. Sepulchri Etruriæ Ciuitate, vir doctissimus, ac in omni scientiarum genere versatus; erat enim Poeta, Orator, Philosophus, Politicus, Astrologus, Theologus, ac sacri Euangelij disseminator egregius, vt etiam Ioannes Villanus Dionysij amicus, & familiaris asserit. Regi Neapolitano Roberto acceptissimus fuit, ac à celeberrimo Francisco Petrarcha summè dilectus, vt in ipsius operibus patet. A' Benedicto XII. electus fuit Episcopus Monopolitanus 1339. 16. Kal. Aprilis; gubernauitque sponsam sibi commissam solùm annis tribus: Nam Neapoli in Regia Curia obijt 1342. 14. Ianuarij, sepultusque est ad S. Augustinũ. Anno 1339. simul cum Patre Ioanne de Alexandria die 11. Octobris excepit donationem aliquarum domorum factam à Gualterio Galeotto pro noui Conuentus S. Ioannis de Carbonaria fundatione. Eius mortem defleuit amicus Petrarcha in Epistola ad Regem Robertum, incipiens: *Flere libet, sed flere vetor*, ac in fine eiusdem Epistolæ sequens Epitaphium apposuit.

Qui fuit Esperiæ decus, & noua gloria gentis,
Cultor amicitiæ fidus, charisque benignus.
Conuictu placidus, vultuque, animoque serenus,
Relligione pius, factisque, habitùque modestus.
Altus & ingenio, facundo splendidus ore,
Flos vatum, Cæli scrutator, cognitus Astris,
Rarus apud veteres, nostro rarissimus æuo,
Vnicus ex mille iacet hic Dionysius ille.

Celebrauit igitur nostrum Dionysium Franciscus Petrarcha Lib. 4. Epist. familiarium To. 2. pag. mihi 627; in senilibus Lib. 14. Epist. 7. ad Ludouicum Marsilium scripsit. *Dionysius tui Ordinis sacrarum professor egregius literarum, & vndique vir insignis, indulgentissimus pater meus*, in Epist. ad ipsum To. 3. pag. 80; & ad Regem Robertum pag. 86. Celebrarunt quoque Volaterranus lib. 21. Antropologiæ pag. 766; Frisius in Gesneriana pag. 201. Trithemius de Scriptoribus Eccles; Posseuinus in Appar. pag. 408; Iacobillus in Scrip. Vmbriæ pag. 94; Iacobus Philippus in supplem. lib. 14. anno 1416. pag. 368; Vghellus in Italia Sacra To. 1. col. 1408; ac omnes Scriptores Ordinis. Quæ exarauit, sunt.

Postillæ in Epistolas S. Pauli ad Romanos extabant Florentiæ in nostra S. Spiritus.

Super Magistrum Sententiarũ, citatur ab Argentina nostro lib. 1. dist. 19. quæst. 1. art. 1.

Fabulas omnes ad tam præcellentem sensum tropologicum reduxit, vt in admonendis populis, nihil vehementius, nihil iucundius, nihil denique vtilius possit afferri, vt affirmat Coriolanus Ambrosius.

Comment. in Libros Metamorph. Ouidij lib. 1.

In Libros Rhetoricorum lib. 1.

In Poeticam Aristotelis lib. 1.

Commentaria in Valerium Maximum lib. 1.

Commentaria in Virgilium lib. 1.

In Lib. Politicorum lib. 1.

In Tragædias Senecæ lib. 1; aliaque.

63. DIONYSIVS VASQVEZ Toletanus, Petro Vasquez, & Maria de Sancto Petro Ciuibus Toletanis ortus. Anno 1500. Iunij 5; ut meam Augustinianam Religionem illustraret, in eam ingressus est. Is summo ingenio, & prudentia ornatus, inque Sacris litteris optimè instructus, ea, quæ sine summa difficultate sciri non possunt, verbis adeò appositis construebat, planioraque, & clara reddebat, vt ignara etiam plebs ab eius concionibus non tantum morigerata, sed etiam edocta discederet. Quadam vice cùm Romæ coram Leone Pontifice, & Purpuratis Patribus Orationem infranotandam habuisset, Pontifex ad Cardinales, & Prælatos conuersus, quasi admiratione raptus, protulisse dicitur: *Putabam Dionysium esse in Cęlo, & nihilominùs hodie vidi eum super terram*. Anno 1518. erat Pontificius, ac Cæsareus Concionator; & re verà iuxtà condignum: Nam vt affirmat Aluarus Gomesius Lib. 8. de rebus Cardinalis Ximenij, eloquentissimus Orator, viuacissimi ingenij, doctrinæ multiplicis, Linguarum cognitionis, Scholasticæ, & expositiuæ Theologiæ, ac Sanctorum Patrum lectionis, & eruditionis non uulgaris dotibus, & ornamentis conspectissimus apparebat. Ipsum Leo Pontifex ad Carolum V. delegans scripsit intèr alia: *Mittimus tibi alterum Eliam*. Atque Ioannes Ramirus Toletanus Academiæ Rhetor dicere solebat: *Nullum ætate sua, præter vnum Dionysium, Oratorem natum vidisse*. Trium insignium Academiarum Doctor Theologus extitit, scilicet Complutensis, Toletanæ, & Parisiensis; Attamen etiam tali modestia, & humilitate ornatus, vt Mexicanum priùs Archiepiscopatum, demum Palentinam Infulã ipsum repudiasse, à Patribus Prouinciæ suæ assertum fuerit.

Cùm

Cùm semel in Germania de Fidei, & Religionis controuersijs cum Luthero disputandum esset, & viri desiderarentur ad hoc peragendum idonei; Cæsar Carolus V. quasi dolens, multis audientibus exclamauit: *O Dionisi, cur ergo te in Hispania deserui*. Apud ipsum enim Cæsarem erat magno in pretio, audiebatque sæpissimè, & attentissimè Dionysij Conciones. Illos, qui diuitiarum adipiscendarum causa in Americam transmeabant, longo circuitu, atque errore in Infernum proficisci clamabat, cùm medius inter nos, & illos Antipodas Inferni locus sit, quo faciliùs sinè tanto marium, atque terrarum dispendio proficisci ex Europa possit. Fuit Vicarius Generalis Prouinciarum Castellæ, & Coloniensis: Illius tamen gloria maior emicuit, dum Compluti docens, inter discipulos, quadraginta S. Theologiæ Magistros frequenter cerneret, multosque plures frequentissimè in Concionibus. Varia scripsit in Sacrā Scripturam Commentaria, quæ in aliquibus Hispaniæ Bibliothecis asseruantur tamquam pretiosa, & rara. Ipsa hucusque typis edita non apparent; hac de causa ab illustrissimo Pamphilo allegata, quòd cum Hispanis diuinos Libros explanaret, lingua Hispanica quàmplurima pronunciabat, tantaque venustate, ac eloquentia latino eloquio intermiscebat, vt nemo ausus fuerit, aut totum latinè, aut Hispanicè pro dignitate reddere. In extremo vitæ incidit in linguæ, qua tantùm valebat, paralysim, quare omnium mærore Academia relicta, in patriam secessit, ibique sexagenario paulò maior, non sine euidentibus signis sanctitatis, die prima Iunij 1539. ipso Sanctissimæ Trinitatis festo, quem diem fore vitæ suæ extremum plerisque prædixerat, piè in Domino obdormiuit. Insigni Elogio cohonestarunt Dionysium citatus Aluarus Gomesius, Posseuinus pag. 412; Nicolaus Antonius Tom. pr. Bibl. Hisp. pag. 251; ac omnes Scriptores Ordinis, inter quos primatum tenet Ven. Alphonsus ab Orosco in Chronicis Hispan. nostris. Omnes verò qui de ipso scripserunt, editionem sequentis Orationis ignorarunt: Eam diligenter quæsitam numquam ad inuenire potui; notitiam solummodo excepi ex paruo Indice P. Magistri Augustini Rubei Genuensis. In principio Operis M. Alexij Vanegæ impr. Compluti apud Andream de Angulo 1565. 4. scilicet *Agonia del transito de la Muerte*, reperitur Epistola in laudem eiusdem Operis mei P. M. Dionysij Vasquez, in qua ipse explicat suam infirmitatem, idèst impedimen-

dimentum linguæ, manuum, & peduum ob paralysin.

Dionysij Vasquez Toletani Catholici Regis Caroli Prædicatoris Oratio de vnitate, & simplicitate personæ Christi in duabus naturis ad Leonem X; & Cardinales. Romæ apud Iacobum Mazochium 1518. In ipsa adest Epistola Leonis in eius commendationem, & Ægidij Viterbiensis Card. S. Matthæi, Oratio totas 15. paginas implet in 4.

In Euangelium S. Ioannis enarratio.

Vita Christi Diuina, Beata, Prophetica, & Humana.

Quæstiones, seu Resolutiones de peccato originali.

De incarnatione Verbi Dei.

Conciones variæ Latinæ, & Hispanicæ, aliaque.

64. BEATVS ESAIAS BONERVS Polonus. Cracouiæ in Poloniæ Regno Floriano Bonero, & Branislaua Lan-Koronslava nobilibus Parentibus natus. Religionem Augustinensem amplexus est Casimiriæ, vbi tunc Ordo florebat in exercitijs pietatis, & disciplinæ Monasticæ austeritate laudabilis. In eadem non minùs doctrina, quàm Sanctitate resplenduit. Sacris litteris operam nauauit in Patauino Cœnobio, in quo à B. Augustino Romano 1422. Cursor creatus. Anno 1452; cùm iam esset Doctor Theologiæ, in Capitulo Prouinciæ Bauariæ designatus fuit Præses, & Vicarius Generalis. Demum in Patriam reuersus totum se dedit pænitentijs, cilicijs, ieiunijs, & orationibus. Qualibet Hebdomada visitabat Sanctorum Corpora, quæ varijs in Ecclesijs Cracouiæ recondita sunt. Tam impensè Beatissimam Virginem colebat, eamque tam feruenter exorabat, vt luce circumdatus, & sæpè canens *Aue Regina Cælorum*, in aerem eleuatus apparuerit. Infirmorum Xenodochia, pauperum, & afflictorum habitacula assiduè visitabat, fouebat, subleuabat, atque ad Sacramentorum frequentiā exhortabatur. Inimicos tam sincerè dilexit, vt multoties ad illorum pedes prostratus, eos exosculans, veniam deprecatus fuerit, proferens: *Ignosce, Frater, mihi peccatori*. Stomachi morbo pressus, & cupiens dissolui, & esse cum Christo, à B. V. Maria Patrona Angelis stipata, atque à Regni Poloniæ Sanctis Tutelaribus, Casimiro, Hyacintho, Stanislao, Heduige, Salomæa, & Cunegunda visitatus, hisquè verbis dulcissimis: *Isaia, te ad Filij mei conuiuium inuito*, à Deipara prolatis, ad cœleste iter animatus fuit. His auditis, atque Fratribus indicatis, ipsos ad regularem obseruantiam hortatus, receptis Sacramentis feruidè, eleuatis in cœlum oculis, &

manibus

manibus expansis, his verbis : *In manus tuas, Domine Iesu Christe, fili Dei, & Virginis Mariæ, commendo Spiritum meum*, purissimam animam efflauit, anno Domini 1471. die 8. Februarij. Miracula plurima in vita, & in morte patrauit; ac inter alia *Dominus tantam ei gratiam conferre dignatus est*, quod de Martino Turonensi Præsule Ecclesia canit, *vt in virtute Trinitatis Deifica mereretur fieri trium mortuorũ suscitator magnificus*. In Elogijs Diuorum Tutelarium Cracouiensium hæc habentur: *B. Esaias Boner Ord. Erem. S. Augustini S.Theologiæ Doctor, mortuus anno Domini* 1471. *die* 8. *Februarij Casimiriæ, ad Cracouiã in templo SS. Catherinæ, & Margaritæ Virginum, & Martyrum sepultus*. Vita olim scripta incendio perijt. Extat alia à recentiori auctore ex maiorum traditione collecta, examinata, & edita auctoritate Reuerendissimi, Illustrissimique Bernardi Maciciouski S. R. E. Cardinalis Archiepiscopi Gnesnensis Cracouiæ apud Basilium Skalki anno 1610; quam contraxit Abraham Bzouius, ediditque To. 18. Annalium Eccles. ann. 1471. Bzouium secutus Simplicianus à S. Martino, eamdem vitam Gallicè dedit. Eam extensè edidit Bollandus Tom. 2. Februarij pag. 214; & sequentibus: Primò tamen latinè Cornelius Curtius simul cum vita D. Nicolai Tolentinatis, aliorumque Beatorum. Antuerpiæ apud Cnobarum 1637. 16. Clericus, qui eam edidit Cracouiæ, fuit Martinus Baronius Ieroslauiensis. Memoratur inter Beatos Polonos à Vincentio Mornauuschi in vita B. Ladislai Ord. Minorum apud Bollandum To. p. Maij pag. 562. De eo omnes nostri, sed aliqui confundunt B. Esaiam Lecchium seniorem cum isto, & malè assignant tempus mortis, aliaquè. Benè tamen Illustrissimus Andreas Gelsominus noster Episcopus Asculanus in Apulia libro inscripto: *Thesaurus Cælestis Deuotionis Mariæ Virginis Deiparæ* cap. 8. pag. 63; Torellus To. 7. à pag. 193. vsque ad 202; ac Herrera in Alphabeto. Quod scripserit, testantur verba sequentia primi Scriptoris vitæ. *Eius Doctrina, & ingenij luculentissimum testimonium prabent Commentarij eius acutissimi super quatuor Libros Magistri sententiarum conscripti, & in lucem editi*. Ità in primo capite.

65. FABIANVS CLAVARIVS Genuensis Patritius. Licèt hic Doctor insignis sexennio post Tridentinum obierit; tamen quia fuit ex mea Congregatione fulgens Sidus, ideò etiam apponere volui. Ignoratur, quid de illo fuerit post eius natale in

le in sæculo, non tamen post ortum in Religione. Vix nouem annos nobilioribus in studijs consumpserat, cùm magistrali laurea donatus est anno 1521; primùmque Patauij Regens Theologiam docuit, quo munere totos quatuordecim annos varijs in Ciuitatibus functus est. In Comitijs dein generalibus Romæ habitis 1543. die 13. Maij vnà cum D. Thoma Villanouano, alijsque tribus fuit destinatus, vt Constitutiones Ordinis depuraret. Ad meam Congregationem Ianuensem moderandam assumptus fuit modo planè mirabili: Cùm enim Prioris Generalis loco in Capitulo pro Superiore eligendo præsideret, eaque de causa ex Constitutione Ordinis esset incapax eius dignitatis; attamen iustitia, vt ita dicam, leges infringente, meritisque nouis antiquo iure cedente, vna omnium voce acclamatus apparuit; ratamque habuit Religionis supremus Moderator electionē adeo, quòd meritorum æquitas postulat, legum seueritas non recusat. Eo in gubernio ità omnium deuinxit voluntates, & expectationem adimpleuit, vt iterum, ac tertiò eamdem dignitatem sit adeptus. Præfuisset profectò semper, nisi certatim summæ vir prudentiæ ad alias supremas dignitates expostulatus fuisset: Quapropter Insubricam Prouinciam egregiè administrauit. Procurator Generalis fuit ab anno 1554. vsque ad 1561. Reuerendissimi Generalis vices gessit in Congregatione Ilicetana; in qua extitit quoque Visitator, & in litteris Patentalibus famosissimi Seripandi, hæc, inter alia, notantur verba: *Cuius doctrina singularis, & vita integerrima in illustri loco posita sunt*. Idemmet munus obiuit bis in Campania, semel in Vmbria, Apulia, Calabria, atque Aprutio: ac alijs in litteris ei fuit communicata ab eodem supremo Præsule totalis potestas similibus expressionibus: *Tibi omnem nostram auctoritatem, quantamcumque, qualemcumque habemus concedimus tam in Italia, quam extra*. Demum Genuensis Ciuitas, ne tanti Patritij diutiùs absentis desiderio torqueretur, petentibus Andrea Auria rerum præclarè gestarum Orbi vniuerso notissimo, nec non Reipublicæ Serenissimæ Duce, reuocatur in Patriam: A qua ne iterum euelleretur, eodem Andrea promouente, ad Mitratam Abbatialem Sedem S. Matthæi destinatus fuit; & obtenta anno 1563. die 25. Ianuarij ab Ordinis Generali facultate, possessionem adiuit; eique vtiliter præfuit vsque ad annum 1596. die 2. Aprilis, in qua à supremo omnium Moderatore ad meliorem vitam voca-

tus

tus est, cùm iam octuagesimum annum explesset. Cæterùm instante Clauario mea Congregatio Viterbiense Cænobium obtinuit, nouumque verè regium Tyrocinium ipse supra primam Ecclesiam construi curauit. Dixi primam, quià antiquum Monasterium Consolationis ad meliùs roborandam Vrbem, destructum fuit, nouumque splendidè iam benè directum. Plures Codices ad Bibliothecam ornandam reliquit. Pro scientijs tradendis, ac Sacra Scriptura diebus festis explananda census super S.Georgij comperis instituit. Qui census, debitis facultatibus obtentis, cùm alienati sint ad pulcherrimam Monasterij fabricam erigendam, in publica inscriptione marmorea hoc exprimente nulla immeritò de Fabiano memoria facta conspicitur. Laudatur noster Abbas insignis ab Ordinis Historicis ferè omnibus, qui post ipsius obitum scripsere; nec non ab Antonio Posseuino in Apparatu pag. 478; ab Augustino Oldoino in Athenæo Ligustico Lit. F; Michaele Iustiniano, & Raphaele Soprano in Liguriæ Scriptoribus. Pag.42.meorum Poeticorum Florum adest Epigramma in laudem ipsius, ac plura extensiùs in Libro Benefactorum M. S. Bibl. S.Mariæ Consolationis à P. Magistro Augustino de Rubeis disposito, ac effigies Fabiani in eadem Bibliotheca, non tamen ad viuum expressa. Opera sunt.

Tractatus de Cambijs. Romæ apud Antonium Bladum 1555.4. Deinde Genuæ apud Bellonum 1596. 4; ac in Tractatibus iussu Gregorij XV. Venetijs editis 1584. fol.To.6. pag.410. habetur inclusus cum hac epigraphe: *Tractatus de Cambijs absolutissimi Theologi Fabiani Genuensis*.

In Bibliotheca Cardinalis Sirleti Romæ extabat M. S. Tractatus eiusdem de Cambio Lugdunensi, quem existimo idem cum supranominato.

Purgauit insuper exactissimè Magistri Gerardi Senensis Tractatum de Vsuris, & restitutionibus, primòque edidit Romæ apud Antonium Bladum 1556.4.

Fundatissimi B.Ægidij Columnij aliqua opuscula correxit, & typis tradidit Romæ apud Bladum fol.1555; vt apparet in To. magno Opusculorum eiusdem.

Orationes duæ habitæ coram Sanctissimo Paulo IV; cùm esset Generalis Procurator. Prima Domica III.Aduentus 1555. Secunda Dominica III. Quadragesimæ 1556.editæ sunt ibidem apud Bladum ijsdem annis in 4.

Reliquit plura manuscripta, quæ, non adhibita diligentia, malè periere.

66. FACINVS ASTENSIS cognomento Longobardus, quia Prouinciæ nostræ Insubriæ perfectus Alumnus. Is inscrip-

ſcripturis Sacris verſatiſſimus, in diſciplinis doctrinæ Ariſtotelicæ, & Philoſophiæ egregiè doctus, ac tum in diſputationibus, tum in enodandis difficultatibus acutus, & quod principale eſt, probata vita ornatus emicuit. Laudatur à noſtris Hiſtoricis, ac à Poſſeuino pag.478; Roſſoto Abbate Ciſtercienſe in ſyllabo Scriptorum Pedemontij pag.196;& ab Eccleſia Infulato etiam in dictis Scriptoribus lingua Italica pag. 64. Petrus de Alua in Bibl.Conceptionis col.374. ſcribit: *Facinus Aſtenſis in 3.ſent. quæſt. 6. aſſerit Virginem Mariam fuiſſe abſque originali conceptam, vt refert Ioannes Vitalis in Defenſorio Lib.4. Ancilla 1.* Plura ſcripſit, ſed ſolùm ſequentia notata ab ipſis inuenio.

Quæſtiones in Magiſtrum Sententiarum, ac in Libris de Anima Ariſtotelis, olim erant in noſtra Bibliotheca S.Marci Mediolani.

Quæſtiones in Libros Phyſicorum. Has Fratribus Bononiæ Studentibus dicauit. Aſſeruantur Bononiæ in Bibl. Sancti Dominici.

67. FELIX 'A PRATO Tuſciæ inſigni Oppido. Hic anteà Hæbreus, Rabbinuſque famoſiſſimus, poſt conuerſionem Auguſtinianam meam Religionem, non Romæ, vt ferè omnes noſtri, ſed in Solo natalitio, nempè Prati, ac in Monaſterio S.Annæ Ilicetanæ Congregationis amplexus eſt, ante annum 1506. Dicto enim anno Vicarius Gen. P. Paraclitus à S. Angelo conceſſit Felici à Prato Religioſo ſtudioſiſſimo, vt accederet ad ſtudium Patauinum; hoc affirmat Landucius in Sylua Ilicetana, & ipſum fuiſſe ex eodem Monaſterio S.Annæ ſic conſtanter aſſerit, vt pag. 63. proferat: *Non eſt, qui poſſit dubitare, cùm ex monumentis Monaſterij S.Annæ extra Pratenſem Ciuitatem ſatis apertè hauriatur.* Breui igitur ità peritus euaſit in Theologia, vt ſuo tempore inter omnes Doctores primus appareret: Trium linguarum ſcientia, ac ſolida eruditione ornatus, multis annis Hæbreis Romæ exiſtentibus conciones habuit, plurimoſque ad fidem conuertit: Tam enim euidenter, & feruidè illos confutabat, vt Hæbreorum flagellum paſſim nuncuparetur. Anno 1522.S.T.Lector à Gabriele Veneto miſſus fuit in Hiſpaniam ad Adrianum VI.Pontificem electum, vt Generalis, & Ordinis negotia cum eodem tractaret. Legatione finita, Romamque reuerſus, ob virtutem, & eruditionem, qua ſummis viris charus habitus erat, auctoritate Pontificia 1523. Magiſter declaratus extitit. Anno 1526; & 28. fuit ſuæ

Con-

Congregationis Procurator. Transtulit Psalterium Dauidicum ex Hebraica veritate in Latinum sermonem cum argumentis in singulos Psalmos, & pia aliquot Cantica: Quam Versionem posteri, vt veriorem, sæpe in suis lucubrationibus citant, præsertim Matthæus Aurogallus in Libro de Hebraicis nominibus, & Titelmanus in expositione Psalmorum. Doctus quoque Ioannes de la Haye Minorita in primo To. suæ Bibliæ maximæ sect.21.cap. 4. pag.120.scripsit. *Felix Pratensis. Duo debent esse eiusdem nominis; nam de vno ait Posseuinus &c.* inserit omnia, quæ in laudem ipsius expressit Posseuinus, posteà concludit: *Hoc obseruaui, ne tamquam hæreticus censeatur, cùm inter hæreticos eum numeret Gretserus Tract. de nouis Translationibus. Fortè dicendum, cum fuerit post editionem Venetam denuo editus Basileæ, ibi corrupta fuerit, & sic sine discrimine pro hæretico habitus.* Demum ferè in quolibet Psalmo versionem mei Felicis profert, & To.18. in Indice Auctorum pag. 39. reposuit: *Felix Pratensis Augustiniani Ordinis inter Theologos sui sæculi eruditissimus Psalterium ex Hebraica veritate latinum fecit; transtulit quoque librum Iob.* Ad defensionem insuper lucidæ famæ mei Felicis assero, me contulisse editionem Venetam cum Basileensi, & nihil diuersi depræhendere potuisse. Igitur vel Gretserus dormitabat, vel de alio loquitur. Hic etiam ex peritia trium Linguarum Felicis de Prato, non possum non vehementer dolere de Henrico Warthon Anglo in Appendice ad Historiam Litterariam Guillelmi Caue sæculo synodali pag. 123; vbi de Ioanne Reuchlino, qui non solùm ineruditè, sed malignè contra Monachos scripsit: Asseruit enim Monachos odio habuisse Reuchlinum, quià excitabat scientiam linguarum, præcisè Hebraicæ, quasi linguarum scientia destruere debuisset rudem, vt ipse vocat, Theologiam Scholasticam. Quàm falsò similia eructauerit, ex hoc apparere potest, quòd tempore Leonis X; quo in humanis versabat Reuchlinus, florebant in meo Ordine Princeps Theologorum, Linguarum, ac Scientiarum pœnè omnium tenacissimus Ægidius Canisius Viterbiensis, posteà Cardinalis, & præcisè in Hebraica veri Magistri ipsius linguæ Felix supranominatus, Albertus Nouellus Patauinus, Ambrosius Flandinus Neapolitanus, alijque numerandi, si opus fuerit. Non ergo Monachi se opponebant Reuchlino ob linguæ Hebrææ peritiam, sed propter ipsius satiricum genium, & abusum eiusdem Linguæ. Quia verò tam

ipse, quàm Guillelmus Caue sæpiùs contrà Monachos debacchantur, vocantes impostores, & inscios, hic reponere libet, quod in defensionem Monachorum, & ad Hæreticorum ora obturanda olim scripsit eruditus meus Bernardus Vindingus in Critico Augustiniano cap.4.pag.8. *Porro ab hoc genere hæreticos fæcem mortalium procul esse iubeo, qui non tam pro rei æquitate, quàm pro affectus peruersitate iudicare solent, quidquid enim ferè in antiquis Patribus prauis eorum obstat dogmatibus, id Monachis confestim tribuunt impostoribus. Cæcos dicam, an nimiùm oculatos? Inter tot millia Monachorum bonorum, & doctorum, paucos vident impostores; in suorum numero, qui totus impostorum est, nullum vident. Et verò etiam ingrati sunt. Per Monachos tot sæcula steterunt litteræ, & vndè ipsi accepissent? Per Monachos tantumdem stetit sanctitas: & si qui hesterno sæculo collapsa passim (proh dolor) sanctitate, fuere impostores, ex ijs ipsis creuit res hæretica, ex ijs habuerunt suos duces, & Monachos queruntur impostores.* Vlteriùs respondeo: Monachi illius temporis, de quo loquuntur supradicti, non possidebant scientiam inflantem, cauillosam, & superstitiosam, vti plures Acatholici, concedo: Non ornabantur scientia pura, sincera, & Christianam pietatem redolente, nego. Aliqua etiam exciderunt ex ipsius Warthon calamo contrà reuelationes D. Birgittæ, D. Catharinæ Senensis, ac B. Catharinæ Bononiensis, nec non contra mirabiles qualitates mei B. Henrici de Vrimaria, sed nubeculæ aranearum telæ similes lucidissimum veritatis Solem obscurare non possunt, obsistentibus præsertim ventis validissimis omnium ferè Scriptorum, & Virorum illustrium illius temporis. Vt autem ad nostrum Felicem reuertamur, dico editionem Venetam Psalterij factam 1515; meliùs palam facere, non esse verum, quod scribunt Herrera, & Elssius, ipsum anno 1518. habitum induisse, sed Landuccio assentiendum, licèt fortè Illustrissimus Prælatus memoria lapsus, cùm iam pag.67. expressisset diem obitus, & ætatem Felicis, posteà in Scriptoribus asseruerit, se nescire, quando decesserit. Ex hac itaque vita migrauit Felix feliciter propè centenarius Romæ 1557; non 58; quod aduertit benè Herrera die 5. Nouembris. De eo cum laude omnes Scriptores nostri, & Posseuinus pag.483; ac Frisius pag.231. Non parum hallucinatus est Sixtus Senensis pag.235. suæ Bibl. vocans Felicem nostrum Ord. Prædicatorum, & scribens edidisse opus 1520; cùm ipse fuerit [illegible] parum distans ab eo. Edidit itaque.

Psal-

Psalterium ex Hebræo diligẽtissimè ad verbum ferè translatum Fratre Felice Ord. Eremitarum S. Augustini interprete, per Summum Pontificem Leonem x. approbatum, 1515. die 5. Septembris excussum Venetijs in ædibus Petri Liechtenstein Coloniensis impressoris impensis egregij viri D. Danielis Bambergæ, regnante Leonardo Lauredano 4. in rubro, & nigro. Bulla Leonis Decimi posita in Libri principio inter alia hæc habet verba: *Cùm dilectus filius Felix Pratensis Ord. Erem. S. Augustini Professor ad publicam omnium, præsertim eorum, qui sacrarum litterarum studiosi sunt, vtilitatem, quanto maximè potuit labore, & diligentia Psalterium ex Hebræo in Latinum à se translatum &c.* Posteà editum Basileæ 1526. 16.

Librum Iob à se ipso translatum quoque edidit, sed adhuc non vidi.

68. VEN. FRANCISCVS IOANNIS DE NVTIS Senensis, magnę sanctitatis, & virtutum omniũ exemplar, qui ob eius laudabiles qualitates, & conuersationẽ, non solùm in vita hominibus gratus fuit, verùm etiam post mortem gratissimus extitit; discessit enim ex hac vita anno 1451. 28. Octob. Hic meo iudicio fuit ille Franciscus Ioannis Senensis, qui, vt protulit Illustriss. Angelus Roccha in Bibl. Theologica pag. mihi 145. editionis Romanæ 1594. 8; *in Psalteriũ Dauidicum scripsit.* Verùm ab Herrera, & sequace ipsius Elssio non benè attingitur, vt puto; nam ille iam erat grandæuus, quando è Monasterio Syluæ lacus Monasterio Monticuli incorporatus fuit; insuper de illo nihil nisi nudũ nomen innotescit; ideò facilè paruæ entitatis. Fuit igitur Franciscus Ioannis Senensis vnus ex duodecim Beatis Viris, qui fundarunt insignem Congregationem Canonicorum S. Saluatoris, vulgò corruptè Scopetinorum, nam potiùs Ilicetani, vt expresśè probat Landuccius, vocandi sunt. Supradicti duodecim cum primò Monasterium Ilicetanum, eidem Congregationi incorporare cæpissent. *Huic nouitati strenuè contradixerunt* (sunt verba Landuccij pag. 24. syluæ Ilicetanæ) *Patres Canobij S. Augustini Senarum, viribus suffulti Reipublicæ, erant enim ea ætate illi Patres potentes sermone, & opere, & genere inter Nobiliores, quare coguntur Canonici denuò redire &c.* Septem etenim Iliceti ad Religionem Augustinensem excolendam rediere; inter quos B. Philippus Agazzarius, B. Christophorus Landuccius, & noster Franciscus Ioannis fuerunt. De ipso loquuntur cum laude Ioannes Baptista Signius, Mozzagrugnius, & Constantinus Ghinius suis in Historijs ibidem citatis: sed vel ille, de quo ipsi narrant, diuersus est, vel iure merito à Lan-

duccio corriguntur, cùm apertè de eius reditu testentur plura instrumenta Iliceti asseruata, nec non Bonsignorius, & Marchuccius accurati Scriptores Ilicetani. Vt autem dicam quod sentio, licèt verum affirmem assertum Landucij de reditu, tamen ipse Landuccius constans in proposito non fuit; nam pag.110. loquitur de V.Francisco Ioannis Nuti tamquam regresso à Cong. Canonicorum &c;& pag.129. Syluæ Italicæ de alio Francisco Ioannis, qui à B.Stephano Cionio discessit. Corrigenda itaque hæc diuisio. Scripsit, vt iam supranotaui. *In Psalterium Dauidicum Expositionem*,

69. FRANCISCVS NERLIVS Patritius Florentinus, S.T. Doctor celeberrimus. Iste omnium primus auctoritate Collegij Florentini Doctorum insignia, & stemmata cum totius Senatus, ac Populi applausu amplo in D.Reparatæ Templo est consecutus. Anno 1439. claruit in Concilio Florentino. Obijt anno 1459.9.Decembris. Commendant Posseuinus in Apparatu pag.502; Crusenius par.3. cap. 25; Episcopus Pamphilus pag.78; Gratianus pag. 68; Elssius pag.213.Nihil verò de eo apud Pocciantium in Florentinis Scriptoribus, nec apud Herreram, & Torellum nostros. Opera sunt.

Summa de Virtutibus, & Vitijs incipiens. *In natiuitate paupertatem, & humilitatem, in medio obedientiam, & laborem, in fine patientiam, & charitatem*.

Summa de rebus Diuinis, asseruantur in nostra S.Spiritus Florẽtiæ ex Pamphilo.

70. GABRIEL DE GAROFOLIS Spoletanus Patritius, Theologus, & Concionator famosissimus, ac hæreticorum voce, & scriptis insectator acerrimus. Anno 1409; dum esset Regens Bononiæ, cum alijs pluribus ex meo Ordine interfuit Concilio Pisano. Anno 1410. Prouincialis, ac Vicarius Generalis Vallispoletanam Prouinciam gubernabat. Anno 1414. à Reuerendissimo Generali facultatem obtinuit ad Sepulcrum Domini inuisendum proficiscendi. Anno 1420.Prouinciæ Venetæ Vicarius Generalis, & S. Stephani Venetiarum Regens euasit. Anno 1421.regimen Monasterij S.Mariæ in Nazareth, vt in ipso regularem obseruantiam exactè introduceret, assumpsit. Tunc eius prædicationibus, & exemplis allecti quatuor ex primaria Veneta nobilitate habitum Augustinensem amplexati sunt. Fuerunt itaque Andreas Bondolmerius, posteà Venetiarum Patriarcha, Philippus Paruta, qui post duos Epi-

scopa-

ſcopatus ad Cretenſem Cathedram euectus fuit, Michael Maurocenus, & Franciſcus Contarenus. Porrò hi quatuor, & ſupradictus Gabriel, vti principalis, anno 1423. determinarunt inſtituere Ordinem Canonicorum S.Spiritus, & anno 1424. obtenta Bulla à Martino V. rem exequutioni mandarunt. Hinc notandus venit malus quidam genius Gabrielis Pennoti contra meum Monachalem Ordinem, qui lib.2. ſuæ Hiſtoriæ tripartitæ cap.54.n.4; vt hunc honorem inſtitutionis ab Eremitis aliqualiter auferret, primò dicit, quatuor ſupranotatos Heroes eo tempore fuiſſe Clericos ſæculares, licèt ſubſequenter eos antea extitiſſe proferat profeſſos Eremitanæ Religionis ſub Gabriele Spoletano eximio illorum temporum Concionatore; & vt magis lumen veritatis obfuſcet, non dicit Garofolum cum illis fuiſſe. Sed velit, nolit Pennotus, ex regeſtis Ordinis, & ex meo Coriolano ferè contemporaneo expreſsè veritas elucet; nam in defenſorio veritate 1.reſp.ad arg. 2. ſcripſit: *Similiter Princeps ſuo tempore omnium Euangelizantium Magiſter Gabriel de Spoleto noſtri Ordinis inſtituit Ordinem S. Spiritus de Venetijs &c.* Verum quoque lumen veritatis Pennotus adeò ſub modio occultare non valuit, quin ſupra candelabrum non appareret;dixit enim ipſe circa medium dicti capitis, ſeù numeri 4. *Anno 1424. ex commiſſione Martini Papæ V. dimiſſo Eremitico, Canonicum habitum, & inſtitutum ſumpſerunt per manus D. Petri Marcello Epiſcopi Patauini.* Quomodo ergò, D. Pennote, Auctores erant Clerici ſæculares, ſi ex tuo proprio ore dimiſſo habitu Eremitico Canonicum ſumpſerunt? Vt autem ad Garofolum noſtrum reuertamur; ipſe anno 1426.amore ſuæ primæ Matris, & meliori conſilio ductus ad Eremiticum cætum redijt, eodemque anno 19. Octobris Senis in Cænobio S. Auguſtini arbiter fuit quarumdam prętenſionum eiuſdem Monaſterij, vt ex ſcripturis à Præsbytero Seſtegiani collectis. Demum anno 1429. 6. Idus Iunij ad Inſulam Nuceriæ Pagauorum in Regno Neapolitano aſſumptus. At poſtquam ferè per quadriennium rectè, & vtiliter præfuiſſet, reuerſus in Patriam piè deceſſit anno 1433. Condignis præconijs ornarunt ipſum plurimi, præcisè omnes Auguſtinenſes Scriptores, nec non Vghellus To. 7. col. 742; Tritthemius de ſcrip. Eccl; Poſſeuinus pag. 522; & 524. incongruè diuidens in duos, Marraccius Par. 1. pag. 459; Iacobillus pag. 122; Geſnerus pag. 263; Friſius pag 253; ac alij. Sequēs

eſt

est epithaphium in Templo nostro S. Nicolai Spoleti expositum. *Hic iacet Corpus D. Gabrielis de Garofolis de Spoleto Ordinis Eremitarum S. Augustini.*

Gabriel Antistes sacro diademate fulgens,
Scriptore quondam toto Celeberrimus orbe,
Librorum textor, studiorum feruida lampas,
Hoc tegitur tumulo, conditus exiguo,

Scripsit aduersùs hęreses libros tum vtiles, tum necessarios.

Aduersùs pestiferam sectam Fraticellorum Tractatus plurimos, & celeberrimos.

Sermones in Euangelia, quæ in Ferijs Quadragesimę, Dominicis, alijsque festis recitantur.

Sermones de diebus festis B. Mariæ Virginis.

71. GABRIEL MASCIOLVS, vt ferè omnes Scriptores Ordinis (vel Fuscus, vt testatur apparere ex testamento ipsius eius consanguineus Pater M. Gabriel Anconitanus iuuenis) Nobilis Ciuitatis Anconæ S.T.Doctor. Fuit Bononiæ Lector, & Perusiæ Bacc. 1499. Anno 1501. erat Magister Ranucij Mathelicæ Domini. Annis 1503; 1504, & 1505. Prouinciam Marchiæ Anconitanæ rexit. Anno 1507; cum esset Reuerendissimi Patris Gen. Ægidij Viterbiensis Socius, die 25. Nouembris Sacrista, & Archiepiscopus Dirrachiensis declaratur. Anno verò 1511. die 30. Aprilis ad Ecclesiam Castrensem gubernandam destinatus; eamque semper absens per septem annos administrauit, & deinceps cum regressu tamen, eo se munere exoluit. Anno 1529. erat simul Palatij Apostolici Prælatus domesticus, & Miles S. Petri, vltrà officium Sacristiæ Pontificiæ. Eodem anno, prouecta iam ætate confecto, datus illi fuit coadiutor Magister Alphonsus ab Aquapendente. Denique vir sanè doctus, & summè probus, atque in sacris Ecclesiæ ceremonijs peritissimus anno 1534. Romæ diem clausit extremum. Anconæ in nostra Sancti Augustini Ecclesia hac inscriptione illustratur: *D. O. M. Hoc Cænotaphio honoratur Magister Fr. Gabriel Fuscus Anconitanus, Ordinis S. Augustini Sacrarij Pontificij Præfectus, Iulio Secundo, Leone Decimo, Adriano Sexto, & Clemente Septimo Pontificibus, Archiepiscopus Dyrrachiensis, mox Castrensis Episcopus creatus est. Ac Pontificale Sacrificium coram Decimo Leone celebrauit. Idem in Concistorio sententiam suam inter Patres, de referendo inter Diuos Beato Francisco de Paula, primus dixit, excipiensque Oratorem Venetum, à Clemente Septimo Caroli Quinti Co-*

rona-

ronationi destinatur; vnàque cum tribus S.R.E. Cardinalibus Coronationis eiusdem Caroli Cæsaris apparatum decreuit; suauissimis moribus, parem babuit pietatem, Doctrinam, & eximiam Ceremoniarum peritiam, bono senio confectus obijt anno salutis Millesimo quingentesimo triginta quatuor. Gabriel Fuscus Anconitanus Dominici filius, Emin. D.D. Cardinal. S. Onuphrij Fam; & Cancellariæ de Vrbe Procurator, Minoris gratiæ, Illust. Præsulis, & Religiosissimi Consanguinei memoriæ hunc lapidem assentientib. huius Conuentus Patribus erexit anno D. Cùm Philippus Elssius inaduertenter legisset id,quod scripsit Pamphilus pag. 101. ad an.1511. de promotione Gabrielis ad Pontificium Sacrarium post obitum Nicolai Foresij Aquapendentani, & aspexisset seriem operum editorum ab eodem Nicolao, necnō quòd Aquulæ in sua Patria sepultus fuerit ad S. Augustinum, omnia attribuit Gabrieli Masciolo, quæ ad Nicolaum Foresium spectabant. Hunc errantem secutus est eruditus Canonicus Iulianus Saracenus in Historia Anconitana Par. 3. pag. 512; quem errorem etiam patentem ex Chronistoria Apostolici Sacrarij Angeli Rocchæ pag. 88; ne alios in transuersum agat, hic monere placuit. Scripsit equidem doctus Episcopus Masciolus laudatus meritò à pluribus nostris, ab Vghello To. primo Italiæ Sacræ col.610;ac à supradicto Saraceno ibidem ea, quæ sequuntur: Hanc notitiam habui ex M. S. Codice Illustrissimi Landuccij in Martiniana Senis asseruato.

Magister Gabriel Fuscus Anconitanus Archiepiscopus Dirrachiensis Sanctorum, & Summorum Pontificum Sacrista per plures annos, & Magister Capellæ Pontificiæ anno 22. sui officij, qui fuit 1529. Libellum edidit sua manu conscriptum cuius titulus. *Instructio pro successoribus Sacristiæ Papæ pro Capellis totius anni, & alijs varietatibus occurrentibus*, quem ego vidi apud Illustrissimum,& Reuerendissimum Alexandrum Vitticium Episcopum Alactrinum,illumque legi, & selegi in M. S. meo.

Lectiones varias super Libros Sententiarum M. S. fol. Romæ in Angelica.

72 B. GABRIEL SFORTIA Senensis. Bosij Comitis S. Floræ, & Antoniæ D. Cocchi de Salimbenis Senensis antiquæ nobilitatis fæminæ filius, Francisci Sfortiæ Ducis Mediolanensis frater, Carolus primùm vocatus, militia clarus, eximiæque expectationis; sed quia complexionem delicatam sortitus erat, relicta militia sæculari,ad militandum spiritualiter sub Diui Augustini vexillo in famigerato Cœnobio Ilicetano

tano se conuertit, inibique posteà professionem emisit 24. Octobris 1443. Cœpit statim virtutibus omnibus tam moralibus, quàm intellectualibus splendescere: Inde breui Concionator feruidus, & celeberrimus eluxit. Solitudinis amantissimus erat, quapropter electus fuit Magister Nouitiorum Iliceti; inter quos educauit B. Anselmum Lolli de Mandextris de Monte Falcone, posteà Ordinis Generalem. Deníque Francisco fratre Insubriæ Ducatus imperio potito instante, & promouente ob familiæ decus, & ornamentum, à Nicolao V. Pontifice ad Archiepiscopalem Mediolani Cathedram ex humili Nouitiorum Magisterio exaltatus fuit, licet inuitus, & renuens anno 1454. 11. kalen. Iulij. In administratione tantæ Ciuitatis fratrem consultissimè inuit, prudenterque, ac sanctè Ecclesiã sibi cõmissam gubernauit ita tamen, vt retento pristinæ vitæ rigore, sibi nequaquã deesset ad puriores mores. Fratri, vt maius Xenodochium fundaret, auctor præcipuus fuit, pluraque alia pietatis opera erigenda, perficiendaque curauit. In annalibus Bzouij per Typographi errorem vocatur Franciscanus. Eum Donatus Bosius contemporaneus nominat virum sanctissimum. Bergomensis in supplem: Virum grauissimum, ac in omnibus religiosissimum. Ioseph Ripamontius in hist. Ecclesiastica Mediolanensi scribit. *Nota Pontificis probitas, famaque illa, quam attulerat è claustris, dictis, factisque omnibus addebat auctoritatem, vt quietis, & modestiæ nomen haberent ea, quæ si fierent ab alio, proxima conspirationi haud dubiè haberentur*. Postquam igitur optimè per triennium, & ferè tres menses præfuisset, & suo gregi profuisset, pijssimè, & religiosissimè ad aliam vitam migrauit anno 1457. die 12. Septembris, sepultusque est in Deiparę Coronatæ Augustinianorum Obseruantium Lombardię Templo, quod ipse, à Blanca Maria Vicecomite Ducissa fratris vxore liberalitèr constructum, consecrarat. In dicto Cęnobio asseruatur Testamentum eiusdem Archiepiscopi vna cum duabus Bullis Calisti III. illud confirmantibus insertis à Torello in septimo Tomo Sęculorum ad prænotatum annum. Comes Gualdus Prioratus fluidus Historicus in Relatione Ciuitatis, & Status Mediolani parte Prima, pag. 87; hæc scribit: *Nella Capella di S. Tomaso da Villanoua della Coronata trouasi il Corpo del B. Gabrielle Sforza Arciuescouo di Milano, fratello di Francesco Sforza, quale fù prima Frate della detta Congregatione, come si leg-*

ge nel

ge nel suo Deposito; etiam idem scripsit Carolus de Turre Canonicus S. Nazarij in Libro quoque Italico *Effigies Mediolani* pag. 229. Non bene tamen, quia fuit Congregationis Ilicetanæ. Ipsum iustis laudibus decorant omnes nostri, sed nullus inter Scriptores enumerauit. Primus itaque fuit eruditissimus Ioannes Petrus Crescentius Hieronymianus in Præsidio Romano par. 2. lib. 3. narratione 1. n. 6; & secundus Abbas Philippus Piccinelus in Atheneo Mediolanensi pa. 230. Eum quoque egregiè commendat Abbas Vghellus To. 4. Italiæ Sacræ col. 380. Opera,quæ reliquit, sunt infranotanda. En sepulcralis Inscriptio.

M. CCCC. LVII. die XII. Septembris obijt B. Pater Gabriel de Cotignola Archiepiscopus Mediolanensis, Ordinis Obseruantiæ Fratrum Eremitarum S. Augustini, ac Frater-Germanus Illustriss. D. D. Francisci Sfortiæ Ducis Mediolani.

Adeò autem, Scripsit Vghellus, Gabriel sanctè se gessit, vt Historici Augustiniani in suorum illum Beatorum Album retulerint. De eo satis benè Landuccius in Sylua Ilicetana pag. 111; vbi ex Comm. Pij II. pag. 126; & ex Malauolta par. 3. pag. 7. probat, matrem ipsius fuisse, non vt asserit Herrera, sed D. Antoniam de Salimbenis supranotatam, cuius Dos fuit Ciuitas Clusinas; Mons-Iouius, & Mons-Nerius &c. Scripsit.

Libros super Grammaticam, Humanitatem, Rhetoricam, Logicam, Historias, Epistolas, Orationes.

Commentatus est Libros Physicorum, & de Anima.

Tractatus morales varios.

Mediolanenses Chronicas.

Opera aliqua spiritualia.

Conciones, & Sermones plures.

Commentaria super quatuor Euangelia.

Commentaria super quatuor Libros Sententiarum.

Ex Græco in Latinum nouam Paraphrasim Aristotelis protulit.

73. GALFRIDVS GRANDFELDIVS, Anglus natione; Patria verò Nortamptonensis in Mediterranea Insulæ regione, inibique Augustinianus factus. Postquam solidè docendo, & res difficiles lucidè explicando, plures annos in scholis consumpsisset, ac tum perfecti Philosophi, & Theologi accuratissimi nomen adeptus fuisset, S. T. Doctor Cantabrigensis euasit. Excelluit quocumque virtutum genere, ac omnibus penè scientijs

instructus fuit; principaliter tamen in verbo Dei annunciando mirabiliter eluxit. Romam profectus, Cardinali Annibaldo Episcopo Tusculano Capellanus, & familiaris fuit. Eo tempore Cardinalis ille Tusculanus scripsit elegantem epistolam ad Episcopum Vvintonensem (cui iam noster Galfridus oculus, & manus fuerat, maxima animarum vtilitate) in qua eum egregiè commendauit. Demum à Clemente VI. Bulla data Auenione 3. nonas Martij anno 5. Pontificatus, & Christi 1347. Fernensibus datus est in Episcopum. Vix Infula redimitus fuit die 26. Martij anno 1348; cùm die 22. Octobris, ex hac vita migrauit anno 1349; vt Iacobus Vvareus tradidit in Catalogo Fernensium Episcoporum. Eruditissimus Baluzius in Vitis Pap. Auen. pag. 757. scribit: *Ioannes Balæus cent. 5. cap. 51; & ex eo Ioseph Pamphilus in Chronico Eremitarum S. Augustini aiunt Galfridum Grandfelde Augustinianum, qui ea tempestate vixit, fuisse Capellanum cuiusdam Cardinalis, & Episcopi Tusculani sub Benedicti 12. Pontificatu. Porrò neque Balæus, neque Pamphilus, neque demum Pitseus inuenerunt, cuius ille Sedis Episcopus fuerit. Ego verò apud Vvaræum in Commentario de Præsulibus Hyberniæ reperio eum fuisse factum Episcopum Fernensem à Clemente VI. anno 1347; & anno sequenti obijsse die 22. Octobris. Cùmque ita sit, manifestum est Cardinalem Tusculanum, cuius is fuit Capellanus, non esse aliùm, quàm Annibaldum, qui ab anno 1330. usque ad 1350. præfuit Ecclesiæ Tusculanæ.* Hoc de Episcopatu Fernensi nostri Galfridi ex Vvaræo iam obseruauerat in Alphabeto Augustiniano impresso 1644. oculatissimus Herrera: At cùm ex ipso clarè constet obijsse Grandfeldium anno 1349. 22. Octobris, expresè apparet, vel clarissimi Baluzium non benè signasse textum Vvaræi, vel Herreram nostrum defecisse. Memorant nostrum Grandfeldium omnes Scriptores Ordinis, & vltra supranominatos, etiam Thomas Golbius Episcopus Vatefordiensis, & Posseuinus pag. 524; Frisius 254; ac Papebrochius infra citandus. Edidit sequentia.

Sermones Dominicales lib. 1.
Lecturas Theologiæ lib. 1.
Determinationes lib. 1.
Epistolas ad diuersos lib. 1.

Sermones quoque alios confecisse puto, nam Papebrochius To. 4. Maij. 579. hæc refert: Sermo Fratris Galfridi Ord. Erem. S. Augustini Fernensis Episcopi n. 2. Collatio x. incipiēs ex Textu Ioannis cap. 17. *Pater venit hora, clarica filium tuum* per columnas vndecim. De Canonizatione S. Yuonis Presbyteri.

74. GAL-

74. GALFRIDVS HARDEBIVS Anglus: In Leycestriensi Monasterio Augustiniana veste indutus, studium tam ardenter amplexus est, vt breui magnum, & illustre nomen sibi conciliauerit. In Vniuersitate Oxoniensi Doctor Theologiæ creatus, publicè vetus, & nouum Testamentum summo cum plausu explanauit: Quamobrem in eruditorum supremam classem à collegis Doctoribus receptus fuit. Apud nostros quoque tantùm valuit prudentia, & industria, vt ad gubernium Britannicæ Prouinciæ exaltatus fuerit. In Cōcionibus habendis tam singulari gratia, eximiaque facundia decoratus eminuit, vt sæpius vnus euocaretur, qui coram Rege, Regnique Proceribus verbum Dei annunciaret. Splendidas verò nostri Hardebij qualitates tunc meliùs effulserunt, quando Eduardus III. Rex eum in aulam introduxit, non solùm, vt Consiliarius intimus foret in his, quæ ad Reipublicæ ciuile regimē spectabant, sed etiam in his, quæ Deum, & conscientiæ directionem prospiciebant. Euangelicæ paupertatis perfectionem impensè dilexit, commendauit, & contra impugnatores egregiè tutatus est. In Ecclesiastica immunitate defendenda alter Thomas Cantuariensis extitit. Decoris Ordinis zelator ardens, ad sui veram magni Augustini filiationem ostendendam plura scripsit, vt infra patebit. Denique plenus meritis, & virtutibus ornatus Londini piè decessit, & apud nostros sepultus anno 1360. Mentionem encomiasticam ipsius agunt omnes Scriptores Ordinis, præter Torellum, in quo nihil adinuenire potui; etiam memorant Pitzeus de Script. Angliæ ætat. 14; Posseuinus in appar. pag. 524; Maraccius To. p. pag. 464; Vossius de Historicis Latinis lib. 3. pag. 533; & Ludouicus ab Angelis Lusitanus lib. 4. de vita & laudibus S. P. August. pag. 64. scripsit. *Hoc argumentum diluit Galfridus Hardebi doctus Ordinis Eremitarum Auctor Lib. de vita Euangelica, demonstrans Augustinum in illo Confessionum Libro decimo se describere Episcopum, & in desertum regredi (sicut habebat in votis) probibitum à Deo esse; quod & nos fatemur &c.* Scripsit itaque:

De Vita Euangelica lib. 1; vbi in fine duas quęstiones ad nostrum Ordinem spectantes tractat, & determinat. Prima est: *Vtrum Ordo Eremitarum S. Augustini fuerit per Romanam Ecclesiam confirmatus?* Secunda. *Vtrùm D. Augustinus Ordinis Eremitarum fuerit Auctor, & Professor?*

De perfectione Euangelicæ paupertatis Lib. 2. contra Armacanum, qui dicebat, Turpe esse Christianos sua voluntate mendicos esse.

 Quodli-

Quodlibeta Oxoniensia lib. 1. *Memorabilia Philosophorum studia.*

Ordinarias quæstiones lib. 1. *Vtrùm ad vniendam vtramque in Christo naturam &c.*

Determinationes lib. 1. *Propter vniuersalem Scientiarum traditionem.*

Lectiones in vetus Testamentum Libros plures.

Lectiones in nouum Testamentum Libros plures.

Postillas Scripturarum lib. 1.

Sermones de tempore lib. 1.

Sermones de Sanctis lib. 1.

Sermones in Festiuitatibus Beatæ Mariæ lib. 1.

De rebus gestis Ordinis nostri lib. 1; aliaque plura.

75. GASPAR AMMONIVS, natione Hasselensis, gentis Eburonicæ. Anno 1488. erat Prior in Languiguem, & Capituli Prouincialis tertio loco Præses deputatus. Anno 1514. quoque designatus fuerat Præses Capituli. Fuit S. T. Doctor eximius, Prior Prouincialis Prouinciæ Rheni, & Sueuiæ, multarum linguarum, præsertim Hebraicæ peritia celeberrimus; quo etiam in Germania complures, qui ob eiusdem linguæ instructionem famam non modicam acquisierunt, vsi sunt præceptore. Verum est, quòd aliqui Apibus similes melem, & odorem effuderunt; aliqui, quos apertè enumerare possem, scarabeis pares, fætorem, & lutum protulerunt, quia in hæresim prolapsi; non tamen Augustiniani erant, ne forsan aliquis suspicetur me de Luthero differere. Laudant insignem Ammonium nostri Historici, & inter exteros apparent Posseuinus pag. 528; Frisius pag. 253; & 54; Franciscus Suuertius in Athenis Belgicis pag. 264; & Valerius Andreas in Bibl. Belgica pag. 255. Scripsit sequentia, quæ excussa sunt., vt testantur de eo loquentes, sed nullus, vbinam edita sint, exprimit: Quia tamen in Hæreticorum manus deuenerunt, aduertendum, num aliqua labe ea obscurauerint?

Grammaticam Hebraicam in quinque libros distinctam.

Primus. Est de Litteris, Syllabis, & Punctis omnibus.

Secundus. De nomine primæ partis Orationis, cum prænomine.

Tertius. De Verbo, & Participio secundæ partis Orationis.

Quartus. De consignificatiuo quadruplici, tertia parte Orationis, & omnium trium partium inter se constructione, & regimine.

Quintus de Prosodia, hoc est de triplici accentu, & carmine componendo. Singulis Libris sua capita cum argumentis præponuntur.

76. B. GERARDVS CARRARA Bergomensis. Natale suum habuit in quodam Territorij Bergomensis Oppido Serina alta vocato, vt ex meo Caluo Bergomensi, qui etiam ait de domo

domo Carraria fuisse, licèt ab aliquibus de Varonibus vocetur. Ætatis 21. annorũ, vt supradictus, vel 12; vt meliùs puto, testatur M.S. 200; & ampliùs annorum Sauonæ asseruatum, in Monasterio SS. Philippi, & Iacobi Bergomi, nunc S. Augustini, vestem Augustinianam induit. Post peracta minora studia in Italia, Parisios se contulit ad Theologiam audiendam. In ipsa intra paucos annos tam altos progressus fecit, vt Doctoris coronam consecutus, & Cathedram ascendens magistrum Sententiarum egregiè explanauerit. Non solùm tamen speculatiuas scientias optimè calluit noster Gerardus, sed omnium sacrarum Litterarum notitia illustratus, ac Pontificij Iuris peritia mirè instructus, nec non moralibus virtutibus ornatus eluxit. Cùm talium ornamentorum fama ad aures Summi Pastoris Clementis VI. peruenisset, vacante nobili Infula Liguriæ Sauonensi, ad illam decorandam anno 1342. 18. Iulij Gerardum direxit. Episcopus factus, multa præclarè gessit. A fundamentis ferè erexit Monasteriũ S. Augustini extra portam S. Luciæ, ac pluribus adauxit bonis, vt benè Vghellus ait; nam illud, quod nunc in Ciuitate existit, modernius est. Anno 1348. in illa peste sæuissima, quæ quasi totum Orbem peruasit, vnde Sauona maiori quoque ex parte Ciuium suorũ cætu orbata remansit, instante Episcopo Gerardo, Ciuitas votum fecit D. Raphaeli Archangelo, & ad eius honorem Altare construxit in nostra Ecclesia, ac liberata fuit. Suorum Antecessorum illustria gesta in vnum volumen redegit, quæ ex incuria perijsse constat, magno posteritatis detrimento. Anno 1349. splendidè excepit simul cùm Ciuibus Reuerendissimum Generalem Ordinis Thomam de Argentina ex Auenione redeuntem. Denique anno 1356. 27. Iulij, cùm gubernasset prudenter, & iustè suum gregem per annos 14; exarato manu propria suo Testamento, ad æternam vitam euolauit. Iussit sepeliri corpus suum loco depositi in Ecclesia supranominata S. Augustini, quam consecrarat, extra mænia posita: Postmodùm Bergomum translatum in nostro Templo ante maius Altare conditum iacet. Hæc vltima verba, nempe de tempore Episcopatus, de obitu, de depositione corporis sic tam clarè patent ex M. S. iam notato, vt non aliter sentiendum iudicē; citat enim inter alios Historicos Sauonenses Petrum Garam, qui fuit contemporaneus dicti Beati. Gerardum miraculis coruscasse tradit Gelsominus Episc. Asculanus in Thesauro

Cæle-

Cælestis deuotionis Deiparæ, editionis Venetæ 1625. 4. pag. 156. Eius historiam titulo Beati illustratam lib. 5. cap. 2. de antiquit; & gestis Diuorum Bergomensium contineri affirmat Bartholomæus de Peregrinis in sua vinea Bergomnesi, Brixiæ edita 1553. Eum Guillelmus Eisengrenius in Catalogo testiū veritatis, edito anno 1565. S. Gerardum Bergomensem appellat: & quod magis est, Raphaelis Volaterrani tempore, vt ipse lib. 21. Antropologiæ testis est, Gerardus Bergomi, vbi iacet sepultus, Beatorum honoribus colebatur: Nunc solùm superest sanctitatis memoria, sed cultus euanuit. Vltra supradictos, etiam cum decore nominatur ab Vghello To. 4. Italiæ Sacræ col. 1013; Sixto Senensi lib. 4. Bibliothecæ Sanctæ pag. 238; Posseuino pag. 542; Siluestro Marulo in sua Hist. Sacra Messanæ excussa 1613; Gesnero pag. 275; Frisio 282; Trithemio, alijsque, ac ab omnibus Augustinianis Scriptoribus, inter quos benè à Caluo in Scena Litteraria Bergomensi pag. 187; & Torello in 6. To. pag. 13; & seq. Plura Opera edidit, vt infrà. Gerardus Sauonensis, quem Oldoinus inter Ligures Scriptores pag. 227. scripsisse refert Comm. in magistrum Sententiarum, idem est, ac supradictus. In laudem B. Gerardi cecinit Achilles Mutius par. 4. Theatri Berg. pag. 60.

Est Augustini cætus lux magna Gerardus.
Hic Sophia, & vita clarus abundè sua.
Sabbatia est testis Ligurum locus inter amæna
Vrbs, vbi sustinuit Pontificale pedum.

In sextum Decretalium de Relig. Dom. lib. 1.
Super Libros Senten. lib. 4.
In Cantica Canticorum lib. 1. Incipit *Alæ duæ Cherubim.*
Commenta in omnes Epistolas D. Pauli.
In Epistolam ad Hebræos li. 1.
Concord. Epist. Pauli cum Salomone.
Concord. noui cum veteri Testamento.
Quodlibeta duo Parisijs disputata lib. 1; & alia multa.

77. GERARDVS SENENSIS præclaro genere ortus, nobilibusque moribus, ac subtili, & viuaci ingenio ornatus. A prima ætate omnes liberales artes impensè coluit: in fertilissimo enim religionis viridario plantatus statim virescere cæpit, ac fructus vberes producere. Quapropter Parisios profectus, cùm inibi multum profecisset, iuxta consuetum breui Baccalaureus declaratus euasit; quæstionesque quodlibetales ibidem explanauit. Inde Bononiam ad publicè legendum tam suis, quàm alijs missus: Postremò Senensem in Patriam redijt etiam

ad do

ad docendum. Patriæ tamen dulcedinem breui degustauit; quia in florenti ætate amaritudine morbi cruciatus diem suum clausit circa annum Domini 1336. Cùm viuens nondum magistralem lauream accepisset, instante Populo,& Ciuitatis Episcopo, inter lacrymabiles Funeris exequias ei data fuit. Denique loco ab alijs seiuncto in Ecclesia sui Ordinis pro tumulo condito: *Sed cùm anno Domini* 1596. (sunt verba Illustrissimi Pauli Ciera Veneti tunc temporis in Senensi Monasterio studentis Libro infracitando) *vrgeret necessitas restaurandi Lithostratum Ecclesiæ, exbumatus inuentus est adeò integer, & incorruptus,ac si pridie mortuus fuisset*. Nunc verò vbinam repositum fuerit corpus,non apparet. Res profectò dolenda! Tam diligentes fuernnt Fratres S. Antonij ad Lacus Ambrosianos in sepeliendo Lectorem Franciscum Fratrem Magistri Gerardi, ut illum cohonestauerint lapide sepulcrali, ac inscriptione similis tenoris. *Hic iacet Reuerendus Religiosus Frater Franciscus de Senis Lector, Germanus Venerabilis Magistri Gerardi eiusdem Terræ, & Ordinis*? Et tam pigri Religiosi S. Augustini Senarum illius temporis, quo inuentum est Corpus, vt illud abscondenrint absque vlla prorsus memoria? Hoc certè non facerent diligentes moderni. Auget dolorem, nullam memoriam magni Gerardi inuenisse in volumine non exiguæ molis omnium Scripturarum Monasterij, formato ab accurato Presbytero D. Antonio Sestegiani à me diligenter reuoluto, vt tempus, in quo claruit, vel obijt, clarè innuere possem. Quidquid verò sit, fuit Gerardus subtilissimus Metaphysicus, Theologus celeberrimus, ac vtriusque Iuris peritissimus. Eius Tractatu de Vsuris, & Præscriptionibus Diuum Bernardinum conterraneum suum usum fuisse, testantur Scriptores aliqui. Inter laudantes eminent Ioannes Andreæ Canonista celebris, contemporaneus; Ven.Alphonsus Toletanus sæpiùs eius doctrinam admirans in suo primo Sententiarum, Thomas de Argentina in quatuor; ac omnes Ordinis Scriptores, præcisè Sanctes Guicciardus Ariminensis, qui in lucem emisit primum sententiarum Gerardi, in principio reponens Elogium ipsius à varijs collectum, nec non Paulus Ciera supranominatus initio sui primi sent. editi Romæ apud Caballum 1633. 4. in Doctorum Indice, & etiam Trithemius de Scriptoribus Ecclesiasticis, Posseuinus pag. 542; Gesnerus pag. 275;Frisius pag.282; Vgurgerius Dominicanus in Pompis Senensibus lib. 14. pag. 365.

365; Ciacconius in vita Benedicti XII. pag. mihi 885. eum nominans inter viros doctrina, & pietate egregios, sed nihil de eo, quod miror sanè, reponit Sixtus Senensis in Bibl. Sancta, nec minùs memorat inter illos, qui in Magistrum Sententiarum scripserunt. Opera ipsius sunt:

In primum Senteutiarum. Patauij ex Bibliotheca Petri Pauli Tozzi 1598. Fol. Adest etiam M. S. in nostra S. Aug. Senarum, in cuius fine hæc cernuntur verba: *Iste Liber est mei Fratris Vgolini de Cortonio, quem ego feci scribere de quibusdam pecunijs dimissis mihi ab egregio sacrarum Litterarum Doctore, & Præceptore meo Magistro Angelo de Cortonio, qui obijt Anno Domini* 1467. *die* 25. *Mensis Iunij, tunc Regente.* Supranominatus Vgolinus fuit B. Vgolinus de Cortonio, cuius vita reperitur in magno Opere Bollandiano To. 3. Martij.

Primum quodlibet Parisijs disputatum, seu quæstiones quodlibetales edidit primus Mauritius Tertius nobilis Parmensis Vicarius Generalis meæ Cong. Viterbij apud Augustinum Colaldum 1587. Fol; Posteà Arimini apud Simbenium promouente Magistro Angelo Vantio 1636.4.

De Vsuris, & restitutionibus resolutio planè aurea, diuersa à tractatu subsequente. Edidit idem Mauritius ibidem 1587. fol.

Secundum quodlibet, seù quæstiones variæ ex Philosophia; & Sacra Theologia. Edidit Angelus Vantius supradictus. Cæsennæ typis Iosephi Nerij 1630.4.

Tractatum de Vsuris, & de Præscriptionibus primitus edidit Romæ Magister Fabianus Clauarius Genuensis apud Bladum 1556.4. Deinde Cæsennæ promouente eodem Vantio 1630. 4. apud Neriū, ac Bononiæ 1671.4.

Ad Episcopum Senensem quæstiones, in quibus duo inter alia pertractat, scilicet: Vtrum bona pauperum soli Episcopo Diœcesano liceat dispensare? & vtrum in imminente periculo Ciuitatis liceat Episcopo dicta bona sic dispensare, quòd conuertat illa in eius subsidium, si dicta bona à Rectore Ciuitatis petantur?

Quæstiones ad Episcopos generaliter pertinentes lib. 1.

De montibus Florentinorum lib. 1.

Quæstiones super 2; 3; & 4. sententiarum lib. 3.

De Vsucaptionibus lib. 1.

Clementina de Hæreticis lib. 1.

De Begardorum erroribus.

Tractatùs de principio indiniduationis ad mentem Ægidij.

Quæstiones de intellectu agente. Hæc duo M.SS. olim extabant Patauij.

Plures Tractatus, & Libri huius ingeniosi Doctoris asseruantur Mediolani, in nostra Bibliotheca Sanctæ Mariæ Incoronatæ, vt aliqui nostri asserunt.

78. GOTSCHALCVS HOLLEN Germanus Prouinciæ Saxoniæ Ciuitatis Onasburgensis. In humanis iam agebat anno 1406;

no 1406;narrans enim Par.hyemal Ser.38.factum cuiusdã Incubi,quod euenit anno 1380;dicit se audiuisse post 26. annos ab eodẽ viro,Nenelugh appellato,cui accidit.Iuuenis in Italia studuit.Scribit enim in eodem Libro, se fuisse Senis in nostro Cænobio, ac in alio Ser. profert. *Recolo me audiuisse à Patribus Perusinis*. Hic S.T. Doctor creatus inter Scholasticos, & Diuini Verbi Declamatores celeberrimus eminuit, ac in omni facultate promptus. Anno 1466: Concilio Onasburgensi interfuit. Henricus Gram in Indice Auctorum Speculi magni exemplorum ait illum claruisse 1460;& cùm ipse Henricus ediderit suum opus 1480. prima vice, facile, vt puto, iam decesserat meus Gotscalcus, & ipsius opera post mortem impressioni tradita fuere. Laudatur ab omnibus Ordinis Historicis post Pamphilum, ac memorant, non sine præconio, Sixtus Senen.in Bibl. Sancta.pag.239;Posseuinus pag.557;Petrus de Alua in Bibl.Conceptionis col.520; Frisius 288; ac vltimò Robertus Gerio pag. 319. Ipse etiam de se ipso supranarrata refert Dõ. 2;& 5.Ser.3.45;47;62;50;post Epip;& Ser.2.de Resurrectione. Demum Ser.97. part.Æstiual.narrat sequentia de quodam illustri Mercatore meo connationali, quæ ad nationis honorem reponere volo. *Quidam Mercator in Ciuitate Ianuensi, Obertus nomine, tantæ legalitatis erat, vt quidam quingentos apud eum aureos deposuisse mendaciter diceret, illeque minimè super hoc chartulam, seu scripturam reperiret, multosque mendosos testes adduceret, & mercator fidelissimus diceret se depositum minimè recepisse: Et ille clamans vociferare vellet. Obertus eum statim vocauit, dicens: Tace fili, accipe quingentos aureos, quos te apud me deposuisse affirmas, statimque ipsi pecuniam numerauit. Malens iniustè pecuniam perdere, quàm bonæ famæ sui nominis detrahere*. Labbeus absque fundamento reponit nostrum Gotscalcum inter illos, qui vixerunt post annum 1501;sed nil mirum; nam res præclaras mei Ordinis inspicere diligenter noluit. Nullus porrò meliùs enumerauit qualitates nostri Gotscalci, quàm eruditus Schiphouuerus in Chronicis Archicom.Oldemburgensium à me vltimò obseruatis in refertissima Bibliotheca Eminentissimi Protectoris Card.Imperialis pag.183; & 84. *Circa idem tempus obijt valens, ac doctus Lector Gotschalcus Houue, sepultus nostro in Conuentu Osemburgensi, qui à teneris annis virtuti incubuit vigilanter, & literis; cui natura non defuit in eo pulcherrima dona diffundens: neque ipsemet sibimetipsi defuit, sed di-*

ctas naturæ dotes officijs, & literis clariores effecit in tantùm, quòd hominis gratia Osemburgensi in vrbe sua se virtus euexit, vt meo iudicio dignissimus esset. Erat enim in Canonico iure, & in legibus ita tritus, & plenè didicerat, quorum tenorem ita memoriter habebat, vt singula recitaret, quasi sub oculis liber esset. Splendidum sibi ingenium, conceptus velox, memoria seruans: sic quòd multi viri docti doctrinam suam admirantes maxima cum laude eum honorauerunt. Et præsertim inter alios quidam Magister Ioannes de Rodenborg Vicarius in Maiori Ecclesia Osemburgensi infrascriptos versus suam in laudem cecinit, dicens:

Docti Gotschalci sarcofagus obtinet abdi,
Hìc recubat subtus funebre corpus eius.
Lector magnificus, Prior hic quàm strenuè nactus,
Augustinensi dogmate diues ei,
Canone sublimis, qui pragmate vixit opimus:
Sicut Aristoteles, vir bonus, & sapiens.
*Gratia doctrinæ, quem pingunt * **
Prædicat egregiè cespite Westphaliæ.
Aufugium populi qui claret gratia cleri
Heruort hunc vestit, Corbeia quem peperit.
. . . .
Confectus senio cecidit nece lumine deno.
Annis M. quater C. nunc L. ter X. quoque primo
Felix astriferam scandit in æthera m.

Scripsit Venerabilis iste Pater quamplurima volumina, in primis super Pauli Epistolas volumina duo, & de septem peccatis mortalibus volumen; De officio Missæ volumen, super decem præcepta, de nouem peccatis alienis, Sermones quamplures ad Populum, & ad Clerum; De Sacramento Eucharistiæ *in Blomenberge, & quàm plurima alia.*

Præceptoriũ Diuinæ legis, seu Commem. in Decalogum Domini Gotscalci Hollen de Ord. Herem. S. Augustini viri peritissimi. Coloniæ 1481. Fol. Norimbergæ apud Antonium Koberger 1497. Fol. Ibidem per Federicum Peyppus 1521. 4.

Sermones Dominicales in Epist. D. Pauli Hagenoæ apud Henricum Gram. 1520. Fol.

Sermones alij eiusdem M.S. in nostro Monasterio Rattembergæ, vt testatur Milensius.

Tractatus de Sacramento Pænitentiæ.

79. GREGORIVS Ariminensis Prouinciæ Romandiolæ *Vir fuit magnæ scientiæ, & vitæ sanctæ, singulariter Parisijs honoratus*

noratus à tota Vniuersitate propter opera sua notabilia, audiebatur libenter, & omnibus erat speculum, tam in moribus, quàm in scientia. Hæc B. Iordanus de Saxonia. Quo tempore verò Parisiensem sublimauerit Academiam, cùm Iordanus, nec antiqui Scriptores indigitent, difficilè est aperire. In fine ipsius super sententias Voluminum appositum extat eum fuisse cathedraticum Parisijs 1344; tamen gratis scriptum iudico: Quia si verum est quod proferunt plures Scriptores nostri, & non obscurè colligitur ex eius operibus, ipsum habuisse concurrentem in Lectura subtilissimum Ioannem Duns Scotum, qui anno 1307. ibidem sententias explicabat, ad dictũ tempus Lecturam Gregorij attingere, asserere necesse est. Quidquid tamen sit, ex nostris solùm patet, Gregorium in Capitulo Generali Basileæ celebrato institutum fuisse Lectorem primarium, nunc Regentem vocatum, in Ariminensi suo Cænobio, & eidem commissum Priorem Ariminensem absoluere, & alium præficere. Anno 1357. per obitum Thomæ de Argentina Vicarius Generalis; demum 28. Maij apud Monspeliensem Comitijs habitis omniũ Patrum suffragijs Generalis declaratus fuit. Breui tempore sui gubernij multa præclarè gessit in Religionis vtilitatem, præcipuè ad nouam fabricam nobilissimi Monasterij Papiensis erigendam multùm contulit. Ea de causa cùm Ioannes Paleologus Marchio Montisferrati, & Papiæ Dominus amplas eleemosynas largitus fuisset, prudens Gregorius non solùm eloquenti epistola, à Torello 6. To. pag. 39. reportata gratias egit humiles, sed eum quoque ad Ordinis spiritualem affiliationem admisit. Denique Viennam Austriæ petens, ad Religionem inibi etiam ampliandam, & illustrandam, summo doctorum, & bonorum virorum mærore piè decessit circa finem anni 1358; ac in nostro Templo Aulico in eodem Tumulo cum Argentinensi antecessore eius corpus locatum. Ordinem rexit anno vno cum dimidio, eratque supra annum octogesimum; nam ex ipsius regesto, vt benè obseruauit Torellus, adhuc viuebat 20. Nouembris: Corrigendi igitur aliter scribentes. *Vidimus Gregorij excussam effigiem titulo, & radijs Beatorum coruscantem, ait Herrera.* Longum esset proferre velle omnes Gregorium celebrantes, aliquos tamen ad ipsius gloriam exponam. Sapientissimus Purpuratus noster Norisius in Vindiciis Augustinianis pag. 68. scribit: *Nullus veterum scholasticorum in Augustini lectione Gregorium superauit*; & hoc idem

 expres-

expresè ostendit asserere grauissimos Patres Iesuitas. Andreas Vega Minorita in suo celebri opere de Iustificatione Coloniæ edito 1572. quæst. 6. §. secundum verò protulit. *Gregorius Ariminensis Augustinianæ mentis valens, maximus, ac studiosissimus propugnator*. Meus insignis Doctor Petrus de Aragon in Epistola ad Lectorem Libri sui de Fide, spe, & charitate impressionis Venetæ 1625. fol. (nam in alia impressione 1646. malè ab imperito impressore fuit ablata epistola) ex Mencio Dominicano primario professore Salmaticensi exposuit: *Gregorij acutissimum ingenium, & argutum dicendi, ac disputandi stylum Theologi admirantur; Et si D. Augustinus è superis vocatus suum de Gregorio ferret iudicium, diceret planè à paucis se tam esse lectitatum, peruolutum, & penetratum, quàm à Gregorio*. Addit eruditissimus Franciscus Macedo in Concentu Euchologico pag. 442. hæc: *Insignis hic Doctor, veræ Aquilæ Augustini Pullus, ad eum, & cum eo semper volat. Nemo eo Augustini mentem accuratiùs inquirit, nemo feliciùs inuenit, nemò veriùs intellexit, nemo fideliùs exponit: vbique Magistrum eum suum, & profitetur, & sequitur, eique se discipulum præbet, nihil nisi præiudicatum ab Augustino definit, eiusque doctrinam cum Pauli doctrina coniungit &c.* Præter supradictos meminerunt authentici Doctoris Gregorij Sabellicus Lib. 9. Ænneade 7. fol. 136; Volaterranus Lib. 21. Antropol. col. 765; Ciacconius ad an. 1342. dicens, Benedictum 12. amatorem fuisse magni Theologi Gregorij; Raphael Adimarius in situ Ariminensi impr. Brixiæ 1616. 4. pag. 76; Trithemius, Sixtus Senensis, Posseuinus, Bellarminus, omnesque Bibliothecarij, inter quos vltimus Henricus Vuarthon pag. 33. incongruè, etiam in indice, Georgium vocans. Scriptores Ordinis nostri quoque omnes, præcisè benè Curtius in elogijs pag. 121. proferens verum Prototypum ipsius, ac Tol rellus in To. 6. ad citatos annos, nec non Magister Michae Vantius Ariminensis in opere Italico ibidem impresso 1667. 4; cuius titulus: *Charites sacræ historico penicillo delineatæ*, asserens, in eadem Ciuitate adesse effigiem Gregorij cum hac inscriptione: *Magister Gregorius Ariminensis Ord. Erem. S. Augustini Prior Gen. eximius Philosophus, Theologus acutissimus; optimorum morum splendore, magnæ Doctrinæ, copia, prudentia, sanctimonia, Parisiensia egregiè sublimauit Gymnasia, multis editis Libris, Viennæ Austriæ decessit* 1358. Opera ab ipso luci exposita sunt ista.

Lectu-

Lectura in primum, & secundum sententiarum Gregorij de Arimino Doctoris præcellentissimi per clarissimum Vniu. Parisien. M. Guillelmum Militis Aug. emẽdata &c. Parisijs 1482. 9. Augusti. fol. Mediolani apud Vldericum Scizenzeler 1494. fol. Correxit M. Franciscus de Bustis Laudensis Ord. Minorum. Parisijs per doctissimum professorem S.T.M. Petrũ Garamanta Augustinianum illust. 1500. à Claudio Cheuallon fol. Valentiæ 1500. fol. Venetijs per Locatellum 1503. fol. à Magistro Paulo de SclauisGenezanensi dic. Generali Ægidio Viterbiensi: Etiam ibidem Typis Lucæ Antonij de Giunta 1522. fol. cum additionibus ad secundum sententiarũ, & semper duobus voluminibus separatis.

In tertium, & quartum sententiarum vol. 2; vndè scribit supracitatus Macedo: *Cum ille iustos Commentarios in 4. libros sententiarum scripsisset, duo in 3; & 4. perierunt magno Theologicæ Reipublicæ detrimento.*

De imprætantijs Venetorum. & de vsuris industria, & correctione S.T.D. Fratris Antonij Melij Cremensis Regij Æmiliæ impensis D. Ludouici de Mazalis Regiensis 1508. 4; ac Arimini promouente M. Angelo Vancio typis Simbenij 1622. 4.

Super omnes Epistolas D. Pauli lib. 14.

Commentaria in Epistolam D. Iacobi.

Sermones de tempore.

Sermones de Sanctis.

Tractatus de Conditionibus Florentinorum.

Tractatus de intensione, & remissione formarum.

Carmina Italica, & Latina plurima, vti testatur Raphael Adimarius in Libro, & loco supranotato.

Quæstiones Metaphysicales aliqui aiunt seruari Parisijs in nostra Bibliotheca.

80. GVALTERVS BVRLÆVS Anglus, Doctor Planus, & Perspicuus dictus, Collegij Mertonensis in Oxoniensi Academia alumnus; posteà Luteciam profectus Magisterij Lauream summo cum plausu est consecutus. Oxonij, & Parisijs Doctorem habuit subtilissimum Scotum, in Patriam tamen regressus eius doctrinam accerrimè insectatus est. Fuit acutissimi ingenij, & Philosophorum sui temporis facilè Princeps; nam Gualterus lingua Germanica idem, ac Princeps, & Potens sonat. Ob celebrem scientiarum præstantiam Principi Eduardo III; postea Anglorum Regi præceptor assignatus. Ipsum Augustinianum fuisse, tam clarè patet ex meo Ven. Alphonso Vargas Hispalensi Archiepiscopo Gualteri coæuo, vt de hoc nullus dubitare queat; sæpiùs enim ipsum citans in primo sent. tam in impresso, quàm in M.S. asseruato Romæ in nostra S. Mariæ de Populo viso ab erudito Herrera, & alio à me vi-

me viso in nostra Bibliotheca Cortonensi scripto à Fratre Antonio de Ast-Papiæ S. T. Bacc.anno 1479. fol; ita exprimit: *Quidam Doctor ex nostris*, & in margine *Gualterus Burlæus*; & præcisè clarè dist.7. q.3. art.3;& 4.citans ipsius opus de intensione,& remissione.Anno 1337; vt ex Lelando collegit Pitsæus annum ætatis 62.habebat; quo tempore decesserit, hucusque incertum. Dicauit suum opus super Libros Ethycorum Episcopo Vlmensi ita inscribens *Reuerendissimo in Christo Patri; & D.D.Ricardo diuina disponente Clementia Vlmensis sedis Episcopo Gualterus de Burlæo S.paginæ inter Iuuenes floridæ Vniuersitatis Doctores minimus Professor, humilis Vestræ Dominationis seruitor in via salutem, & gratiam, in termino gloriam sempiternam.* In medio Dedicatoriæ hæc adsunt verba: *Scripsi pauidus super Libros Ethycorum, quæ senili memoriæ nunc occurrunt, aliqua, quæ particulariter priùs scripseram compendiosiùs recensendo &c.* Laudatur ab aliquibus nostris, videlicet Herrera pag.308; Elssio 252;& Torello To.qninto pag. 508. Inter exteros vidi Posseuinum pag. 600; Gesnerum pag. 150; Frisium pag. 126;& 295; Pitsæum ætate 14; ac vltimò benè Henricum Vuarthon in Append. ad primum Tom. Guillelmi Caue pag. 22. Opera quæ scripsit, quoad potero, enunciabo, nam cùm multa sint, non est ita facile omnia exactè distinguere. Priùs tamen aliqua, quæ vidi impressa, demum alia ab alijs notata depromam.

In artem veterem Porphyrij, & Aristotelis, videlicet in Lib. Prædicabilium, Prædicamentorum, & Perhiermenias &c. Venetijs diligentia Bonetti Locatelli 1488.fol. Papiæ 1497. fol. Venetijs per Andream Caterensem 1492.fol. Ibidem per Philippum Pincium 1509. fol; & apud H. Scoti 1519. Fol; ac etiam 1512. cum addit. Hieronymi Bompillo.

Excellentissimi Doctoris Magistri Gualteri Burlæi super Libros Posteriorum. Venetijs per Ottinum Papiensem 1497. Fol. Ibidem apud Gregorium de Gregorijs 1514. fol; ac 1537; & 1552;& Oxonij 1517.4.

Super decem Libros Ethycorum Aristotelis. Venetijs per Octauianum Scotum 1481. Fol. Ibidem correctione, & cura Magistri Ambrosij de Padua Augustiniani apud H.dicti Scoti 1521. Fol.

In Physicam Aristotelis expositio, & Quæstiones, ac etiam Quæstio de primo, & vltimo Instanti. Venetijs per Simonem Luere 1509.Fol.Denuò apud H. Scoti 1524.Fol,& per Michaelem Berniam 1589.fol.

De intensione, & remissione

forma-

formarum. Venetijs per Locatellum 1496. fol; & 1519. fol.

De vitis Philosophorũ. In Germania 1474. 4. etiam Casalis apud Bernardum Grossium sub nomine falso Antonij Sala I. C. 1603. 4. De qua subreptione vide Labbeũ in Bibl. Bibliothecarum pag. 316; & Vincentium Placcium in Catalogo Pseudonimorũ pag. 251; ac pro Libri qualitate vide Gerardum, Io. Vossium de Hist. Lat. lib. 2. pag. 505. 4.

Tractatus de materia, forma, & relatiuis. Oxonij 1500. 4.

In Prædicabilibus, & Prædicam. secundum vsum Oxonij M. S. ex Bodleiana.

Super Libros Politicorum fol. M. S. membr. in Bibliotheca Veneta S. Antonij, ex Thomasino pag. 4.

De substantia Orbis ibidem fol. in membr. pag. 6.

De intellectu agente, & alia multa Theologica fol. membr. ibidem.

In Magistrum sent. Libri 4. *Cupientes aliquid*.

In Isagogen Porphirij lib. 1. *Quia de dictis in Logica intendo*.

De Cœlo, & Mundo lib. 4. *In hoc Libro primo sunt quædam*.

Quæstiones in eodem lib. 4. *Vtrum Philosophiam speculatiuam, &c.*

In Aristotelis de Anima lib. 3. *sicut dicit Themistius*.

De Longitudine, & breuitate vitæ lib. 2. *Intentio in hoc Tractatu*.

De quinque sensibus lib. 1. *In homine &c.*

De motu Animalium lib. 1. *De motu autem eo, qui est*.

De Fluxu, & refluxu Maris Anglicani lib. 1. *Visis effectibus, quorum causa latet*.

In problemmata Aristotelis lib. 1. *Felix, qui potuit rerum cognoscere*.

De mixtione Elementorum li. 1. *Dubium apud multos esse*.

De sensibus interioribus lib. 1. *Notandum, quòd materia prima*.

De tribus agentibus lib. 1. *Sicut fructus est vltimum*.

De tribus agentibus iterùm lib. 1. *Intelligendum, quòd in Vniuerso*.

Quæstiones in Ethycam lib. 10. *Prima quæstio istius Libri*.

Quæstiones in Libros Politicorum lib. 8. *Prima quæstio, quid est Seruus*.

De diuisione entis lib. 1. *Circa diuisionem entis in decem*.

De Iudæis lib. 1. *Augustinus in Libello suo de octoginta*.

De diuisione scientiarum lib. 1. *Sicut dicit Philosophus in primo*.

In parua naturalia lib. 1.

In Aristotelis Metheora lib. 4.

Quæstiones super Libros Metheororum lib. 1.

In artem Cabalisticam Lulij lib. 2.

In Metaphysicam Aristotelis lib. 12. In Aristotelem de motibus lib. 5. De via modernorum lib. 1. Super Oeconomicis lib. 1.

Rationes terminorum lib. 1. De principijs per se lib. 1. De finito, & infinito lib. 2. De duobus principijs lib. 1. De modo diffiniendi lib. 1. De abstractis lib. 1. In Aristotelem de natura lib. 1. De sensu, & sensato lib. 1. De Generatione, & Corruptione lib. 1. De Memoria, & Reminiscentia

scentia lib. 1. De Somno; & Vigilia lib. 1. De potentijs Animæ. Tractatum de formis, & alia.

81. GVALTERVS RECLVSVS Anglus. Post perceptas artes, quas sæculares vocant, ardenti amore spirituales disciplinas, quæ à sæculo retrahunt, & ad Cœlum ducunt, aggressus est. His instructus, fructus vberes produxit sibi dulces, & Discipulis vtiles, vnde ex eius disciplina plurimi docti, & boni euasere. Scripsit aliqua Opuscula ascetica ad proximi instructionem, quæ in compendium redegit Richardus Lauinham Carmelita, vir eruditus. Eiusdem Gualteri precibus Honorius IIII. summus Pastor concessit vt Monasterium nostrum Parisiense loco magis opportuno, quàm anteà fuerat, construeretur. In Domino obdormiuit circa annum 1286. Laudatur à nostris Scriptoribus post Pamphilum, ac à Pitsæo de Scrip. Anglis ætate 13; Possevino pag. 601; & Frisio pag. 296. scripsit:

De Mundi contemptu lib. 1.
De Vita solitaria lib. 1.
Meditationum lib. 1; & alia quædam.

82. GVILLELMVS AMIDANVS Nobilis Cremonensis. Huius viri præclarissimi qualitates, & actiones dignè describere difficillimum est. Licèt enim quā egregiè se gesserit in florida ætate, ignoretur, tamen per annos 30. tam illustres extitere virtutes, vt in adæquatum compendium redigere propè impossibile sit. Galeatij Vicecomitis I. Confessarij munus obiuit. Anno 1326. 28. Februarij Florentiæ ad Cathedram primariā Ordinis ornandam assumitur; præfuitque vtiliter, prudenter, & sanctè per annos sexdecim. Confirmatus enim fuit Parisijs 1329; Venetijs 1332; Grassæ in Prouincia 1335; Senis 1338; & Tolosæ 1342. Primo sui regiminis anno cùm pro Romana Ecclesia varias Legationes ad aliquos Reges, & Principes perfecisset, Ioannes XXII; prospecta etiam eius sanctimonia, scientia, & prudentia, motu proprio eum voluit Cardinalatus dignitate insignire. Ipse verò tanto Religionis zelo exarsit, vt potiùs ad decorem Ordinis aspexerit, quàm ad dignitatem suscipiendam. Petijt igitur Ordinis Generalis amantissimus instanter, & obtinuit facultatem Monasterium fundandi Papiæ penes S. P. Augustini Ecclesiam, vt sic filij Patri vnirentur, & membra capiti. Quod & sequentibus annis non sine plurimis exhantlatis laboribus, ac difficultatibus superatis, executioni mandauit: Posteà anno 1342. 16. Kal. Augusti à Clemente VI. Ponti-

Pontifice Nouarienſis Ciuitatis Antiſtes fuit declaratus. In Epiſcopatu, quæ perfectè operatus fuerit, quæ præclarè perfecerit, vt veritas magis eluceſcat, & maius pondus habeat, alieno penicillo delineabo, videlicet eruditiſſimi Abbatis Vghelli: *Cùm ſui Ordinis generale magiſterium cum laude geſsiſſet, præclarè ſe geſsit in adminiſtratione huius Eccleſiæ, ſubſtruxitque in eminentiori loco Epiſcopat. munitiſſimã Arcẽ, & collabẽtia vitio vetuſtatis plura ædificia refecit. Nouariæ, atque Cremonæ ſui Ordinis Monaſteria ampliauit, auxitque fortunis: Suo ingenio digna plura monumenta reliquit: Adauxit, exornauitque Epiſcopale Palatium, alterumque in Inſula S. Iulij à fundamentis excitauit, vt Epiſcopo illuc diuertenti pro domicilio eſſet: prodit hanc Guillelmi munificentiam inſcriptus lapis in hac verba*: M. CCC. XLVI. R. In Chriſto Pater Fr. Guillelmus de Cremona Ord. Eremitarum S. Auguſtini Epiſcopus Nouarienſis, & Comes, fecit ædificari iſtud Palatium ad honorem Dei, & ſanctæ Nouarienſis Eccleſiæ. *In Pago verò Veſpalato alterum conſtruxit Palatium anno 1351; vbi in Turre Epiſcopalis Caſtelli hac marmorea Inſcriptio legitur*: Iſtud P. ædificari fecit R. P. D. Fr. G. Epiſcopus Nouarienſis de Ordine Fratrum Eremitarum S. Auguſtini ſub A. D. M. CCC. LI. *Eccleſiaſticos ſuæ ditionis compulit, vt bona, quæ poſsidebant, ſcripto mandarent, vno deinde volumine dirigenda, inque Archiuo Cathedralis aſseruanda. Clericorum vitam, moreſque optimis decretis inſtituit, plurimis ſublatis abuſibus. Euulganda Cathedralis Statuta curauit; Canonicoſque Regulares Eccleſiæ S. Matthæi propè Nouariam ad puriores mores traduxit. E viuis exemptus eſt anno 1356. die 29. Ianuarij. Eiuſque Corpus delatum Papiam ex Teſtamento, conditum fuit in Eccleſia S. Auguſtini ad dexteram Sacelli eiuſdem, ſine ullo Epithaphio.* Anno verò 1608. *Fratres eiuſdem Cœnobij tanti Præſulis memoriam excitarunt, hoc in Marmore ſculpto Epitaphio*:

D. O. M. Guillelmo Amidano viro Nobili Cremonenſi, totius Auguſtinianorum familiæ Priori Generali, Nouariæ demum Epiſcopo hìc ſine memoria dormienti, qui memoratu digniſſimus, hoc S. Auguſtini Monaſterium à Ioanne XXII. Pont. Max. iam conceſſum M. CCC. XXXI. Primus ædificabat: Prior, & Fratres beneficentiæ memores tanto Antiſtiti meritiſſimo P. P. anno M. DC. VIII. *In Palatio tamen Epiſcopali eius ſpectatur effigies, atque ſtemmata, quæ ad votum populi ſibi compoſuit: inſignia ſcilicet Guelficæ, & Ghibellinicæ partis in*

scuto hinc inde diuisa, vt eo commento intuentes moneret, adeò se nulli partium studuisse, vt etiam tamquam communis Pater, feraliter dissidentes curauerit in vnum fœdus coire. To. v. Italia Sacra col. 978; & seq. Condignis encomijs decorant Ven. Guillelmū S. Antoninus Par. 4. Hist. tit. 24. n. 5; Ludouicus Cauitellius in Ann. Cremonæ ad ann. 1343; Ludouicus Celotius eruditus Iesuita Lib. 2. de Hierarch; Trithemius de Scrip. Eccl; Posseuinus pag. 610; Claudius Robertus in Gallia Christi; Sixtus Sen. lib. 1. Bibl. Sanctæ, Frisius pag. 302; Carolus à Basilica Petri Episcopus Nouariensis in Hist. eiusdem Ciuitatis, Petrus Maria Campi in Hist. Placentiæ lib. 21. par. 3. pag. 73; ac omnes Scriptores nostri, inter quos eminent B. Henricus de Vrimaria in origine Ordinis, & B. Iordanus Saxo lib. 1. de vitis Fratrum cap. 13; & 18. Porrò Prælatus iste tot egregijs operibus conspicuus, & hac de causa meritò à tot eruditissimis Scriptoribus celebratus, plurimis conuitijs, & iniurijs lacessitus fuit à Canonico Regulari Melegaro, Pennoti sequace, qui licet mel in cognomine ostendat, tamen absynthium in ore protulit. Qua verò de causa? Non alia, nisi quia obtinuit Guillelmus à Ioanne XXII. facultatem Monasterium Papiense fundandi, & Fratres suos Eremitas D. Augustino Parenti magno copulandi. Hæc causa iurgij, hoc motiuum doloris fuit, pro quibus tot maledica euomit. Tamen quia potenter ipsius os obturauit meus doctissimus Iosephus Sabatinus Rauennatensis in vindicijs Viennæ Austriæ editis typis Academicis 1650. 8. lib. 3. §. 7; ne actum agere videar, ideò prætereo. Solummodo repono: Si Canonici Frigidionarij, vt de Mortariensibus, qui tempore Honorij Tertij præclarissimos Monachos Benedictinos exturbarunt, loqui desinam, prospicerent, quid egerunt ipsi tempore, quo erat Commendatarius Monasterij Papiensis à Mortariensibus derelicti, Cardinalis Riarius anno 1509. mediante quodam Bartolino, vt illud præriperent, profectò nil contrà illum, qui obtinuit, & contra formam facultatis obtentæ pro Eremitis proferrent. Videatur Torellus expressè omnia exponens ad annum supradictum n. 19; & seq. Ad scopum tamen operis reuertendo, dico B. Guillelmum nostrum præclarissimum Theologum, & perfectissimū Canonistam, plurimos Libros scripsisse, inter quos memorantur sequentes. Aliqua Opuscula M.S. pete ex Musæo Nouar. Lazari Augustini Cotæ de Ameno. Adhuc Cremonam Literatam clar. V.I.D. Francisci Arisij non vidi. De aucto-

De Auctoritate Apostolica lib. 1. Incipit *Reprobatio sex errorum sequentium &c.* Eum scripsit iussu Ioannis XXII. contrà errores Marsilij de Padua, & Ioannis de Ianduno. Sæpius citatur cùm laude à clarissimo Francisco Penia Hispano Lib. de Regno Christi, & à meo Gauardi de Hierarchia Eccl. Romæ in Vaticana, & Angelica.

Expositiones super quatuor Euangelia lib. 4.

Commentarij super quatuor Libros Sententiarum lib. 4.

Sermones Varij lib. 1.

Orationes elegantes lib. 1.

83. GVILLELMVS BECCHIVS Patritius Florentinus: Hic doctissimus, in sua doctrina resolutus, & præter communem consuetudinem prædicando, & legendo Patriæ suæ acceptissimus extitit. Studuit Patauij in nostro Eremitano Cœnobio 1433; & deinceps Bononiæ, ac Florentiæ. Anno 1454. iam S. T. Magister præfuit Pisanæ Prouinciæ congressui, quo etiã tempore Florentinum Monasterium, vt Vicarius Generalis gubernabat. Alexandro Olliua Generali Purpura illustrato, Guillelmus primò vices gessit, demum eodem anno 1460. Septembris 27; cooperante Cardinale Papiensi, vt ipse fatetur in epist. 75; ad Ordinis regimen fuit assumptus. Principales Prouincias Ordinis Italiæ, Galliæ, Flandriæ, & Angliæ non solùm personaliter lustrauit, sed eminenti doctrina, verbo, & exemplo illustrauit. Postquam per decem annos Religionis sceptrum tenuisset, anno 1470. 18. Maij à Paulo II. Episcopus Fesulanus, & Abbas sancti Benedicti in Alpibus Florentinis creatus fuit. Antea Volaterrana Ecclesia eum pro Pastore petijt, sed obtinere non valuit, vnde Cardinalis Papiensis ad Franciscum Castilionensem Theologiæ professorem scripsit: *Litteris publicis petita est Volaterrana vestro Augustinensi, negauimus eum. Piaculum nostris moribus est in Fesulana nunc præterire.* Anno 1481; vt Scipio Ammiratus in Ecclesia Fesulana pag 48. tradit, quintò kal. Iulij Episcopatum renunciauit, & eum *appellat hominem in Philosophia, & Theologia doctissimum.* Difficile est lucidè aperire, quo anno ex hac luce migrauerit Episcopus Guillelmus. Pocciantius, quem secutus est Abbas Vghellus To. 3. Italiæ sacræ col. 336; putantes ambo sinceram esse inscriptionem sepulcralem, asserunt obijsse anno 1480; sed cum Iacobus Philippus Forestus in suppl. lib. 3. pag. 55. secundæ editionis terminatæ 1486; agens de Ciuitate Fesulana, scribat: *Nunc Guillelmus Becchius Florẽtinus Ciuis, & quondam nostri Ordinis*

dinis Generalis Prior dignissimus, *Episcopus est*. *Vir quidem eloquentissimus*, *& Litterarum sacrarum interpres celeberrimus*; suspicandum videtur inscriptionem appositam fuisse posteriorem, & non antiquam, ideòque non fidendum. Visa demum editione tertia terminata anno 1503; & eodem anno impressa, in qua Forestus scripsit pag. 408. *Obijt denique Florentiæ senex*, *& plenus dierum anno Domini* 1491. Suspicionem etiam ingerit, non esse veram opinionem Scriptorum Ordinis asserentium obijsse 1496. Cùm autem in apponendo numero Foresti, errare potuerit Impressor: Profero, veriorem apparere opinionem asserentium obijsse 1496. in decrepita ætate. Certè is fuit in humanis, & diuinis litteris mirificè instructus, Theologus insignis, ac Concionator adeò facundus, vt suo sæculo nulli secundus esset. Condignis encomijs honoratur ab omnibus nostris, ac etiam à Pocciantio pag. 78; Posseuino pag. 608; Vghello supracitato, Claudio Roberto in Gallia Christiana, Frisio pag. 300; à facundissimo Card. Papiensi lit. 75. 157; & 353; à Gaddio de script. non Eccl. pag. 47. Tom. 1; ac à Paulo Minio in Nobilitate Florentina pag. 89. Testatur enim iste inter alia, quòd eius opera, vt gemmæ, conseruantur in Bibliotheca S. Spiritus, & non cum paruo fructu leguntur: Pamphilus verò: *Libros suos legauit Bibliotheca Cathedralis Ecclesiæ Florentinæ*, *vbi asseruata conspiciuntur*. En igitur talium gemmarum notitiam.

Guillelmi Becchi de Cometa, ad Petrum Cosmi de Medicis Ciuem clarissimum feliciter incipit: *Cùm ad Sancti Marci Bibliothecam pergerem, familiarem quemdam ex tuis ad te redeuntem offendi, quem pro mei officij munere de te, tuaque valetudine plurimùm sum percunctatus: tandemque dimittens, ipsum oraui, vt me pusillum tuæ celsitudini commendaret, subdens inter verba, me paucis diebus, vt in Vrbe pro tua beneuolentia soleo, ruri quoque ad te visendum profecturum. Intereà verò, cùm ob imminentia cæli signa Ciuitas penè tota commota sit, variæque de visis huiuscemodi, & in populo, & apud scitos sint exortæ sententiæ, ne in re hac pendeas, non tantùm quid ego sentirē, qui continuè disco, quique discipuli nomen non erubesco, nec quo eam doceam, sed quid à clarissimis Philosophis, & Astrologis dictum sit, breui sermone, veluti compendio, quod Greci Epitoma appellant, antequam venirem ad Te, mittere curaui, vt, cùm libuerit, pransus, vel cænatus priusquam quietē aliquam corpori tribuas, cumque alijs Reipublicæ curis vacuus fueris, spiritus ille tuus omnium bonarum artium, ac disciplinarū semper studiosissimus, atque auidissimus, hæc nostra legens paulisper releuetur. Vale, & me diligas*. Opusculum hoc est a-

pud

pud clarissimum Magliabechiũ, & incipit: *De multiplici Aeris impressione. Aer iste, quem vidimus &c.* Eius finis est. *Hæc nos itaque vt nostra egens Officina tulit, breui sermone dictauimus, quibus si quid est, quod emendari oporteat, quod profectò ita existimo, tuo, aliorumq; probatissimo, atque æquissimo iudicio derelinquo. Vale semper 1436. Iunij 15. Guillelmi Becchi Augustinianensis de Cometa feliciter explicit.* Hanc notitiam trasmisit eruditus Amicus, dignissimusque Regens S. Spiritus Florentiæ Magister Dominicus Ciriaci Romanus.

Protestatio formata, & composita à sacro Theologo Magistro Guillelmo Becchio Augustiniano M. S. in Laurentiana.

Apologia pro Ordine nostro Augustiniano. Florentiæ edita 1491; vt testatur Emanuel Leal noster eruditus Lusitanus in suo Opere in Andrea Bilio iam citato.

Commentarij in 10. Libros Ethicorum Aristotelis. Incipiunt. *Moralē Philosophiam tripartitam.*

Commentarij in lib. Oeconomicorum Aristotelis ad Regem Neapolitanum, initium est. *Post Arist. Ethicorum Libros.*

Commentarij in Libros Politicorum; Incipiunt: *Quemadmodum in prioribus Commentarijs.*

Interpretatio super primum Sẽtentiarum. Incipit. *Dubitatur, an Deus,*

Abbreuiatio Sententiarum Augustini de Roma. Initium: *Cùm Doctoris clarissimi de Roma.*

De potestate Ecclesiastica per modum dubitationis. Initium: *Dubitatur primò.*

Quæstiones itinerariæ habitę, dum Generalis esset, ac Religionem inuiseret. *Quoniam plures Philosophi, ac Platonici.*

Quæstiones super tres Libros de Anima.

De Lege Mahometana lib. 1.

Sermones ad Clerum lib. 1.

Sermones ad Populum lib. 1.

Passio Iesu Christi, in cuius fine legitur: Explicit Passio compilata per Fratrem Guilidinum, (Guillelmum existimo) Antonij de Becchis de Florentia. Artium Doctorem, & S. Paginæ professorem 1443. die 18. Iulij M.S. in 4. in nostra Bibliotheca Montis-Ilcinij à me visa anno 1700.

84. GVILLELMVS DVRANTI, Speculator nuncupatus, Gallus Narbonensis Natione, & in Podio Missione ortus è nobili prosapia. Is Iuris Ciuilis, & Canonici peritissimus eluxit, habuit enim Magistros viros insignes Bernardum Compostellanum, & Henricum posteà Cadinalem Hostiensem. Doctoratus Lauream Bononiæ obtinuit; demum Mutinæ publicè docuit, & in exercitatione forensi tantùm valuit, vt *Pater Practicæ* diceretur. Fuit Capellanus Clementis IV; Palatij Apostolici Auditor, Canonicusque Belluacensis, Narbonensis, & Decanus Carnotensis: Eo tempore dicauit suum speculum Ottobono Cardinali Flisco, posteà anno 1276. sub nomine

Adriani V. Pontifici electo. Anno 1274. Gregorius X. eum ad II. Lugdunense Concilium misit, vti suum procuratorem ageret, quo titulo plures constitutiones promulgauit. A Nicolao III. Patrimonij Gubernator dessignatus fuit; ac etiam in Vmbria, & Romandiola Thesaurarius Generalis, & Militiæ Præfectus destinatus à Martino IV; plurima memorabilia gessit: Inprimis Castrum, quod suo nomine *Duranti* appellauit (nunc Vrbaniæ Ciuitas vocatur) à fundamentis excitauit, aliquosue Tyrannos Ecclesiasticam ditionem occupantes prostrauit: Tunc apparuit insignis, non solùm calamo, sed ense, & prudentia. Anno 1286. Episcopus Mimatensis in Gallia Aquitanica declaratus: Eam dignitatem adeptus, Rationale diuinorum officiorum composuit, scripsit enim in Prologo: *Ego Guillelmus Duranti Sanctæ Mimatensis Ecclesiæ sola Dei patientia dictus Episcopus, pulsans pulsabo &c.* Oblatum à Bonifacio VIII. Archiepiscopatum Rauennatensem constanter recusauit: Tamen ab eodem ad Saracenorum Sultanum Nuncius missus, pro Ecclesia Dei laborem subire non renuit, sed promptè perrexit anno 1296. Verùm quando Nicosiam Cypri Metropolim peruenit, pridie nonas Iulij ad aliam vitam transmigrauit. Corpus Romam reportatum in Templo S. Mariæ super Mineruam conditum est hac Epigraphe reposita: *Hoc est Sepulchrum Domini Guillelmi Duranti Episcopi Mimatensis. Ioannes filius magistri Cosmati fecit hoc Opus.* Demum in marmore.

Hic iacet egregius Doctor Præsul Mimatensis.
Nomine Duranti Gulielmus regula morum:
Splendor honestatis .....

Cætera vide apud Vghellum To. 2. Italiæ Sacræ col. 988.

Mirum est,quomodò adhuc aliqui inueniantur, qui eum Durandũ,vel aliter vocent,cũ tam clarè ex hoc Epithaphio,& ex eius Libro supranotato *Durãti* fuisse appareat.Nunc ex vita breui epilogo supranarrata, & ex plurimis circũstantijs benè perpensis, dico, neque ad Dominicanos, neque ad meos Augustinianos Guillelmum Duranti pertinere: Ni forsan fuerit in minoribus, & posteà vestem exuens ad sæcularem Clericatum transierit. Quia tamen Labbæus scripsit, carere omni vmbra probabilitatis Augustinianum asserere, ideò hæc reponere volui. Posseuinus, & ipse Iesuita eruditus ait: *Porrò fuisse Guillelmum hunc Augustiniani Ordinis Monachũ testantur Auctor additionis*

ditionis ad ſpeculum hiſtoriale Vincentij Belluacenſis lib. 31; *Onuphrius Panuinius in Chronico Eccleſiaſtico, Auctor ſupplementi, Chronicorum Philippus Ordinis Erem. S. Auguſtini, & alij*. In editionibus temen Chronicorum Panuinij, & Iacobi Philippi ſupplementi, vidi appoſitum *Ordinis Prædicatorum*. Forſan editiones antiquæ à Poſſeuino viſæ habebant, *Ordinis Auguſtiniani*. Obſeruaui etiam, quòd in antiquo M. S. ipſius aſſeruato in Bibliotheca Veneta S. Antonij, vt videre eſt apud Iacobum Philippum Thomaſinum pag. 20; vocatur Frater Guillelmus ſic: *Rationale diuinorum Officiorum Fr. Guillelmi cũ miniaturis fol. membr.* Si igitur ſupradicti non faciunt vmbram probabilitatis, præcisè cùm in ipſis enumeretur Pater principalis Hiſtoriæ Panuinius, quid neceſſarium erit? Forſan tercenti ſeptuaginta, & vnus teſtes, qui vt refert Bulla Eugenij Quarti, examinati fuere pro Canonizatione Sancti Nicolai Tolentinatis? Vel quingenti pro Beata Clara ex meo Ordine pariter; qua de cauſa, nempe pro multitudine, non pro veritate, quia veridici extiterunt, emanauit prouerbium teſtes Montis-Falconij? Nòn certò, quia hæc non eſt cauſa fidei: Nam agitur de vmbra probabilitatis. Quæſtio igitur de vmbra &c. Vlteriùs obſeruo, quòd ad conficiendã ſententiam probabilem plurimi Caſuiſtæ moderni, quos enumerat Ludouicus Montaltius in litteris Prouincialibus, nil aliud requirunt niſi vnum, vel duos Doctores alicuius auctoritàtis; & nos plures habemus, ſed nihilominùs ex genio Labbei non conficiunt vmbram. Forſan auctoritas, & eruditio horum Scriptorum erunt ſicuti corpora diaphana vmbra carentia? Scio Labbeum in Concilijs, Hiſtorijſque ſacris, & in Sanctis Patribus fuiſſe peritum; in his verò vel hoſpes apparere voluit, vel alia de cauſa motus fuit ad ſic ſcribendum. Hanc tamen, quàm non ſine fundamento ſuſpicor, exponere nolo, quia ſummè veneror inſignem Societatem, ex qua tot præclariſſimi Scriptores nobis fauorabiles, & inter principales, doctiſſimus Suarius Lib. de Religione exiere. Vt autem meliùs pateat qualitas aſſerti Labbeani; obſeruetur, quàm inaduertenter, in ſuo ſecundo To. de Scriptoribus pag. 823; loquatur contra Philippum Elſſium noſtrum (quem tamen in pluribus defeciſſe, non inficior, quia nimirum plurima adminicula neceſſaria ei defuerunt) nam quod Elſſius refert ex Claudio Roberto in Gallia Chriſtiana, Labbeus ipſi affricat ſcribens:

quem

quem dicit confundi, nempe Guillelmũ Duranti, *cum Guillelmo de S.Portiano Meldensi Episcopo*. Hoc noster Elssius (denuo profero) refert ex Claudio Roberto, & charactere differenti ita, ut etiam à Luschis, & parum videntibus cerni possit. Commendant Guillelmum plurimi, & præcisè eruditissimus Episcopus Simon Maiolus in vita præposita comm. Concilij, qui asserit Guillelmum ante vitæ terminum vestem Dominicanam induisse, omnes Bibliothecarij, inter quos vltimus Guillelmus Caue, Vghellus supracitatus, alijque, etiam ex meo Ordine. Celebris est ipsius sententia sequens de re Sacramentaria: *Verbum audimus: Motum sentimus: Modum nescimus: Præsentiam credimus*. Opera sunt.

Speculum Iuris in tria volumina distinctum scriptum ann. 1261; quarum prima versa pagina materias tractatas signat. Lugduni 1547. fol. Regali. Basileæ 1574. fol. Francofurti 1592; 1612; & 1668. fol.

Repertorium Iuris decerptum ferè ex speculo. Venetijs 1496. Lugduni 1516; & 1551.

Rationale diuinorum officiorũ in lib. 8. distinctum, terminatum an. 1286; vt ex lib 8. cap. 9. Moguntiæ à Ioanne Fust Ciue Moguntino per Petrum de Gernesehem 1459. fol. Extat hæc editio prima in Bibliotheca Ciuit. Basileæ, vt asserunt Eques Carolus Patinus Parisinus in Relationibus pag. mihi 149; & Abbas Pacichelius in mem. Hist. suorum Itinerũ par. 1. pag. 126; qui tamen errat assignando an. edit. 1450. Viuidum lumen ad elucidandam controuersiam de primatu impressionis. Romæ per Magistrum Georgium Laur de Herbipolis 1477. fol. Venetijs per Petrum de Parenguijs Bergomensem 1509. fol. Cæteras editiones enumerat Caue, istas tamen non vidit. Superiori lumini lumen addere libet. In Bibl. S. Augustini Senarum adest quartus sentent. S. Thomæ Aquin; in cuius fine hæc cernuntur. *Præclarum hoc Opus quarti scripti S. Thomæ de Aquino alma in Vrbe Moguntina inclitæ Nationis Germanicæ, quam Dei clementia tam alti ingenij lumine, donoque gratuitu ceteris terrarum nationibus preferre, illustrareque dignata est, artificiosa quadam adinuentione imprimendi, seu carateriZandi absque vlla calami exaratione, sic effigiatum, & ad Eusebiam Dei industriæ est consumatum per Petrum Schoiffer de GernesZhem Anno* Domini *millesimo quadringentesimo sexagesimo nono tredecima die Iunij fol.*

Commentarius in Canones Cõcilij Lugdunensis. Fani cum ipsius vita 1569. 4. apud Iacobum Mascardum.

Breuiarium Glossarum, & textuum Iuris Canonici. Parisijs 1519. 8. Scripsit etiam in decretales Gregorij 9; Nicolai III; & in Gratiani decretum; sed vbinam asseruetur opus, hucusque latet.

De Reformatione Ecclesiæ. Parisijs 1545. Lugduni 1635. 4.

Non

Non est supranotati, sed ipsius nepotis etiam Mimat. Episcopi; sicut, & sequens de modo Generalis Concilij celebrandi Tractatus in tres partes diuisus Clementis V. Viennæ Concilium celebraturi iussu editus. Lugduni per Ioannem Crispinum 1530. 4; & Venetijs apud Michaelem Tramesinum 1562. 8: licèt sub nomine Durãdi speculatoris editus; quod iam obseruaueram, antequam opus Henrici Vvarthon vidissem, vt quilibet prospicere potest ex editionibus diuersis notatis. Hac occasione etiam Vvarthon carpit Presbyteros sæculares, & Monachos illius temporis. Sed si prospexisset Ecclesiam semper habuisse bonos, & malos, & hac de causa ipsam nec rugam, nec maculam habere posse, pro certò siluisset. Multoque ampliùs pudore afficeretur, si suorum quoque Prædicantium gesta sincero oculo respiceret.

85. GVILLELMVS EGMVNDVS Anglus fama pietatis, & eruditionis non vulgaris celebris. Suo tempore Philosophus acutus, Theologus profundus, ac Concionator feruidus, & ad persuadendum aptus apparuit. S. T. D; ac etiam publicus Professor fuit, & non sine honore, & discipulorum profectu. Demum eius præclaris virtutibus cum moralibus, tum intellectualibus sic exigentibus, ac instante Henrico Belfortio Lincolniensi Episcopo, ordinatus est Episcopus Pittinensis, & eiusdem Henrici suffraganeus effectus. Floruit ex Pamphilo 1373; ex Pitsæo verò 1390. Laudatur à Scriptoribus Ordinis, scilicet à Pamphilo pag. 61; Crusenio par. 3. cap. 19; Herrera de Prælatis pag. 295; Gratiano in Anastasi pag. 85; Elssio pag. 262; Torello To. 6. pag. 302. Scripsit.

Replicationes scholasticas lib. 1.

Sermones ad plebem lib. 1; aliaque plurima.

86. B. GVILLELMVS FLÆTEVS, seu Flete Anglus, pietate, doctrina, & dono prophetiæ illustris. Cùm fama purioris normæ Patrum Ilicetanorum etiam suam Prouinciam Angliæ replesset, eius amore succensus statim Romam pro facultate obtinenda, & demum obtenta, Ilicetum Senensis agri conuolauit. Ibi in morum perfecta integritate, & vitæ innocentia ferè ad vltimum vitæ perseuerauit. Ait Pitsæus: *Dicitur in suis precibus, & contemplationibus miras diuinitùs habuisse reuelationes, præsertim de futuris Anglorum calamitatibus.* Seraphicæ S. Catharinæ Senensis in proprij Confessarij defectu Confessiones aliquando audiuit. Ipsum ab eadem Diua valde existimatũ fuisse, & in Christo spiritualiter dilectũ, ex eius pijs epistolis apertè comprobatur: Quod vt clariùs pateat, eas enu-

enumerabo: Prima extat sub titulo Fr. Guillelmi de Iliceto Fol.90. à tergo, in qua illum rogat, vt ipse, & Frater Antonius, nempe Nicienſis, Frater Felix de Maſſa, & Frater Ioannes Tertius de Senis, ac alij Deum orent, vt pax fiat inter Pontificem, & eos, qui per vim Sacerdotes cogebant ad Sacra celebranda, interdicti censura contempta. Secunda fol. 152. in ea ipsum, & fratrem Antonium ad perfectionem hortatur. Tertia 156. illum in principio vocans charissimum, & dilectissimum Patrem, ac Filium in Christo Iesu, atque certiorem faciens Iudicem Arboreæ, & Genuensem Rempublicam paratos esse ad quandam expeditionem contra infideles, & petit, vt curet epiſtolæ latorem Matthæum Forestanum iuuenem ad Religionem admitti &c; & in fine *Confortate, & benedicite Fr. Antonium in Christo Iesu mille, & mille vicibus*. Quarta Fol. 157; in qua petit, vt ipse, & alij supra nominati pro pace obtinenda orent. Quinta fol. eodem à tergo ad ipsum, & Fratrem Antonium de Nicæa, monens, vt è solitudine egrediantur, & Vrbano VI. ipsos vocanti in Ecclesiæ vtilitatem obsequantur. Sexta, & septima fol. 158; &c. Hunc Guillelmum illum fuisse iudico Augustinensem, qui in vita eiusdem D. Catharinæ cap. 54. apud Abrahamum Bzouium, Nannem Senensem, hominem perditum, vt cum prædicta Sancta Virgine colloqueretur, induxit. Eum fuisse vnum ex testibus à Gregorio Lombardelli adductum in summario disputationis editæ ad ostendendam veritatem sacrorū Stigmatum eiusdem S. Catharinæ, affirmat Lucas Castellini Dominicanus in tractatu de inquisitione miraculorum in sanctorum Martyrum Canonizatione; eumquè B. Guillelmum Anglum Ordinis S. Augustini, & Ilicetanæ Congregationis appellat. Porro non esse nostrum Guillelmum illum, quem inter Sanctos relatum sub nomine Guillelmi Britannici memorat Sabellicus Æneade 7. lib. 9. pag. 136; sed fuisse errorem Typographi, qui reposuit Britannicum pro Aquitanico, bene obseruauit Hærrera. Illum memorant citatus Pitſæus de Script. Anglis ætate 14; D. Bartholomæus Carthusianus in Vita B. Petri Petronij pag. 190; P. Zouius in vita D. Catharinæ Sen. cap. 54; Frisius in Bibl. pag. 302; Posseuinus pag. 611; & supranotati, meique Augustiniani fermè omnes, & præcisè Cardinalis Ægidius Viterbiensis in Paneg. Ilicetano, Stephanus Vgurgerius in Orat. 3. pag. 50; Landuccius in Sylua Italica pag. 103;

& La-

& Latina 95. dicens ad felicem vitam migrasse anno 1380. Torellus tamen To.6.pag.202.non sine fundamento, cùm Ilíceti nec vestigium appareat, vbi fuerit corpus repositum, nec in libris eiusdem Monasterij memoria vlla extet, suspicatur, in Angliam rediјsse Guillelmum; & ego inibi post annum Domini 1383. ad superos transijsse indico, vt non obscurè colligitur ex M.S.Senensi. Scripsit itaque sequentia.

Epistolam vnam ad Ordinis Prouincialem. Incipit. *Obsecro in Christo Iesu, quatenus.*

Ad DD.ProuinciæEpist. 1.*Cum timore, & reuerentia.*

Ad Fratres in communi Epist. 1.*Ait Apostolus, spectaculum.*

Ad alios diuersos Epist. lib. 1.

Prædictiones ad Populum Angliæ lib. 1.

In Archiuo Cœnobij S. Dominici Senarum asseruantur duo opuscula M. S. nostri B. Guillelmi, vt retulit mihi Illustrissimus, ac eruditus Amicus Vbertus Benuoglienti Senensis Patritius, quorum tituli in charactere rubro signati sunt sequentes.

Incipit sermo in reuerentiam B. Katharinæ de Senis, compositus circa annum Domini 1382. per quemdam magnum seruum Dei Anglicum, qui vocatus est Frater Guillelmus de Anglia Ordinis Heremitarum Sancti Augustini, & qui circa Ciuitatem Senarum in quodam Conuentu dicti Ordinis sylua lacus appellati, cum renunciasset Magisterio Theologiæ, & propriæ Patriæ, ac omnibus, heremiticam, & sanctissimam vitam duxit ibidem temporibus supradictæ B. Katharinæ, cuius se indignissimum filium appellabat. Post eam annis pluribus superuixit, ac obijt ætatis annorum septuaginta, vel circa; cùm migrasset præfata Beata Virgo Sanctissima ad Sponsum suum. Infrascriptum Sermonem composuit sub his verbis &c.

Incipit quædam narratio specialis doctrinæ, siue documenti facta anno Domini 1376. die 7. Ianuarij per supradictum Fratrem Guillelmum Anglicum magnæ scientiæ, & sanctitatis virum, quam doctrinam, & documentum ipse tunc habuit à Beata Matre, & Virgine Katharina de Senis oraculo viuæ vocis, & in scriptis reduxit, vt sequitur. Eius initium. *Dixit Sancta Mater narrans de se &c.* Notata Opuscula nostri B. Guillelmi in noua editione, quatuor Tomis distincta, Operum mirabilis doctrinæ, & sapientiæ veræ celestis D. Catharinæ Senensis, quam parant plurimi Nobiles eiusdem inclytæ Ciuitatis ad propriæ Patriæ fulgorem, inter quos præclarissimi, ac pro erudita amicitia merito nominandi Eques Hieronymus Lilius, Doctor Pyrrus Gabrielis, ac supradict. Vbertus Benuoglienti, luci quoque exponentur, ad eiusdem Diuæ gloriam amplian dam.

87. GVILLELMVS FONTANVS, seu Wellis, sic nominatus à Ciuitate natalitia in Somersetensi Comitatu; wels enim Anglicè idem est, ac Latinè fontes. Cùm iam esset Baccalaureus anno 1393; vt ex Ordinis Regestis, ad Magisterium in Cantabrigiensi Vniuersitate suscipiendum licentiatur. Cænobij Linnensis filius fuit, vt ex Lelando refert Pitsæus; & ob disputationes, & conciones, ac etiam opera edita valde commendatus. Anno 1419; vt in citatis Regestis apparet, celebrato Wintoniæ capitulo, ex 75. Patribus vocalibus, 38; quorum quindecim erant S. T. Magistri, Guillelmum wellis, alij triginta septem, quorum nouem etiam erant Doctores Theologi, Magistrum Ioannem Bamburg in Prouincialem elegerunt. Hac de causa orto schismate in dicta Prouincia Capitulum Generale in Astensi Ciuitate congregatum ann. 1419; & demum Prouinciæ Visitatores Magistri Henricus Colchester, & Ioannes Brichebord sententiam pronunciarunt in fauorem Guillelmi, posteà confirmatam à Priore Generali. Anteà noster Wellis Senior (nam etiam in eadem Prouincia alter Guillelmus wellis adfuit in Theologia Magister, ac Prouincialis ab anno 1435. vsque ad 1438.) testante Pitsæo Prouinciam gubernauit per annos propè 20. Linnæ tandem plenus bonis operibus decessit, non 1421. 24. Martij, vt ex supradicto, sed 1423; vt ex Regestis Ordinis. Die etenim 13. Aprilis B. Augustinus Romanus Gen. concedit Prouinciali Guillelmo, quòd relicto Prouincialatu Iubilæum suum celebrare possit. Ideò vel tunc in Italia non erat nota Guillelmi mors, vel diem clausit vt supra notaui. Die enim 30. Octobris 1422. fit mentio Visitatorum, qui Anglicanam Prouinciam gubernabant post obitum Guillelmi wellis. Laudatur ab omnibus Historicis Ordinis, qui post Pamphilum scripsere, inter quos meliùs ab Herrera, etiamque à Pitsæo ætate 19; (Possevinus pag. 622; & 623. diuidit in duos,) Frisio pag. 515; alijsque. Scripsit.

Distinctiones in Psalterium Lib. I. Incipiens. *Per abyssū scriptura designat*.

Comment. in septem Psalmos Pœnitentiales Lib. I.

Postillationes Euangeliorum lib. I.

Declamationes vulgares lib. I.

Actus Cursorios Lib. I.

Aliaque multa.

88. GVILLELMVS GALION Anglus Natione, patria Nortfolcensis, Religione verò Cœnobij Linnensis nobilis Alumnus

nus. Theologiæ cursu confecto, in Oxoniensi Vniuersitate lauream magistralem obtinuit. Suo tempore, celebris admodùm eluxit pietate, prudentia, & doctrina: Quare primò vices Prouincialis gessit 1496. per obitum Magistri Roberti Nauer, vt ex Regestis Ordinis die 19. Augusti, sic mandante Mariano Genezanense Generali; demum electus Prouincialis die 4. Iulij 1498. à Generali confirmatus fuit. Apparet etiam ex Regestis Ordinis, quòd 1503. Magister Guillelmus Galion adhuc in Prouincialatus munere extabat, eratque omnibus Religiosis valde gratus. Ex supradictis igitur cernitur vera opinio Balæi, & Pitsæi, qui asserunt, eum decessisse anno 1507. ætatis annorum 90; non verò Pamphili ipsum obijsse tradentis 1500. Laudatur à supradictis, atque etiam à Posseuino pag. 612; Frisio pag. 303; Marraccio To. 1. pag. 533; atque ab omnibus nostris. Hic vir ingenio præstanti scripsit sequentia.

Lectiones in Theologia lib. 1.
Disputationes varias lib. 1.
Conciones per annum lib. 2; aliaque plurima.
De Festis Beatissimæ Virg. Mariæ lib. 1. ex Marraccio, in quo adest error impressoris scribentis *Monasterij Lirinensis* pro Linnensi

89. GVILLELMVS IONCONIVS, siue de Ioncono Gallus, Monasterij Tolosani illustre germen. Doctorem Theologum, & bis Prouincialem fuisse testatur Nicolaus Beltrandus de Gestis Tolosanorum, in eiusque præconium reponit: *Hic sanctimonia, & doctrina clarus, in agendis circumspectus, in disputando acutus, in prædicando elegantissimus*. Ex Regestis verò Ordinis has notitias habemus: Anselmus de Montefalcone Generalis die 22. Ianuarij 1490. concedit Guillelmo Ioncono de Tolosa posse Magistrari; die 20. Ianuarij 1495. in Prouinciæ Tolosanæ guberniun, & die 16. Ianuarij 1498. in Tolosani Cænobij Priorem confirmauit. Quo anno tamen decesserit, hucusque non apparet. Eum laudant Scriptores Ordinis, post Herreram diligentem, omnes; Pamphilus enim non agnouit. Inter exteros nominantes, vltra dictum Beltrandum, vidi Frisium in Gesneriana pag. 305; Posseuinum in Apparatu sacro To. 1; & Marraccium in Mariana pag. 535. Scripsit.

Super Euangelia totius anni lib. 2.
Sermones de festiuitatibus Sanctorum, etiam de B. Maria Virgine.
Sermones Quadragesimales lib. 1.
Sermones Quinquaginta lib. 1.

90. GVIL-

90. GVILLELMVS SENGHAM Anglus. A pueritia candidus moribus, & ingenio acutus effulsit. Romam cùm perrexisset, inibi facilè Augustinensem habitum induit. Post magnam vnionem anno 1256. confectam à Reuerendissimo Lanfranco Septala nobili Mediolanensi primo Generali, iam Doctor & scientijs illustribus ornatus, in Angliam transmissus fuit ad Ordinem ampliandum, & illustrandum. In Britannico Regno egregiè, quod Generalis optauerat, perfecit: Nam circa 20. Monasteria eius industria fundata fuere, plurimosq; Religiosos perfectè instructos; ac Cœnobia antiqua ad meliorem statum reducta. Reuera Guillelmus extitit Religiosus scientia, pietate, bonis moribus, & sanctimonia præstantissimus, quapropter à pluribus Scriptoribus Beati titulo decoratur. Ex hac vita discessit circa annum Domini 1260. Memoratur non sine debita laude ab omnibus ordinis Historicis, pariterque à Pitsæo Ætate 13. in Scrip. Anglis, Posseuino in Appar. pag. 622. scribente: *Sanctitate, & Scientia præstans laudatur à Thoma Colbio Vaterfordiensi Episcopo*; & à Frisio in Gesn. pag. 316. Disticon sequens in ipsius laudem est celeberrimi Musarum Græcarum, & Latinarum cultoris P. Nicasij Baxij Antuerpiensis Augustiniani pag. mihi 69. edit. Antuerp. Verdussij 1614. 8. Citatur ab Herrera, Elssio, & Gratiano sub nomine incerti Auctoris; quia nesciebant.

Anglia me genuit, formauit Roma, recepit
Anglia, quò caperet, quæ mihi Roma dedit.

De Fide, & Legibus lib. 1.
De tentationum remedijs li. 1.
De professione Nouitiorum lib. 1.
Annotationum Scripturarum lib. 1.
De Claustro animæ lib. 1; aliaque multa. De fide, & Legibus aliqui incongruè tribuũt cuidam Guillelmo de Altapetra olim Parisiensi Episcopo.

91. GVILLELMVS TOLOSANVS. Is dictus Guillelmus de Natholosa, facilè, vt suspicantur Papebrochius, & socij, ab aliqua villa, ex qua originem duxit. Ætatis annorum 19. Ordinem ingressus est, in eodem vitam protraxit vsque ad 72. Obijt 18. Maij die Veneris ante Pentecosten 1369; atque adeò natus est anno 1297; habitum assumpsit 1316. Proinde multò iuniorem esse Magistro Guillelmo de Tolosa, quem Herrera asserit nominatum in capitulo Ariminensi, nempe anno 1318; expresse patet. Saussaius in Martyrologij Gallicani supple-

supplemento sic exprimit. *Tolosæ dispositio S.Guillelmi de Natolosa Confessoris Ordinis S.Augustini, pietate, humilitate, & zelo Dei clari, qui in laudem Christi, sicut optauerat deficiens, in amoris iubilo expirauit.* Vitam ipsius exponunt supracitati in actis SS.To.4.Maij à pag.197. vsque ad 203.ex libro de Gestis Tolosanorum edito 1515.Fol.Auctore Nicolao Beltrando. Nihil tamen aiunt illum scripsisse, nec meum Cornelium Dielman ostendunt obseruasse. Ad eum deuota mulier accedens, oblata pecunia, vt pro defunctis oraret, petijt. Is accepta pecunia, dixit. *Requiescant in pacè.* Admirata mulier; num Pater; ait, plura dicturus es pro defunctis, quàm pauca illa verba? Sperabam te pro eis multas preces effusurum, cui ille: Pauca illa verba prolata, vel scripta in charta præponderant tuæ pecuniæ. Quod cùm mulier credere noluisset, scripta verba illa posuit in lance vna, pecuniam in altera, quo facto, chartula multum præponderauit pecuniæ. Tunc mulier credidit admirata virtutem talium Verborum. Hæc meus Gotscalcus Hollem in Serm. 87. post Pentecosten, ac Elssius ex eo. Nostrum Guillelmum Tolosanum memorant cum laude, vltra iam citatos, omnes Scriptores Ordinis, præcisè Simplicianus Sanmartinus Tolosanus eruditus in Vitis SS. lingua Gallica. Supranominatus Cornelius Dielman Belga in Libro de Spiritibus, eorumque discretione aliqua apposuit etiam sub nomine Ven.Guillelmi de Tolosa, & in Dissertatione ex pluribus Magistris Guillelmis de Tolosa, quos nominat, videtur inclinare in B.Guillelmum, nempe auctorem fuisse Tremendæ visionis de pœnis Inferni. Inter alia hæc excerpsi ex capitulo vltimo. *Repetite, inquam, repetite tormenta illa Inferorum, & credite firmiter minimum cuiuslibet cruciatuum esse tantum, & inenarrabilem, vt nulla huius Mundi supplicia eidem conferri possint.* Et infra. *Si mortalium quispiam Inferni supplicia ipsa experientia didicisset, mallet potiùs præfatos omnes cruciatus (de tormentis Martyrum insignium loquitur) simul sustinere vsque ad mundi consumationem, quàm vna die minima Inferni, siue Purgatorij pęna torqueri; nam comparatione illarum cuncta, quæ nos dicimus tormenta, solatia sunt.* Titulus itaque supradicti Opusculi est: *Tremenda visio de Pœnis Inferni B. Guillelmi Tolosani Ordinis Erem. S. Augustini S. T. Doctoris, correcta, & illustrata, editaque opera, & studio R.P. Cornelij Dielman eiusdem Ordinis Iubilarij Gandensis.* Antuerpiæ apud Viduam Ioannis Cnobbari 1652. 8.

92. HENRICVS BVDERICVS, siue de Buri Anglus; Buri enim est Oppidum Suffolcensis Regionis. In Monasterio Clarensi sub vexillo Magni Patris Augustini militare cæpit, in eoque statim litteris, & moribus illustratus clatuit. Ab ineunte ætate tanto amore studendi accensus euasit, vt non solum Britanicas Scholas, sed etiā externas Academias frequentauerit; tandem Lutetiæ Parisiorum Doctoratus insignia suscepit. Demum in Angliam reuersus plurimis eruditis concionibus ad Populum habitis, nec non morum honestate, vitæ integritate, ac in rebus agendis mira prudentia ostensa, magnum sibi nomen acquisiuit. Hac de causa à suis valde existimatus in Prouincialem electus fuit, gubernauitque cum vtilitate, & fructu. Floruit ex Pitsæo 1371; Pamphilo 1373; Balæo 1380; & Guillelmo Eisengrenio 1399. Laudatur à supradictis, atque à nostris post Pamphilum, nominatur etiam à Posseuino in App; Marraccio Par. 1.pag.551; & Frisio pag. 326. Ad posterorum memoriam reliquit.

Super magistrū Sententiarum, lib. 4.
Quæstiones Theologicas lib. 1.
Sermones de Beata Virgine, lib. 1.
Sermones per annum lib. 1.

93. HENRICVS DE GAVDA, vel Gaudanus, Batauus non Theutonicus, vt Pamphilus, & Frisius scribunt. Hic floruit anno 1440; eratque Theologus profundus, in Scripturis sacris egregiè eruditus, & Scholasticarum quæstionum acutissimus disputator, ac in Academia Haidelbergensi facilè Princeps, vt Trithemius testatur. Eum integræ, & religiosæ vitæ commendabilem fuisse asserunt sequentes, nempe Posseuinus in 2. To. Appar; Valerius Andreas in Bibl. Belgica pag. 351; Franciscus Suuettius in Athenis Belgicis pag. 328; Frisius pag. 328; ac ferè omnes nostri. Scripsit.

Super primum Sententiarum. Incipit. *Fons Ortorum puteus*.
De celebratione Missarum li. 1.
Quæstiones disputatas lib. 1.
Orationes varias, lib. 1.

94. HENRICVS DE LANGESTAIN, dictus de Hassia. Quia ferè omnes Scriptores, quos hucusque vidi, confuderunt hunc virum præclarissimum cum Henrico de Hassia Carthusiano iuniore, ac quædam Opera, & qualitates, nostri Langestain tributa fuere eidem iuniori: Ideo primum reponam quæ

quę de ipsô bene scripsit Canonicus Schonleben, deinde Augustinianum extitisse palam aperiam, postmodum aliquod insigne in laudem, & opera ab ipso composita exponam. *Venerandus, eximius, Reuerendissimusque Magister Henricus de Langestain, dictus de Hassia, S. Paginæ Doctor Parisiensis. Hoc illum titulo donauit veneranda antiquitas: nos pauca adijcimus. Anno reparatæ salutis 1365; qui fuit restaurati Archigymnasij primus, in eodem primus Philosophiæ Professor; anno deinde 1384. primus Collegij Archiducalis Regens; & anno sequenti 1385. primus Academicus Theologiæ professor; anno verò 1392. Rector magnificus: Anno denique 1397; idest ætatis 72. die 11. Februarij piè defunctus, & in Basilica D. Stephani ad Altare S. Ioannis Euangelistæ sepultus: Immaculatæ Conceptionis Marianæ iuratus Propugnator. Virum hunc Hassia genuit, Gallia educauit, Austria fouit; Cælum, vt spes est, recepit inter indigetes. Sanè Ferdinandus de Salazar cap. 22. de Concep. vocat nobilem Sanctitate, & antiquitate Doctorem: Trithemius verò virum in Diuinis Scripturis eruditum, & in sæculari Philosophia nobiliter doctum, ingenio præstantem, abundantem, & diffusum ad omnia resolutum, & in dicendo, scribendoque copiosum; adeo vt apud eum maioris difficultatis fuerit sponte memoratu digna occurrentia repellere, quàm noua, quæ dicerentur inuenire. Eius Doctrinam, vt ait Sebastianus Titio:* Non solùm Ioannes Picus Mirandulanus, & Ioannes Eckius, sed cæteri quoque doctissimi suspiciunt. *Parisijs, vbi inter celebriores eius æui Doctores numerabatur, solemni iuramento propugnandæ Immaculatæ Conceptionis obligatus, ad instaurationem Viennensis Archygimnasij, trium Archiducum Fratrum Alberti III. Rudulphi IV; Leopoldi II; hortatu in Austriam venit, ibique iam pene expirantem antiquissimam Germaniæ Vniuersitatem redanimauit. Religiosum fuisse Ordinis Eremiuarum S. Augustini scripsit Posseuinus, & priùs Canonicum Vvormatiensem: Hoc verum esse potest, illud innititur errori Iosephi Pamphili, qui primus Henricum de Hassia Augustinianum nominauit, quia Commentarij eius in Lib. Sententiarum Mediolani seruantur apud P.P. Augustinianos. Spondanus etiam ad annum 1350 Carthusianum vocauit, secutus alios errantes, quos citat. Clericum sæcularem fuisse, certum est ex eiusmet epistola, cuius hoc est principium:* Reuerendo, ac genere præclaro Domino Ioanni de Erbestein Camerario Moguntino, suus vtique Clericus humilis Henricus Langestain dictus de Hassia, post mundana Cœlestia, post

gestain cum Henrico de Hassia Carthusiano, qui fuerunt duo, loco, & tempore differentes, vt ex supranotatis, ac etiam, apertè patet ex Trithemio, nostro Bergomensi, Gesnero, ac Posseuino; nam secundus ab istis floruisse afferitur 1428. Quòd verò supradicti tres non nominent Augustinianum Langenstain, hoc non officit; quia etiam plures aliæ res consimiles ipsis incognitæ fuere. Vlteriùs est clarum Philosophicum adagium, *quod ex puris negatiuis nihil sequitur*. Gesnerus quoque, & Frisius non afferunt Canonicum Vvormatiensem, & tamen quia hoc Ioanni Schonleben arrisit, vtpotè, & ipsi Canonico, ideo facilè admisit. Licèt verò meus Pamphilus appellasset Augustinensem, quia hoc innuunt Libri M. S. super quatuor Sent. Mediolani asseruati, non esset debile fundamentum, vt potè innixum antiquo Manuscripto, similibus in casibus satis stabile: Multo magis quia non est solus Liber talis tenoris; Nã alter pariter extabat in nostra Ratisponensi, nempe *Sermones de B. Virgine*, vt testatur meus Felix Milensius in Germanico, Alphabeto, vbi de Henrico Langestain loquitur. Augustinianum agnouere, vltra citatum Pamphilum, qui hoc facilè obseruauit in Chronicis Ordinis Panuinij, Milensius iam nominatus, Herrera diligentissimus in Alphabeto L. H. incongruè tamen diuidens Henricum de Hassia, & Henricum Langestain, Augustinianos, Philippus Elssius in Encomiastico, Torellus in sæculis ad annum 1408. n. 19; & egregiè Cornelius Dielman in principio Operis infra notandi. Inter extraneos verò apparent Theodorus Petreius in Bibl. Carthusiana edita anno 1609; scribens. *Fuit, & tertius Henricus de Hassia, Ord. D. Augustini, qui de Ecclesiæ clauibus, ac Indulgentijs nonnulla est commentatus*; citatus Posseuinus in Appar; Marraccius in prima par. Bibl. Marianæ L. H; Ludouicus Iacob. à S. Carolo Carmelita, qui vt diligens laudatur à critico Labbeo, in Lib. 2. Bibl. Pontificiæ pag. 335. sic. *Henricus Langestain, vulgo de Hassia Germanus Augustinianus, Doctor Parisiensis scripsit. De schismate Innocentij VII. legitimi Pontificis, Clementis VIII; & Benedicti XIII. Pseudopontificum lib. 1. Vixit anno Domini* 1400. *sub Bonifacio IX. Summo Pontifice*. Georgius Draudius in Bibl. Classica impressa Francofurti ad Menum impen. Oxtern. 1625. 4. To. 1. lib. Theologicis pag. 80. de his, qui super Cantica scripserunt: *Henricus Langestain dictus de Hassia, Ord. Augustiniani*, & pag. 191. de his, qui super Genesim, postquam nominauit Hen-

uit Henricum de Hassia iuniorem Carthusianum, scribit: *Henrici de Langestein, aliàs de Hassia Senioris Augustiniani Ordinis Lib.3. vsque ad caput 4.* Angelus item Roccha meus, Sacrista Pontificius, ac Encyclopædicus si mortalium quisquam, vt etiam suo loco ostendam contra Hermannum Conringium, in Bibl. Theologica de his, qui super quatuor sententiarum scripserunt, eum Augustinianum nominat, distinguitque duos Henricos, Hassianum Seniorem Aug; & iuniorem Carthusianum, ac eruditus Ardinghellius Dominicanus in Appendice congeminatæ vocis Turturis scribit pag. 33. *Huius Iordani de Saxonia coæui illi Patres Clarissimi Henricus de Langestein, siue de Hassia, & Bertholdus Ratisponensis primi Vniuersitatis Viennensis professores.* Si aliquis tamen diceret, hos secutos fuisse Pamphilum: Proferam, quædam peculiaria, diuersa quidem, videntur diuersimodè innuere: Sed si sophisticè agere volumus, pauca etiam à Schonleben, & ab alijs asserta, firma, & stabilia inuenientur. En præclarum encomium nostri Langestein, excerptum è secundo Libro Proemij Mathematici Petri Rami Parisijs 1567. edito in 8. *Henricus Hassianus centesimo abhinc octogesimo ferè anno primus Mathematicas artes Lutetia Viennam transtulit: Vnde breui tempore per vniuersam Germaniam proseminata mathematicarum tanquam familiæ, indeque mirabiles tres artes sunt inuentæ. Primò Bombardica, seu tormentorum bellicorum machina. Secundò ex eodem genere, mathematico beneficio prodijt Typographia: Postremò nautica, atque ita omnis vniuersi Orbis nauigatio, excitatis iam per vniuersam Italiam mathematis, &c. qua mathematicis auspicijs renouata à Christophoro Columbo anno 1493. Ab Americo Vespuccio 1501. Antipodas terrarumque, atque Oceani tractus aperuit.* Opera ab ipso exarata sunt infra notata.

In ipsius Langestain quoque præconium cecinerunt duo celeberrimi Vates Augustiniani tria sequentia Disticha, duo prima sunt P. Ignatij Dicherij pag. 148; & tertium P. Nicasij Baxij pag. 71.

Ad Henricum Langestain Augustinianum quinque
prima capita Libri Geneseos quinque copiosis
voluminibus eruditè explicantem.

Sub manibus fæcunda tuis si ita scriptio crescit,
E Genesi enasci ne dubita Genesim.

Aliud

Aliud.

Qui Genesi è prima tot culta volumina gignit,
Esse sacrum nullo Codice monstrat anum.

Henrico Langestein S.C.

Tolle manum tabula, quid docta volumina limas?
Omnis Aristarchus iam tibi mutus erit.

Henricus de Hassia Plantator Gymnasij Viennensis in Austria contra disceptationes, & contrarias prædicationes Fratrum mendicantium super Conceptione Beatissimæ Mariæ Virginis Mediolani 1480. Fol. Argentinæ curante Sebastiano Titio 1516. 4. *Habes in hoc opere, clarissime Lector, inter cætera multa scitu dignissima. Beatissimam Virginem Mariam absque Originali esse conceptam. Diuersas veritates diuersis temporibus esse à Deo reuelatas. In Cōcionibus non esse disceptandum, non invehendum, non detrahendum, neque se fastu ostentandum. Non esse habendum affectum ad vnum Doctorē, vt alij contemnantur. Beatam Virginem Mariam corpore, & Anima fuisse speciosissimam. Vniuersales Diuinæ Scripturæ Locutiones, vt est illa: omnis homo mendax. Omnes nascimur filij iræ: non semper esse vniuersaliter intelligendas &c.*

Speculum Animæ, seu soliloquium Henrici de Hassia Langestain &c. edidit Iacobus Vuimphilingius. Argentinæ à Ioanne Kaublancho 1508. 4. In Bibl. Ciuitatis Perusinæ.

De spiritibus, eorumque discretione libri duo, posterior est Henrici ab Hassia, dicti de Langestain, Ord. Erem S. Augustini S. T. Doctoris. Opera, ac studio R. P. Cornelij Dielman addita vita ipsius in principio. Antuerpiæ apud Viduam Cnobbari 1652. 8.

Super Orationem Dominicam, & super Salutationem Angelicā, edita sunt sæculo impressionis, vt testatur Reiserus in Indice Bibl. Augustanę pag. 99.

Henrici de Langestain de Hassia Germani Theologi illo tempore, & Vice-Cancellarij Academiæ Parisiensis. (Qui facta Cōstantiensis Concilij vidit, & superauit.) Consilium Pacis de Vnione, & Reformatione Ecclesiæ in Concilio Vniuersali quærenda. Scriptum Parisijs 1381. in principio motuum tandem in Cōcilio Cōstātiensi compositorum. Opus est impr. To. 2. Par. 1. Historiæ Concilij Constantiensis à pag. 3. vsque ad 60. inclusiuè. Verba verò in parenthesi apposita ex supranarratis in Vita Henrici apparent non vera. Helmestadij Typis Salomonis Schnorij 1697. fol.

Theoricæ Planetarum, & alia Astronomica edita in Germania, vt ex Gesneri Bibl. pag. 311.

Regulæ ad discernendum peccatum mortale à veniali excussæ cum D. Antonini Opere de eruditione Confessorum. Memmingæ 1483; vt patet ex Gesnero loco supracitato, potiùs nostro, quàm Carthusiano tribuendæ videntur.

Tractatus de Confessione, Tractatus de Nobilitate animæ, Epistola inuectiua contra Æmulos Cleri. In Augustana.

De

De Animæ conditionibus soliloquium impr. Basileæ per Henricum Petri cum alijs Scriptor. antiquis pag. 1321, an. 1555. fol.

Sacerdotum Secreta circa Missam correc. per M. Michaelem Lochemaijer. Lipsiæ Melch. Lotterij 1498. 4.

De eruditione Sacerdotum: Directorium pro audienda peccatorum confessione. Sunt in Augustana, vt ex citato Reisero.

Super quatuor libros sententiarum. In nostra Marciana ex Pamphilo.

De Ecclesiæ clauibus, & Indulgentijs, ac de schismate Innocentij VII. iam supranominata.

In Genesim, & prologū lib. 5. Incipiunt. *In principio creauit.*

De Anti-Christo, & Schismate lib. 1. incipit *Reuerendo in Christo.*

De Anima Contemplatiua lib. 1. incipit. *De Contemplatione.*

De horis Canonicis lib. 1. *Septies in die...*

Contra Astrologos lib. 1. *Multi Principes, & Magnates.*

Super Symbolum Apostolorū lib. 1. *Credo in Deum.*

De contemptu Mundi lib. 1. *Reuerendo D. Ioanni.*

Ad Canonicos Regulares lib. 1. *Ecce nos reliquimus omnia.*

Epistolarum ad diuersos lib. 1. *Henricus Langestein dictus.*

Contra Fratrem Telesphorum lib. 1. De proprietate Monachorum lib. 1. In Cantica Canticorū lib. 1. Sermones de tempore lib. 1. Quæstiones variæ, aliaque multa, in Bibliotheca Collegij Ducalis, vt Gesnerus in Bibliotheca pag. supracitata, & Scholeben affirmant.

Notabile est; quod in fauorem Religionum Mendicantium signauit meus Ioannes Paltz in supplem. Cælifodinæ cap. De argumentatione octaua: *Dominus Episcopus Magdeburgensis Comes de Bichlingen dixit. Hoc est signum verissimum alicuius boni Operis, quod à Deo sit, si habeat resistentiā; Ideo conclusit inclytus Doctor Henricus de Hassia in Lectura sua super Genesim. Sicut nec Christi fidem, nec Petri nauiculam, ita nec Religiones istas delere potuit Dæmon, nec delebit Deo propitio imposterum*

95. B. HENRICVS DE VRIMARIA Germanus. Vrimaria, seu meliùs Vueimaria Vrbs Thuringiæ in Electoratu Saxoniæ, extitit patria præclarissimi nostri Henrici. Is in scripturis sacris à pueritia studiosissimus, multùm eruditus, in Aristotelica Philosophia nulli suo tempore secundus, ac Doctor egregius effulsit. Anno 1290; vt ipse testatur, interfuit capitulo Generali Ratisponæ. Denuo 1300. Neapolitano, ac 1318. in Ariminensi deputatus totius Germaniæ studentium Ordinis promouendorum examinator. In Vniuersitate Parisiensi multis annis studendo, docendoque permansit, & ibidem lauream Theologalem accepit. Euasisse etiam Henricum studij Conuentus Pragensis Regentem, & Saxoniæ suæ Prouinciæ Rectorem, ex libris antiquis eiusdem Cęnobij Pragensis desum-

desumpsit Felix Milensius. In præstantioribus Germaniæ Vrbibus legendo,& feruidè concionando magnū sibi nomen acquisiuit. Magis vero eluxit in vitæ sanctitate;quare sæpiùs B.Iordanus Saxo in Vitis Fratrum eius profundam humilitatem, ardentem charitatem erga infirmos,in ęgritudinibus patientiam, & hilaritatem, in sacris mysterijs celebrandis deuotionem, & in oratione, contemplationeque assiduitatem condignè extollit. Aliquà præcipua ad eius nominis famam illustrandam ex eodem Iordano subsignabo: *Celebrans Missam, dum Canonis sacra mysteria perageret: quasi totus ex deuotione raptus ardebat ita, vt sæpè facies eius velut Seraphico rubore perfusa videretur; & ex deuotionis dulcedine genæ eius vbertim lacrymarum imbribus rigarentur &c. Quadam die declinans ad Monasterium de Grauerunde in Diacesi Cabinensi dum missam, super altare B.Catharinæ Virginis, & Martyris, in quo reliquiæ* (nempe officulum eiusdem Diuæ, quod aliquando miraculosè solitum erat stilare modò lac, modò oleum, aut alium liquorem, sed iam per aliquot annos dona tam mirifica non profluebant) *recondenbantur, celebraret; sicut totus deuotus S.Catharinæ, constitutus in canone in deuotione sua maiori, ecce illud Sacrum officulum visibiliter stillare cępit, & liquores mirificos largifluè propinauit. In quò miraculo B.Virgo Catharina hunc esse suum deuotum, & acceptissimum Capellanum dignata fuit euidenter demonstrare.* Ipsum Henricum deuotissimum fuisse D.Catharinæ Martyris ostendit Liber sermonum eiusdem, nam de alijs Sanctis, duos,aut tres Sermones tantùm confecit,de eadē Sancta verò decē inseruit.Defunctorū quoque Animarum amantissimus fuit,qua de causa quotidie vna vice, & sæpius secunda, & tertia integrum eius officium recitabat. Verùs S.Iob patientiæ imitàtor triennio sustinuit fortiter renum dolores vesicæ, & calculi, semper ad culpas suas referens cruciatus, pro quibus expiari sperabat. Bimense antequam decederet, incidit in linguæ paralysim, quam balbutiendo sufferre se aiebat, si aliquando in concionando ob laudes eloquentiæ aliqualiter elatus fuisset, ideoque gratias ex corde Deo agebat. Fermè octogenarius, iam mortem proximam sentiens, accepta à Prouinciali plenaria absolutione, & Sacramentis munitus, recuperato clarè loquendi officio, voce sonora, & deuota protulit: *In manus tuas, Deus Pater, commendo spiritum meum; in manus tuas, Deus Fili, commendo spiritum meum; in manus tuas, Deus Spiritus Sancte, commendo spiritum*

meum

meum. His dictis, & quodam Hymno inchoato, spiritum emisit. Licèt Corpus extenuatum à longa infirmitate, & senectute, tamen vultus colore roseo illustratus, & sanctitatem spirans apparuit. Quædam Religiosa Ordinis graui dolore capitis, & vertigine sauciata, solo tactu corporis illico sanata fuit. Anno 1334. Tractatum de origine Ordinis edidit: Quare suspicantur Scriptores circa annum 1340. eum decessisse. Studijs summè addictus erat, vnde cùm esset vltra septuagenarius, ac semper exercitijs scholasticis insisteret, cuidam familiari ei dicenti. Tu Pater ita in Germania studes, ac si nunquam Parisijs studuisses: Statim respondit. *Ego si vnum pedem habere in sepulchro, adhuc addiscere vellem*. Etiam proferre solebat. *Inter orandum Deo se loqui, inter studendum, Deum sibi*. Fere omnia essentialia supranarrata excerpsi ex meo B. Iordano de Saxonia contemporaneo, vt incredulus Henricus Warthon agnoscat, an Posseuinus, & Pamphilus de B. Henrico loquentes aliqua effingant. Eum omnes nostri Scriptores egregiè laudant, ac titulo Beati honorant, inter quos principales sunt Ven. Alphonsus ab Orosco in Chronicis Ordinis, Cardinalis Seripandus in Comm; & Torellus in v. To. sæculorum ad annum 1340. Externi Scriptores memorantes sunt Trithemius de scrip. Ecclesiasticis, Posseuinus To. 2. Appar; Sixtus Senensis lib. 4. Bibl. Sanctæ pag. 244; Gesnerus pag. 312; Frisius pag. 327; & 334; Maraccius in Mariana pag. 567; & plures alij. Petrus denique de Alua Minorita, in Bibliotheca conceptionis scribit: *Henricus de Vrimaria Ordinis S. Augustini, ad quæstionem Magistri Sententiarum de carne, quam Verbum assumpsit, qualis autem fuerit, & qualis assumpta fuit, fecit additiones, quarum secunda est pro Immaculata Virginis Mariæ Conceptione defensa, impressa anno 1516. Basileæ in fol. De hoc Auctore alibi loquor latè, nam nostram sententiam apertè tuetur in Ser. 1. de Natiuitate Virginis Mariæ licèt in ser. de Conceptione aliter videatur sentire &c.* Opera ad sui nominis memoriam relicta sunt.

Opus sermonum exactissimorũ de Sanctis per lexcellentem, & verè Seraphicum Doctorem Sac. Theologiæ professorem Henricũ de Vrimaria Augustinianum. Hagenoæ 1513. per Henricum Gram in 4. Parisijs apud Iacobum Badium 1514. 8.

De quadruplici instinctu Diuino, Angelico, Diabolico, & Humano. Venetijs per Iacobum Pentium de Leuco 1498. 8. In ipso

Henri-

Henricus malè vocatur Ord. Prædicatorum. Denuò Parisijs cum primo opere sermonum 1514. 8.

Additiones ad Libros sententiarum vna cum Comm. B. Ægidij Romani. Coloniæ 1513. fol. Basileæ fol. 1497. ex Officina Nicolai Kesler.

De spiritibus, eorumque discretione. Liber primus est nostri Henrici de Vrimaria cum ipsius vita in principio, opera P. Cornelij Dielman Augustiniani. Antuerpiæ apud Cnobbarum 1652. 8.

Expositio Præceptorum Decalogi, quæ, vt Miræus asserit, edita est Lugduni, & Parisijs sub nomine Nicolai Lyrani, nostro Henrico à nonnullis adiudicatur.

Tractatus pro B. Mariæ Virg. Conceptione vna cum alijs 19. aliorum Auctorum collecti, & editi à Petro de Alua prodijt Louanij 1664. 4.

Tractatus de origine Fratrum Eremitarum editus est Venetijs 1514; vt testatur Emanuel Leal noster in opere citato in Andrea Bilio.

De perfectione spirituali interioris hominis M. S. in nostra Marciana Mediolani.

Confessionale M. Henrici de Vrimaria scriptum 1460. 4. in nostra Patauina ex Thomasino.

Tractatus de Virtutibus moralibus eiusdem fol. memb. in supradicta, ac etiam in Carbonaria.

In vtrumque Testamentum lib. 1; vt testatur Fabianus Iustinianus in Indice Scrip. super Sacram Script.

In Cantica Canticorum lib. 1.

In Libros Ethycorum Aristotelis copiosissima Commētaria, Annibaldo Canonico Attrebatensi dicata. Bononiæ in nostra S. Iacobi.

De quatuor sensibus S. Scripturæ lib. 1.

De expositione Decretali, cum Marthæ de celeb. Missarum lib. 1.

Quodlibeta duo Parisijs disputata.

De Incarnatione Verbi lib. 1.

Manuale Sacerdotum lib. 1.

De vitijs capitalibus lib. 1.

Tractatus de nocturnis illusionibus lib. 1.

Tractatus de mortificatione propriæ voluntatis lib. 1.

Sermones de Tempore, aliaque.

In quatuor Libros sent. lib. 4.

Flores de collatione Sanctorum PP. lib. 24. *Quia multa prædicabilia.*

Super Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam.

De Passione Domini simul cum Sermonario de Sanctis.

96. HERMANNVS DE HALLIS. Natus est parentibus pijs, & nobilibus in Halla Saxoniæ Ciuitate, ideoque de Hallis dictus. A puero perfectè educatus, cùm sæpius preces effundens Beatam Virginem Mariam exoraret, vt quid sibi gratum foret, reuelaret, audiuit è Cœlo vocem, nihil acceptius, quàm castitatem vouere: quare statim Ordinem nostrum ingressus votum compleuit. In Religione corpus ieiunijs, cilicio, & disci-

& disciplinis domabat, ac spiritum asiduis orationibus reficiebat. Scientiam oratione magis, quàm studio acquisiuit. Quod etiam patet ex quadam visione ab ipso habita, quam secretè narrauit B. Iordano Saxoni tunc discipulo suo pro eiusdem ædificatione. Eam idem Iordanus Lib. 2. cap. 23. sic describit. *Quadam nocte cùm adhuc iuuenis esset, eo, sicut totus deuotus erat, in oratione posito, somno arreptus vidit B. Virginem cum multitudine Virginum ad Ecclesiam properantium, habebat autem B. Virgo in manu sua calicem, de quo omnibus Virginibus bibere dedit, quod cùm iste gaudens, & stupens aspiceret, & in corde suo valde desideraret, vt ipse de eodem calice bibere mereretur: vocatus ergo accessit, & de ipso calice bibit, & videbatur sibi, vt si esset aqua pura: & statim euigilans intra se cogitare cæpit, quid aquæ significatio importaret*; & occurrit sibi, quia scriptum est: *Aqua sapientiæ salutaris potauit eos*: In concionando tali facundia, & doctrina ornatus apparuit, vt passim ab auditoribus *Fons inexhaustus, nihilque doctius, ac facundius dici posse proclamaretur*. Semper de Deo, & cum Deo colloquebatur. Mirabilia patrauit solo signo Crucis prorsus ingentia. Cùm ferè per annum amaram ægritudinem inuicta patientia tolerasset, die ultima, antequam de hoc mundo exiret, horas Canonicas, sicuti semper solitus erat, recitauit vsque ad nonam. Cùm verò tempus nonæ aduenisset summa deuotione perceptis Ecclesiæ Sacramentis, iussit afferri librum pro commendatione animæ, & quia erat in Ciuitate ad alium infirmũ, dixit: *expectabimus eũ*. Demũ eo relato, & lecta commendatione, petijt, vt legeretur Passio Iesu Christi secundùm Matthæum, & illa finita alia secundùm Marcum. Cùm autem peruenisset Lector ad illa verba: *Iesus autem emissa voce magna expirauit*. Ipse quoque animam suam Saluatori reddidit anno 1334. die 31. Martij. Hæc ferme omnia ex B. Iordano de Saxonia eius discipulo, qui ei in infirmitate vltima inseruiebat; ac à Cornelio Dielman in norma vitæ Monasticæ, Bergomensi Lib. 13. supplem; Gratiano in Anastasi, Herrera L. A. de viris sanctit. illust; Crusenio par. 3. cap. 13; Philippo Elssio in Encomiastico, Torelloque in sæculis To. v. Cùm esset valde doctus, tamen aliud scriptum non reliquit, nisi *Pias quasdam Meditationes de Domini nostri Iesu Christi Passione*.

97. B. HER.

97. B. HERMANNVS DE SCHILDICZ, siue de Scildis Germanus, vir ingenio præstanti, diuinarum rerum studiosissimus, in sacra Scriptura optimè versatus, nec non ferè in omni Sciētiarum genere celebris. *Is fuit*, vt B. Iordanus protulit, *multæ scientiæ, & bonæ vitæ, magnique zeli ad ordinem pro disciplina, & iustitia*. Eum Card. Seripandus, Venerabilis Oroscus, Pamphilus, & alij titulo Beati decorant. Coriolanus in Chronica venerabilem, ac deuotissimum Patrem, sanctimonia, & scientia clarum vocat, & in Beatorum Catalogo vigesimo loco recenset. Herbipoli in Franconia ad cęlestem patriam iuit anno 1357. 8. Iulij. Milensius, qui refert eius sequens Epithaphium insculptum lapidi nostro in Cœnobio infert: *Tam exquisitæ erat probitatis Hermannus, vt parum esset, si Sanctus, nisi in omnibus Sanctus diceretur. Venerandus Fr. Hermannus de Schuldicz Westfalus, professor Theologiæ Ordinis Eremitarum S. P. N. Augustini vniuersalis in omnibus sanctus, expirauit anno 1357. in festo S. Kiliani*. Vltra nostros, memorant quoque Sixtus Senen. Lib. 4. Bibl. sanctæ pag. 244; Marraccius To. 1. Bibl. Marianæ pag. 522; Trithemius de Scriptoribus Eccl; Posseuinus in Apparatu, Gesnerus pag. 315; Frisius pag. 339; ac meus Gotscalcus Hollen Ser. 10. de Concep. En verò clariùs de eo, quod reposuit Schiphovverus in Chron. Oldēburgen. pag. 158; & 59. *Quartus fuit egregius S. Theologiæ Doctor Magister Hermannus de Schildis de Conuentu nostro Ossemburgensi. Pro quo concludo: primum Theologum Westphalicum habuit Ossemburgensium Conuentus Ord. Fratrum Erem. Probo, quia ille fuit prænominatus R. Magist. Hermannus huius Conuentus alumnus; patet hoc per eumdem Magistrum Reuerendum in Sermone facto coram Clero Ossemburgensi, qui incipit:* Principium in Oseæ, *vbi postquam pro gloria Ecclesiæ Ossemburgensis introduxit, quomodo ibidem per Karolum Magnum utriusque Linguæ, Græcæ scilicet, & Latinæ, Studium fuit institutum, consequenter infert nihilominus totius Saxoniæ, excepto Ven. Hugone de S. Victore, qui si Saxo fuerit, quod ibidem non declarat, tamen totius Westphaliæ se primum insignitū S. Paginæ Doctorem pronunciat. Secundò propter hoc ijdem nostro ex Martyrologio, vbi dum mentio de prædicto Magistro fit, sic scribitur: quem noster Conuentus in Christo genuit. Tertiò magna occasio, vel indicium veritatis pro nostra assertione ex donatione librorum suorum valore 200. florenorum. Idem R. P; & doctus vir ad multorum eruditionem hæc, quæ subiecta sunt, edidit Opera:*

Super primum Sententiarum Commentum dignißimum. De materia Canticorum volumen vnum. Super Cantica Canticorum magistralē expositionē. Exposit. duplicē Dominicæ Orationis. Ex*positionem doctißimam super Aue Maria. Breuiloquium de expositione Missæ. Manuale Sacerdotum perpolitum. De quatuor Sensibus Sacræ Scripturæ compendium. Hexameron duplex. De vitijs capitalibus Lib. 1. Claustrum Animæ Lib. 1. De Conceptione immaculata Virginis tractatum pulcherrimum contra S; & amaram opinionem I. De modo studendi Lib. 1. Introductorium Iuris. Collationes prædicabiles per anni circulum. Super Libros Rhetoricorum commentum diuinißimum. De quinque sensibus Tractatum vnum. De vera, & falsa amicitia Lib. 1. De compensatione orationum Dominicarum cum orationibus Canonic. Lib. 1. Super Decretalem* Omnis vtriusque sexus. *Super Genesim Postillam. Contra errores flagellatorum Tractatum. Contra Magistrum Conradum de comparatione Missæ tractatum. Sermones prætereà multos ad populum edidit: Sed & multæ extant quæstiones. De mansionibus lib. 1. Scripsit insuper super* X. *Præcepta. Gaude Offemburgica tali, ac tanto viro decorata. Gaude Conuentus Eremitarum, à quo lumen tam præclarum primùm scintillauit &c.* Ideo apposui supradictum Indicem Operum Hermanni, quia ex forma narrādi patet tempore Schiphovverj eadem facilè in nostra Bibl. Osnabrugensi extasse. Vt alij demum asserunt, Scripsit.

Super primum Sen. lib. 1.
Lecturam in Genesim lib. 1.
Hexameron duplex lib. 1.
In Cantica Canticorum lib. 1.
Collationes per circulum anni de materia Canticorum lib. 1.
Super orationem Dominicam dupliciter lib. 2.
Super Aue Maria lib. 1.
De quatuor sensibus S. Script. lib. 1.
Breuiloquium lib. 1.
Expositionis Missæ lib. 1.
Manuale Sacerdotum lib. 1.
De vitijs capitalibus lib. 1.
De Conceptione S. Mariæ l. 1.
De decem Præceptis lib. 1.
Tractatum de compensatione pæcarum cū horis Canonicis l. 1.
Tractatum contra Magistrum Conradum de Comparatione Missæ.
Tractatum de ordine studendi pro Iuuenibus.
Introductorium Iuris lib. 1.
De vera, & falsa amicitia li. 1.
Opus quadragesimale de 42. mansionibus lib. 1.
De quinque sensibus lib. 1.
Collationes prædicabiles li. 1.
Tractatum contra errorem flagellantium.
Tractatum metricum de diuisione Philosophiæ.
Lecturam super Decretalem *omnis vtriusque sexus.*
Sermones multos ad Clerum.
Sermones multos ad Populum,

& ad

& ad personas subtiles. | Quæstiones sine numero, aliaquè incompleta.
In Ethycam Aristotelis lib. 10.
In tres Libros Rhetoricorum.

98. HERMOLAVS BARBARVS Patritius Venetus. Mundi lucem aspexit Orbem clarificaturus 1454.21.Maij ex Zacharia Equite, & Procuratore S. Marci. 'A pueritia bonis litteris, & puris moribus incumbens, cùm esset maximo ingenio, acri iudicio, & indefesso labore ornatus, breui tam doctus euasit, vt inter litteratos prima subsellia occuparet: nam nulla liberalis disciplina ferè inueniebatur, quæ in Hermolao nostro non resideret. Eluxit etenim acutus Philosophus, Rhetor, Poeta, Astronomus, & Geometra celeberrimus, Græci, & Latini sermonis peritissimus, in diuinis Scripturis versatus, sæcularibus in litteris eruditissimus, eloquio disertus, vita, & conuersatione pius, omnisque dignitatis Ecclesiasticæ meritissimus. Ipsum fuisse Augustinensem ex Posseuino plures Ordinis Historici hauserunt. Sed, vt sincerè verum fatear, cum veritatis summè sim venerator, Posseuini testificatio nunquam mihi arrisit, præsertim cùm ipse confundat Barbarum iuniorem cum seniore Episcopo Veronensi, qui iunioris Auunculus extitit. Sed viso Torello, qui credere inclinat ipsum Augustinianum in minoribus fuisse, posteà vt Reipublicæ suæ inseruiret pluribus in Legationibus eximijs, vestem dimisisse; & audito anno 1685. (dum Conciones Annuales haberem in nostra celebri Ecclesia Veneta S. Stephani) facundissimo P. Magistro Iacobo Florello bis Prouinciali Venetiarum Prouinciæ, qui Prototypum Hermolai Barbari inter Cardinales Augustinenses apparere fecit in sua celeberrima Bibliotheca, credere cæpi aliquam iurisdictionem in praeclarissimum Barbarum meam Religionem habere. Is cùm versatissimus esset in Historijs Venetis, vt testatur Liber editus apud Combum, & la Noù Venetos Impressores 1672.4; cuius titulus: *Dicta, & facta memorabilia Senatus Veneti, & Patritiorum*, & noua perquireret ad conficiendam secundam partem, vt asseruit ipse in epist. ad Lectorem, mihi testatus est, Pataiuj in quodam M. S. inuenisse non leue fundamentum ad ostendendum Patriarcham Barbarum, dum inibi studeret, habitum Augustinianum induisse, posteà dimisisse; eaque de causa in morte apud Augustinianos sepulturam Romæ elegisse. Itaque si ita fuit, parcet eruditus Censor, me inter nostros Scriptores ciuilissimum

Barba-

Barbarum adnumeraſſe . Quæſo , nullus mihi opponat, Scriptores contemporaneos , & ſequentes eruditos hoc non aſſerere , quia ferè omnes , qui de Barbaro ſcripſere , ſic barbarè veritatem tractarunt , vt mirum non ſit , ipſos ſupranarrata neſcijſſe . Aliqui enim confundunt Zachariam Patrem cum Franciſco Auo ; aliqui ſeniorem Barbarum cum iuniore ; qui dicit ipſum dolore tactum interijſse ; qui Patriarchatum dimiſiſſe, quem tamen vſque ad mortem retinuit ; qui eum defraudatum honore Funeris , & Sepulcri aſſerit ; qui ob publicæ offenſæ dolorem inter paucos dies à Patriarchatu obtento interijſse ; qui quonam loco cadauer humatum ſit , ignorari &c. Hoc vt clariùs eluceſcat , aliqua ſubſignabo , primò exprimentia laudabiles qualitates ipſius , demum ſupranotata oſtendentia. Quàm fuerit ardens in amore litterarum , comprobatur ex eo, quod ſcripſit in fine epiſtolæ ad Angelum Politianum Lib. 1. pag. mihi antiquæ editionis 6. *Ardeo cupiditate iuuandi ſacra ſtudia . Nullus eſt tam magnus labor , nullum munus in Litteris tam ſordidum , quod defugiam , quamquam omnis ferè functio , quæ pertinet ad litteras , non poteſt eſſe non honeſta , non ſplendida , non magnifica .* Quàm eminentes fuerint qualitates , & doctrina eiuſdem, patet ex Politiano eodem libro pag. 7. *Caue enim, putes,Hermolae,non diem dixerim , ſed horam penè vllam præterire , in qua non ego de ingenio , de litteris , de prudentia , de conſilio , de humanitate , de candore , de ſtudijs denique tuis propè declamitem . Teſtis Medices Laurentius meus , teſtis item Mirandula Picus , heroes arbitror duo , non viri , quos autem auditores habeo laudum tuarum attentiſsimos , aut beneuolentiſsimos prædicatores . Iam apud eruditam iuuentutem , & familiarium cohortem tantùm de te loquendo profecimus , vt vnus vtique habeare , non ſolùm doctiſsimus , ſed & humaniſsimus , & prudentiſsimus .* Penetrata à Politiano promotione ad Aquileienſem Patriarchatum, epiſtolam miſit exprimentem affectum , & iubilum , ac inter alia . *Quãuis antea quoque multis,magnificiſque fueris ornamẽtis affectus, tamen hoc vnũ procul excellit,atque eminet,nõ modò quia maius,aut quia genere diuerſum, ſed quia per eum quaſi gradum breui putaris altiùs aſcenſurus Lib.p. pag.*8.Ex his vltimis verbis cernitur non ſine fundamento Cardinalem aſſertum . Credibile enim eſt Alexandrum VI; cui correctiones Plinianas dedicauerat, qui eũ non parum diligebat , videntem oppoſitionem ſuæ Reipublicæ contra Patriarchatum obtentum , Cardinalem deſignaſſe , ſed

morte

morte præuentum minimè euulgasse. Hac facilè de causa Purpuratum nominarunt Trithemius, Ioannes Rioche Franciscanus, Pierius Valerianus, ac plures apud Victorellum in addit. Ciacconij. Pater ipsius fuit Zacharias filius Francisci, & non Franciscus, vt scribunt meus Forestus Bergomas, alijque, etiam vltimò Henricus Warthon. Patet ex epistola Hermolai ad Caluum: *Litteras tuas, quibus dolorem nostrum ex Zachariæ patris obitu vehementem, atque iustum, lenire voluisti, gratissimas habuimus*. Ipsum obijsse dolore consumptum ob iratam Rempublicam pro dignitate obtenta contra leges patrias, vt scribunt Raphael Volaterranus Lib. 21. Antropologiæ col. mihi 777; Pierius Valerianus in Opusculo de Litteratorum infelicitate, Iustinianus Venetus Historicus, qui & addit intra paucos dies, alijque, ac penè vltimus Iacobus Gaddus in Scrip. non Ecclesiasticis, non solum approbare, sed nec audire possum. Primò quia intrepidè, & constanter aduersitatem sustinebat; Quod apertè eius epistolæ Argentinæ 1513. 4. ex officina Schunreriana impressæ ostendunt. Inter alia hæc ad Caluum: *Dices, fortis es, quia breui speras futurum, vt tempestas ista tranquilletur, & qui modò te oderunt, ament, & amplexentur. Nihil hoc cogito, nihil me spes in latiorem exitum collata subleuat. Non est fortis, qui fortis est spe: fortis est, qui præsentia mala sentit, & præfert, atque ita præfert, vt etiam si duratura viderit, contemnat, in futurum nihil respiciat. Alioquin si præsentia incommoda expectatione commodorum tolerat, compensatio est, non fortitudo, aut si fortitudo, non ingenua certè illa, & absoluta, sed mercenaria planè, atque mutila*. Secundò Petrus Crinitus lib. 1. de hon. disc. cap. 7. refert Romæ pestilentia extinctũ, ac Pici Mirandulæ officium erga eũ morbo hoc affectũ exponit, vnde clarescit, non decessisse mærore consumptum: Vlteriùs etiam obseruo, quòd citra tres annos Patriarchatum, extra possessionem tamen tenuit; quia cùm scripserit nominato Caluo epistolam die 1. Ianuarij 1491. titulo Patriarchæ in subscriptione se muniens, & obierit 1494; vt testatur Epithaphium infra reponendum, non 1493; vt signat Gerardus Ioannes Vossius de Hist. Latinis lib. 3. pag. 622; ac ipsius Pater Zacharias decesserit 1491; si tanto tẽpore intrepidè sustulit, nullo modo arguere possumus dolore postmodùm illum victum fuisse. Alexander VI. eum summoperè diligebat, beneficiaque plurima contulit, vt asseruit Barbarus in Dedicatoria castigatio-

40. morbo contagioso affectus; nam antidotum potentissimum missum à Mirandulano, & Politiano è Florentia, ad tempus non peruenit, vt Paulus Iouius in Elogio asserit. A 18. anno scribere exorsus, multa elegantissima, & erudita composuit, quorum plura infra narrabo. De eo plurima ex alijs Thomas Pope Blaunt Anglus eruditus in Censura celebriorum Auctorum pag. mihi 487. En Epithaphium.

Barbariem Hermoleos Latio, qui depulit omnem,
Barbarus hic situs est, vtraque lingua gemit.
Vrbs Venetum vitam, mortem dedit inclyta Roma;
Non potuit nasci, nobiliusue mori. Obijt 1494.

Compendium scientiæ naturalis. Lausannę 1579. 8. Marpurg. 1595. 8; & ibidem 1607. 8.

Themistij Peripatetici Paraphrases in aliquos Aristotelis Libros admodùm adolescens, scilicet ætatis an. 26. Latinos fecit; in Post. lib. 2; in Physic. lib. 8; de Anima; de Memoria, & Reminiscentia, de Somno, & Vigilia, de insomnijs, de diuinatione per somniū. Venetijs per Ioannem Hertzoy 1500. 4. Septembris Fol. Basileæ apud Valdeum 1533. 4.

Castigationes Plinianæ, ad Alexandrum VI. Romæ 1492. fol; castigatiores ibidem 1493; & Venetijs 1497. fol.

Oratio gratulatoria ad Fridericum Imp. Brugis 1486. 4. Basileæ apud Froben 1520. 4.

Orationes, & Prælectiones Parisijs 1494. 4.

Epistolæ variæ, & Præfationes inter Epistolas Politiani. Argentinæ ex Officina Schunreriana 1513. 4; Basileæ 1553. lib. 1. 9; & 12.

Conciones Sacræ Patauij M. S. apud nostros ex Posseuino.

Epistola ad nostrum Brandolinum 1487. 1. Februarij impressa in Oratione eiusdem Brandolini.

Castigationes in Pomponium Melam: Corollarium ad Dioscoridem in quinque Libros priores de materia Medica, versiones latinæ Dioscoridis. Librorum Themistij Orationum, & aliquot Plutarchi Opusculorum pluribus in locis, & temporibus impressioni traditæ fuere: Igitur videatur Bibl. Barberina aliqua Opera Barbari exponens.

De Cælibatu lib. 2. Contra Barbaros Philosophos Librum. De re vxoria Poema. Quæstiones Geometricas. Conuenientiam Astrorum, & Medicinæ. Præcepta Hist. conscribendæ ad M. Antonium Sabellicum. Orationes, & Epistolas multiplices. Carminum plusquam 12000. Librum. Compendium Galeni. Versiones aliquot librorum Græcorum, & in his responsio Gennadij Patriarchæ Constantinop. De fide Catholica ad Mahometem Imp. Turcarum, aliaque plura scripsit Barbarus, & edita esse asserit Frisius, sed non exprimit tempus, nec locum &c.

99. HIERONYMVS NEAPOLITANVS suo tempore clarus, & illustris, nec non Philosophorum, & Theologorum

facilè Princeps enituit. Is in sua Neapolis Patria valde acceptus, ac Lector pro publica Vniuersitate petitus, à Reuerendissimo Gerardo Ariminensi Generali 1432.26. Octobris facultatem obtinuit adeundi. Anno postea 1436. ab eodem Generali S. Theologiæ Magister creatus Vicarius Prouincialis suæ Neapolitanæ Prouinciæ designatur; & cùm à Fratribus demum Prouincialis electus fuisset, ab eodem Generali die prima Decembris 1437. confirmatur. In eadem dignitate adhuc sedebat die 2. Iunij 1439. Anno tamen 1438. 6. Iunij delectus fuerat in Regentem Cœnobij S. Augustini Regalis pro anno 1439. Cùm fuisset Nicolai V. Pontificis Maximi Præceptor, ab eoque non parùm dilectus; ad Cathedram Diui Petri assumptus eum Episcopum Ciuitatis Oppidensis in Calabria creauit Kal. Septembris 1449. Tempore sui gubernij sublato ritu Græco à sua Diœcesi, latinus introductus fuit. Non extitit præceptor Nicolai V. in Græcis Litteris, vt scribit Vghellus, sed in speculatiuis scientijs potiùs eum erudiuit. Hoc expressè apparet ex dicto nostri Coriolani contemporanei. *In suo senio Græcas Litteras didicit, in quibus sic euasit peritus, vt de Græco in latinũ, ac etiam è contra de Latino in Græcum multa memoratu digna traduxerit, ac etiam in vtraque composuit.* Cùm enim Coriolanus opera edita distinctè non exposuerit, nil aliud subsequentes expresserunt. Solùm Gratianus in Anastasi, & Elssius in Encomiastico asserunt scripsisse *Centurias Ordinis nostri*. Verùm cùm Centurias Ordinis ediderit Hieronymus Roman Hispanus, & loquentes supradicti de eodem, huius Libri non meminerint, fundatè suspicor, ipsos tribuisse Hieronymo Neapolitano, quod Hieronymo Roman debebatur: Tantò magis quia de his Centurijs nihil apud Coriolanum, & Bergomensem Scriptores coæuos. Rexit noster Episcopus egregiè Sponsam sibi commissam per annos 23; decessitque 1472. Laudatur ab omnibus nostris, & ab Vghello in Italia Sacra To. 9. col. 582; ac à Nicolao Toppio in Bibl. Neapolitana pag. 159; Vghellus tamen vocat Bergomensem nostrum Bartholomæum, facilè error Amanuensis est, & Toppius errat in assignando Tom. & col. Vghelli. Scripsit, vt supra notatum est ex Coriolano.

100. HIERONYMVS SERIPANDVS, Patritius Neapolitanus. Ferdinando Seripando, & Loisiæ Galeota ex nobilissimo Equitum Neapolitanorum sedili, quod Capuanum vocant, Troiæ Vrbis celebris Apuliæ anno 1493. die sexta Maij

ortus

ortus est. In ætate puerili parentibus orbatus Grammaticam, cæterasque proximas artes triennio edidicit. Mox legum studia aggressus sub Ioanne Traiectensi, alijsque Iurisperitis biennio sic profecit, vt ipsis magistris admirationem pareret. Anno 13. ætatis Religionem Dominicanam in S. Catharinæ de Formello amplexari destinauerat, sed à Fratre suo Antonio per vim abstractus; anno sequenti 1507. Ægidij Viterbiensis præclarissimi concionibus allectus, ac hortatu nostri Ioannis Baptistæ de Neapoli, postea Carthusiani, nec non morum probitate Patrum Sancti Ioannis ad Carbonariam attractus, eodem die, quo mundo natus, mundo vale dixit. Religionem igitur Augustinianam ingressus, intra paucos annos omnibus non solùm virtutibus moralibus, sed scientijs maioribus etiamque linguæ Græcæ, & Hebraicæ peritiam ornatus effulsit. Anno 1514. cùm esset Romæ Magister studij, loco Nicolai Tridentini viri eloquentissimi, Secretarius Ordinis designatur. Anno 1516. Apostolicum ministerium exercere cæpit; habuitque conciones quadragesimales in Metropolitana Surrenti, talique gratia enunciationis, oratoriæ maiestatis, & spiritus feruore ornatas, vt certatim maiores Italiæ Vrbes eum non tantùm pro Quadragesima, sed etiam infra annum, vel quando illuc itinerando diuertebat, semper illum declamantem audire vellent. Eum Carolus Quintus Imperator summè suspiciebat, inter sapientes Theologos primo loco collocabat, & ferè ducentis vicibus concionanti, & oranti hilari fronte, & cum plausu ipsi aures præbuit benignas. Anno 1519. in Capitulo Generali Venetijs Regens Bononiensis deligitur, ac paulò post auctoritate Pontificia Magister declararur. Anno 1523. Vicarius Generalis suæ Congregationis Carbonariæ extitit. Defuncto anno 1530. Generali Ioanne Antonio Theatino Pauli III. Pontificis decreto titulo Vicarij Generalis ad Ordinis gubernium assumitur, eique mandat Pontifex, vt Margharitæ Austriacæ suæ Nepti prædicet: Eodemque anno conuocatis Patribus Neapoli die 24. Maij omnium acclamatione Prior Generalis constituitur. Ordinem rexit per annos 12. incredibili prudentia, vtilitate, & fructu, lustratisque Prouincijs personaliter, ac ad animarum salutem omnibus bene directis. Anno 1546. die 11. Aprilis Tridentum perrexit ad Concilium, vbi aperta synodo die 13. Decembris cæteris Patribus adiungitur; & die 13. Martij ad colligendos abusus, qui circa Sacras Scripturas

 conti-

contingunt, & eorum remedia excogitanda, & die 2. Maij ad exarandum decretum contra eosdem abusus cum quibusdam alijs deputatus fuit: Pluribusque vlteriùs in rebus ad Christiani Gregis vtilitatem in Concilio pluries occupatus, suam dexteritatem, prudentiam, & eminentem scientiam omnibus patefecit. Cùm fama egregiarum qualitatum Seripandi Mundum Christianum replesset, æmulatim Orbis Capita de eo honorando, & implicando sacris negotijs cogitarunt. Aliqui Cardinales Pontificem exorarunt, vt Nuncium ad Cęsarem, & Regem Galliæ mitteret pro re Anglica componenda. Pontifex inclinabat eum ad Metropolitanæ Neapolis regimen præficere, & Carolus V. Infulam Aquilanam obtulit: Verùm humilis Seripandus nihil de dignitatibus curans, non solùm Aquilanam Cathedram submissè recusauit; sed etiam anno 1551. per Internuncium Aurelium à Rocca Generalatum in Bononiensibus Comitijs merentibus Patribus, renunciauit, atque ad quietem religiosam, & spiritualem consolationem amplexandam Pausilippum in Cænobium S. Mariæ Consolationis se recepit. Porrò requies Seripandi longa non euasit; nam vrgente Neapolitana dilecta Patria, Parentibus, & Amicis instantibus, vt pro Ciuibus suis, & pro Regno ad Carolum V. in Belgio Legatus iret, anno 1553; annuente etiam Pontifice, licèt iam senex, & sanitate carens, tamen omnibus postpositis in Belgium pertransiuit. Ibidem à Cæsare humaniter exceptus, perbenignè pluries auditus; ac omnibus obtentis, nec non Salernitano Archiepiscopatu donatus dimissus fuit. Romam redux, atque à Summo Pontifice Archiepiscopus declaratus, feria 3. post Pentecosten in Pontificio Sacello à Cardinale Saraceno, Antonio de Capua Archiepiscopo Hydruntino, & Ioanne Iacobo Barba Neapolitano Sacrista, & Episcopo Interamnensi consecratur. Suæ Ecclesiæ commissæ possessione obtenta, nihil fuit, quod non perfecerit ad Gregis vtilitatem, ad Sponsæ decorem, ac ornamentum. Anno 1559. 24. Februarij in amplissimo Caroli V. funere orationem habuit, quæ impressioni tradita, tali cum plausu excepta extitit, vt Antonius Portius pronunciauerit; *Vnum omnium Patauinæ Academiæ assensum fuisse, quod si Carolo, dum vitam ageret, funebria iuxta curæ fuissent, vt erat graui, & singulari iudicio, eum testamento cauturum fuisse, ne vlli homini, quàm Seripando hoc munus defferretur*. Demum à Pio IV. Romam accersitus Tribuna-

li S.

li S. Inquisitionis admotus fuit, Congregationibus alijs interfuit, deque serioribus Concilij negotijs cum eo Pontifex egit; atque anno 1561. die Mercurij 4.Kal.Martij in creatione decem, & octo Cardinalium illum primo loco enunciauit; ac titulum S.Susannæ ei designauit. Postmodum Tridentini Concilij Legatione honoratus, ac Cruce accepta simul cum Cardinali Simonetta iter aggressus, Tridentum peruenit 16.Kal. Maij. Ea in Legatione biennio eminens, etsi chiragra interdum, stomacho, pituita, febri, dentium elisione laboraret, valens tamen mente, & ea acerrimi iudicij perspicacitate, atque in præarduis enodandis maiestate, qua semper polluit, innumeras Concilij actiones (vt ex eiusdem collecta farragine de rebus Concilij patet) ad optatum finem direxit. Ex primarijs vnam non prætereundam selegi, à facundissimo penicillo P.M. de Casa Genuensis in Elogijs Romæ impressis 1666.fol. pro solemnitate Canonizationis D.Tomæ Villanouani pag.37. delineatam: *Nobis hoc vnum ingrato præterire silentio piaculum sit. Centum argumenta in fidei perniciem Concilio ipsi acutissima Hæreticorum malignitate proposita, postulantibus ad responsionem inducias vniuersis, nulla ipse interposita mora, emedullatis palam ex temporanea solutione fallacijs, memoriæ prodigio enodat, eneruat, exterminat, elata voce illud gloriosum ingeminans: Absit, vt Ecclesia Dei tempore ad confundendum hostes indigeat,*

Denique anno 1563.die 17. Martij accersitis antea familiaribus, postquàm egregiè disseruisset de Augustissimo Ecclesiæ Sacramento, & morientium Viatico, lacrymis verba concitantibus, è Tridentino ad Cæleste Angelorum Concilium, vt creditur, transiuit, cùm nondum 70. annum expleßet, licèt in Tumulo aliter appositum fuerit vt sequitur. *Hieronymo Seripando Card.Concilij Tridentini Legato Christophorus Patauinus sodalitij Eremitarum Magister P.Vixit annos 70. mens.5.dies 11.*

Si quis honos tumuli, quantùm sol lampade lustrat,
Terrarum, Cœlique, tuum est, Seripande, sepulcrum.

Bernardinus Rota Poeta celebris exposuit sequens Epigramma in funere nostri Cardinalis.

Res noua, res nimiùm tristis, res digna querelis,
Iam furit in magnos mors violenta Deos.

Tu nè

Tu nè ille beu moreris praui spes vltima fecli?
Tu nè iaces sacri lux Seripande Chori?
Ah quantum amisit Christi respublica; quantum
Lucrata est Cæli Regia morte tua!

Seripandi Corpus adhuc iacet Tridenti in nostra Ecclesia Sancti Marci, nam numquam translatum fuit Neapolim, vt Petramellarius, alijque scripsere. Tria præclara elogia eiusdem obseruaui; vnum mei Cornelij Curtij Belgæ Cæsarei Historici, qui etiam profert effigiem ad viuum expressam; aliud facundissimi olim Amici Laurentij Crassi Neapolitani in primo To. Elogiorum primo loco; & tertium aureæ pennæ P. Magistri de Casa iam citati. Ad illud, quod de Seripando scripsit P. Daniel Bartolus Iesuita in Historia suæ Societatis par. Italiæ lib. 2. pag. 135. iam satisfeci in meo Fasciculo Historico lingua Italica digesto epistola 24. Laudant Seripandum omnes Scriptores Ordinis, inter quos primatum tenent Felix Milensius in principio Comm. Epist. ad Romanos, & ad Galatas Seripandi, ac diligentissimus Herrera. Inter externos Ciacconius in vita Pij IV; Paulus Manutius, Garimbertus lib. 2. cap. 3; Petramellarius, Cabrera, Ægidius Marchesinus in oratione funebri Bononiæ habita, relata à Torello To. 8; Vghellus in Archiep. Salernitanis, ac vltimò Nicolaus Toppius in Bibl. Neapolitana; plurimique alij, iam à me relati in Purpuris Aug. Cardinale 23. Duo tamen addere placet. Ludouicus Donius de Attichij Ord. Minimorum Episcopus Eduensis in Floribus Historiæ S.R.E. Cardinalium To. 3. pag. 411. de Seripando differere incipiens, protulit: *Nihil Hieronymo Cardinali Seripando fuit pietate illustrius, qui ab ineunte ætate sæculi pompas aspernatus in Augustinianam Eremum se contulit &c. Nihil eodem eruditione præstantius, qui diuinarum, humanarumque litterarum cognitione penè ad miraculum vsque fuit imbutus; & linguarum Græcæ, Hebraicæ, & Chaldaicè calentissimus &c.* Cardinalisque Sfortia Pallauicinus (vltra plures alias in tota Historia Concilij narratas de Seripando, postquam lib. 8. cap. 5. num. 9. exposuit differentiam, quæ insurrexit in Concilio contra Regulares ob assumptum ministerium Prędicationis ad Episcopos spectans, motam ab Episcopo Regulari, vel Minore obseruante, vel Dominicano, concludit: *Postrema iam comprobatione firmabatur, (scilicet Decretum contra* Regulares, *) cùm Seripandus Augustiniani Ordinis Summus Præses, Regularium causam egit efficacio-*

ficaciore, quàm Caselius ad persuadendum Oratione, quia remissiore, ac per sedatum dicendi modum, quem minus prudentes frigidum nuncupant, & tamen eo calore pollet, qui sit ad vincendas lites aptissimus, vbi aduersarius non solùm est dignitate maior, sed potestate Iudex. Opera à Seripando exarata, sunt sequentia: Libet primò tamen exponere Epigramma etiam ab Vghello reportatum, compositum ab eloquente Viro P.M. Nicephoro Sebasto Mellifeno Augustiniano, ex præclarissima Prosapia Despotorum Seruiæ.

Si qua fides fastis, eademque, & dira Britannis
Pelagium, Aphris hæc protulit Aurelium.
Tristia sic lætis miscet Deus; vnde venenum
Prodijt; hinc fundit scorpius antidotum.
Augustinensis sic Tu Seripande Lutherum
Falce Tridentina sternis, & interimis.

Nouæ Constitutiones Ordinis, cum Ordinario Ecclesiastico, & Commentario rerum Ord. Erem. à S.P. Aurelio Augustino vsque ad sua tempora. Venetijs 1549. fol.

Commentarius in Epistolam D. Pauli ad Galatas &c. Antuerpiæ apud Christophorum Plantinum 1587. 8. Venetijs apud Bartholomæum Rubinum 1569. 8.

Commentaria in D. Pauli Epistolas ad Romanos, & ad Galatas, quibus, & Hæreses doctissimè reffeluntur, & Apostoli sensus pura elegantia aperitur, addita vita Auctoris à P. M. Felice Milensio. Neapoli apud Iac. Carlinum 1601. 4.

Conciones super Symbolos Apostolorum, Nicænum, & D. Athanasij Italicè editæ sunt curãte Marcello Seripando Nepote. Venetijs apud Salamandrã 1567. 4. Romæ apud Basam 1586. 8.

Oratio in funere Caroli V. Imperatoris Maximi edita Latinè, & Italicè. Neapoli excudebat Matthias Cancer. 1559. 4.

In Catalogo Ioannis Antonij Huguetan, & Guillelmi Barbier Lugduni impresso 1670. in 12. pag. 29. inuenio: *Seripandus de Arte orandi Louanij in* 12.

Volumina quindecim, quorum sex appellauit in memoriæ subsidium, in quibus varia Philosophica, Historica, Platonica, Scripturalia, & Theologica leguntur.

Tractatus de hominis Iustificatione ad Laurentium Ptolomæum scriptum anno 1543. M.S. 4.

Octauum. Farrago eorum, quæ in Concilio Tridentino, & Bononiæ tractata sunt sub Paulo III. ab anno 1545. volumen magnum in 4.

Nonum. De Iustitia, & libertate Christiana.

Decimum. De libris Sacræ Scripturæ. De peccato Originali, De Sacramentis in genere, De Baptismo, & confirmatione. M. S. in 4.

Vndecimum. Orationum ab ipso, vt ferebat occasio, habitarum.

Duodecimum. Collecta, & excerpta varia ex D. P. Augustino, & alijs.

Tertiumdecimum. Commentaria in Epistolas ad Corinthios, & Thessalonicenses.

Quartumdecimum. Tractatus de Gratia, libero arbitrio, & Prædestinatione ad Antonium Flaminium.

Liber decem, & nouem Concionum super Orationem Dominicam.

Epistolæ variæ Italicæ ad Principes viros de rebus grauioribus.

Sermones, & Conciones multæ; constat enim ex Diario eius composuisse sex saltem Quadragesimalia, & innumeras Conciones habuisse infra annum; & incredibilis fuisse laboris, & studij ostendunt Libri Bibliothecæ Carbonariæ, vbi asseruantur supradicta M.S. ab ipso marginati, scholijs illustrati &c.

In Bibl. Collegij Societatis Iesu Romani adest To. 1. Litterarum Italicarum Cardinalis nostri Seripandi.

Itinerarium Fratris Hieronymi Seripandi Arch. Salernitani in legatione Regni Neapolitani ad Cæsarem Carolum V. à Fratre Iacobo Patauino eius Secretario scriptum 4. extabat in nostra Patauina ex Thomasino, sed non inuenit doctissimus Abbas Mabillon, vt ipse fatetur In suo itinere Italico &c.

101. B. IACOBVS CAPOCCIVS Viterbiensis Patritius. Viterbium (quod Romæ aliquando inflixit inuidiam eò, quia Romani Pontificis extitit olim dilecta sedes, cuius Patrimonium perenniter erit,) Patria fuit nostri B. Iacobi. Prosapia ipsius præclarissima apparuit ibidem æquè, ac Romæ: Nam inter alios eminuit Cardinalis Rainerus Capoccius, qui tempore Innocentij IV. è Flisca Familia insigni Genuensi, cùm Fridericus secundus Imperator suam Ciuitatem occupasset, adiuuantibus Consanguineis proprijs, in Ecclesiasticam potestatem denuò redegit. Genitores eius à nullo Scriptore, vel nostro, vel externo nominantur. Eapropter (*Docens scripturæ diuina, non solùm mores in his, qui prædicabiles sunt, sed etiam Parentes oportere laudari, vt D. Ambr. in cap. 1. D. Lucæ*) hanc mercedem ipsis persoluere non possum. Debita ætate in Cœnobio Sanctissimæ Trinitatis Religioni Augustinianæ nomen addixit. Post exactum Tyrocinium pluribus in studijs suum clarum, & profundum ingenium ostendit. Perrexit deinde ad celeberrimam Parisiensem Vniuersitatem, vbi audiuit D. Thomam Aquinatem, & D. Bonauenturam splendidissima Theologiæ Scholasticæ lumina, extititque condiscipulus Fundatissimi Doctoris B. Ægidij Columnæ Romani, ac postea concurrens

in le-

in lectura. Tantos dicta in Vniuersitate progressus fecit, & tali existimatione apud Sorbonicos dignus fuit, vt Doctoris Speculatiui nomen meruerit: eiusdem enim doctrina, ac industria tunc illa Vniuersitas fulciebatur. Apud omnes viros cùm propter mentis subtilitatem, tum eloquentiæ ob splendorem, & quod principale est, propter vitæ, & morum candorem summo loco semper habitus. Perfectæ humilitatis, & modestiæ Religiosus erat: Cùm enim in Generali Capitulo Neapoli anno 1300. celebrato rogatus esset, vt Beatum Augustinum Nouellum de Theramo Generalem vellet informare de innocentia cuiusdam Fratris apud eum sinistrè delati, & noster Iacobus ex pietate hoc fecisset; ipse Pater Generalis ex zelo vehementi conuocato toto Capitulo, non deferens tantæ personæ, verba sequentia protulit: *Fratres charissimi, dolentibus vobis denuncio, quòd quidam Religiosi per ordinem enutriti, & in statu honoris positi sic rependunt suæ matri Religioni, quod fratres defectuosos, & vitiosos excusare, & defendere nituntur, ex B. Iordano de Saxonia*. Ad quæ dicta Venerabilis præfatus M. Iacobus considerans obiurgationem illam non procedere nisi ex corde beneuolo tanti Patris, surrexit coram omnibus, & humiliter respondit: *Pater, protestor coram Deo, & vobis, si quid in ista materia loquutus sum, hoc feci ex sincero animo, & pura intentione pro bono Ordinis. Tamen si vobis videtur, quòd in hoc offenderim, dico meam culpam Deo, & vobis, & paratus sum emendare*. Ad expressionem verborum tantæ humilitatis, & reuerenter è tam eminenti Doctore prolatam omnes Fratres stupefacti fuere, & medullitùs emendati, ac animus prædicti Patris Generalis totaliter acquieuit. Hæc singularis humilitas corona non caruit; nam post biennium, nempe anno 1302. ad Infulam Beneuentanam exaltatus fuit à Bonifacio VIII. Summo Pastore, instante Carolo II. vtriusque Siciliæ, & Ierusalem Rege, à quo plurimùm æxistimatus, & adamatus erat. Illam Metropolim prudentissimè, & vtiliter gubernauit per annum vnum, menses tres, & dies nouem: Demum circa finem anni 1303. translatus ad insignem Metropolitanam Neapolis. Ad eius preces Carolus Rex omnia priuilegia, ac iura à suis prædecessoribus eidem Ecclesiæ concessa, benignè asseruit anno 1306. die 25. Maij, quod & fecerat Beneuentanæ, cùm Iacobus ipsi præerat. Gratias magis difficiles, quas alij obtinere non poterant, noster Archiepiscopus à Rege consequebatur. Hoc expertus

est Ioannes de S.Cruce Baro Candelæ Capitaneatæ Prouinciæ nobilis Terræ, qui ad supplicium damnatus, petente Iacobo, pæna illi in exilium permutata fuit. Anno 1306. tempore sui gubernij, vt nouum metropolitanum Templum perficeretur, nec sumptibus, nec industriæ, nec assiduæ atentioni pepercit. Annis quatuor, & aliquibus mensibus rectissimè, & sanctissimè Ecclesiam Neapolitanam administrauit, iusque Diuinum, & Canonicum incorruptè vt seruaretur, ex corde curauit. Denique anno 1308. mense Februarij Sanctitate, Doctrina, & pluribus egregijs voluminibus euulgatis clarissimus ad immarcessibilem vitam ascendit. Censurauit aliquas sententias Angelici D.Thomæ Aquinatis; non ob ęmulationem, sed ad maiorem veritatis elucidationem; nam tali amore hunc eximium Doctorem prosecutus est, vt statim, ac Neapolim peruenit, ad venerandam eius cellam accesserit. Opera ipsius subtilissima, atque solida eloquentia ornata asseruantur varijs in Bibliothecis Ordinis, & exterorum. Maior pars ipsorum collecta fuit à doctissimo P.Magistro Mauritio Tertio ex Comitibus Sissæ Parmensibus, typis tradenda, nisi mors obstitisset extemporanea. Mentionem cum laude faciunt nostri lucidissimi Præsulis omnes Scriptores Ordinis, præcisè B.Iordanus de Saxonia in vitis Fratrum Lib.2.cap.4; & cap.22; nec non Gerardus Senensis in suo primo sent; Ven. Alphōsus Vargas Archiep. Hispalensis pariter in primo, & Thomas Argentinensis pluries; nam lib.3.sent.dist.40. artic.3.pag.mihi 54. eum vocat *Luminare minus nostri Ordinis*. Exteri sūt Hartmānus Schedel sexta Mundi ætate, Raphael Volaterranus lib.21. Antropologiæ, Sabellicus Ænnead.9.lib.8; Andreas Tiraquellus Regius in Curia Parisiensi Senator Tract.de nobilitate cap. 31; numerans Iacobum inter Theologos, qui in sent.scripserunt, Renatus Choppinus in suo monastico tit.1.n.15. vocans *clarissimum Ecclesiæ Lumen, sacrorum librorum auctorem venerandum*, Antonius Posseuinus in Apparatu Sacro Lit. I; Bartholomæus Chioccarellus de Episc; & Archiepisc. Neapolitanis pag.190; Dominicus Blancus Viterbiensis in Historia suæ Patriæ pag. 232; & 233; ac inter Beatos 310; Petrus Corretinus Viterbiensis in relatione ingressus Eminentissimi Brancacij; Viterbij apud Diotaleuum 1638.4; Alphonsus Ciacconius, Franciscus Penia, Ferdinandus Vghellus, Henschenius, & Papebrochius in Martio Vita S.Thomæ Aquinatis, & in Maio Vita S.Petri Cœlesti-

ni, ac

ni, ac vltimò amatiffimus, ac eruditiſsimus Epiſcopus Vigiliarum Pompeus Sarnelli, quos omnes, pluresque alios expreſsè referendo etiam verba, expoſui in opere Viterbij edendo de Regimine Chriſtiano B.Iacobi noſtri. Index autem Operum ex Bartholomęo Chioccarello, Dominico Blanco, meo Torello, ac alijs, nec non ex Bibliothecis à me viſis, eſt ſubſequens. Antequam tamen illud deſcribam, aduetto, Dominicum Blancum ſupradictum, qui Italicè ſcripſit circa annum 1600; quem ſecutus eſt Petrus Corretinus, aſſerere noſtrum B.Iacobum fuiſſe Proregem Neapolitanum duobus Interregnis ſuccedentibus. Hoc tamen eſt omnino improbabile, quia vt Summontius, Villanus, & alij Hiſtorici affirmant, Carolus II. Neapolitanum ſceptrum per annos 25. rexit, & deceſsit 1309; nempe anno ſequenti ab obitu noſtri Archiepiſcopi. Si tamen Regis vices geſsit aliquando, cùm à Rege plurimùm diligeretur, hoc ſuſpicor accidiſſe ob Regis abſentiam à Neapolitana Ciuitate, & tunc prudentiſsimè gubernare potuit, vt ſupradictus Blancus teſtatur. In Choro Metropolitanæ Beneuenti Eccleſiæ ab Eminentiſsimo, & Reuerendiſsimo Principe Card. D.F.Vincentio Maria Vrſino nouiter, & ſplendidè erectæ, inter alios Paſtores Sanctos, & Beatos eiuſdem Metropolis, cernitur effigies noſtri B.Iacobi, ac in Archiepiſcopali Palatij atrio eius ſtemma gentilitium cum inſcriptione encomiaſtica, & Beati titulo. Dictus enim Eminentiſsimus, vt ibidem ex ipſomet proprio ore agnoui, eſt ſummus venerator ſuorum Anteceſſorum, eorumdemque memoriæ celebris excitator. En igitur opera, pro quibus, quia adhuc prælo, & publicæ luci tradita non ſunt, illud Eccleſiaſtici cap. 20. dolenter promere poſſumus. *Sapientia inuiſa, & Theſaurus abſconditus, quæ vtilitas in vtriſque?*

De Regimine Chriſtiano ad Bonifacium VIII; aliqui aiunt, ad Clementem V; ſed malè; vt expreſsè patet in principio: Opus eſt in duos Tractatus diuiſum, in quorum primò de Eccleſia, & in ſecundo de Potentia Chriſti Regis, & eius Vicarij ſubtiliſſimè tractat. Videatur Gauardus meus To.4. De Hierarchia Eccleſ. articulo 6. pag. 499. M.S. in Folio Romæ in Angelica, & Vaticana, ac Viterbij apud Illuſtriſſimum Amicum Ioannem Paulum Ricciolium, inibi edendum, vt ſpem mihi dederunt aliqui Nobiles, qui propriæ Patriæ decorem quęrunt.

De prædicamentis in diuinis Quæſtiones Pariſijs diſputatæ, opus abſolutiſſimum, cuius idem Iacobus meminit multis in locis,

& citatur à Gerardo Senensi, Alphonso Vergas, & Thoma de Argentina. Est in Archiuo nostri Monasterij Viterbij fol; ac in Carbonaria in membrana cum miniaturis; Codex pulcher, scriptus viuente ipso B. Archiepiscopo Fol.

Quodlibeta quatuor Parisijs exposita, & disputata. Sunt in nostra Marciana Mediolani, nec non in nostra Patauina, & citantur à supradictis fol. *Magistri Iacobi Viterbiensis Doctoris celeberrimi Quodlibeta iam ferè temporis antiquitate labefactata, summo studio emendauit, purgauit, annotationibusque necessarijs exornauit, quæ extarent impressa, nisi impressorum tunc sese oposuisset negligentia*. Ita Santes Guicciardus Ariminensis in Oratione funebri P. M. Mauritij Tertij Parmensis. Monachij apud Adamum Berg. 1594. 4.

Abbreuiatio sententiarum Ægidij Columnij fol. est in nostra Carbonariæ. In principio dicti Codicis apparent hæc verba manu propria Card. Ægidij Viterbiensis. *Abbreuiatio sententiarum Ægidij Romani per Reu. P. Magistrum Iacobum Viterbiensem Archiep. Neapolitanum omnium scientiarum gloria illustrem. Ægidij volumen in Compendium adducit, multa tamen addit vbique, vt ferè Iacobi potiùs, quàm Ægidij dici debeat. In fine adest hoc carmen: Longas curro vias, vestigia nulla relinquo. Magister Andreas de Alexandria scripsit.*

Lectura super quatuor Libros sententiarum, seu veriùs compendium sentent. fol. paruo membr. Est in nostra S. Augustini Senarum ab Illustrissimo Episc. Cortonensi Generali Oliua erecta. Hoc Opus à Blanco, & Chioccarello vocatur Summa summæ.

Quæstiones Sacræ Theologiæ fol. membr. sunt in Bibl. Ss. Ioannis, & Pauli, vt ex Thomasino pag. 26; etiamque pagina 24.

De Spiritu Sancto quæstiones quinquaginta. Sunt in nostra Bononiæ.

Recollectiones, seu catena Patrum super Epist. D. Pauli. Ibidem in nostra S. Iacobi Bononiæ.

Sermones diuersarum rerum. In Bibl. Canonicorum S Petri Romæ.

Triginta Quodlibeta alia eiusdem Iacobi. Romæ in Bibl. Mineruæ, vt asseruit Blanco Petrus Martyr Baccionus Romanus Dominic. insignis.

Super quatuor sententiarum Libros comm; olim in primum seruabatur Carbonariæ.

Diuisio super eosdem quatuor libros sententiarum.

De Angelis quęstiones, ac de Angelorum compositione.

De Cælorum animatione quæstio percelebris; citatur ab ipso Lib. 3. quodlib. quæst. 24.

Super Epistolas D. Pauli explicationes.

In Euangelium Diui Matthæi expositio.

In Diuum Lucam Euangelistam interpretatio.

Summa de Articulis Fidei.

De mundi æternitate secundùm Fidem Catholicam.

In Physicorum, & Metaphysicorum Libros Comm. volumina 2.

Liber

Liber de Naturæ Principijs.
Notabilia in sententias.
Concordantiæ Psalmorum Dauid ad Carolum II. Siciliæ, & Ierusalem Regem.

D.Thomæ Aquinatis vtilis Tabula, hanc, suppresso nomine nostri Archiepiscopi, cuidam alteri falsò adscripserunt &c.

102. IACOBVS CARACCIOLVS Patritius Neapolitanus S.T.Doctor excellens, Concionator egregius, ingenio acutus, & ad disputandas, enodandasque scripturarum quæstiones aptissimus. Anno 1357. ab Innocentio VI. creatus fuit Patriarcha Aquileiensis, sed ante consecrationem Romę obijt. Etiamsi Vghellus in To.5. Italiæ Sacræ col.109. nullam mentionem fecerit nostri Iacobi, tamen vt claré ostendit meus Torellus pag.31. To.VI. Sæculorum Aug; cùm non rectè Vghellus assignauerit tempus, in quo obijt Patriarcha Nicolaus de Lucemburgo ex Regum Boemiæ progenie, & cùm noster Iacobus post ipsum electus, consecratus non extiterit, ideo vera esse potuit electio eiusdem. Hunc Iacobum eumdem esse existimo, ac illum, de quo Nicolaus Toppius in Bibl. Neapolitana hæc reponit pag.108. *Iacobus Caracciolus Eques Neapolitanus, Augustinianus, Philosophus, & Theologus famosissimus floruit 1500. scripsit super primum, secundum, & tertium sententiarum. Asseruantur in Bibl. Angelica Romæ, vt retulit mihi quidem Magister eiusdem Religionis*. Nam licèt tempus non cohęreat, tamen quia Toppius parum exactus in Chronologia conspicitur, ideo loco 1500; reponendum iudico 1350. Difficile enim puto meos eruditissimos Roccham, & Pamphilum (qui tam proximè floruerunt an. 1500; & Bibliothecam Angelicam exactè euoluerunt, præcisè cum primus fundator extiterit) sicut Iacobum Neapolitanum, qui in sententias scripsit 1350; agnouere, ignorasse Iacobum Caracciolum nobilissimum Neapolitanum. Non sine fundamento igitur pronuncio eumdem esse; ideoque, cùm fuerit doctissimus, & nobilissimus, potuit Innocentius Sextus præclarissimorum virorum æstimator ad Patriarchatum Aquileiensem destinare. Quod verò Toppius in Chronologia parum accuratus extiterit, aliam afferam probationem, ipse eadem pag. 108. prætendit ostendere contra Vghellum, Iacobum de Ciuitate Sancti Angeli Lombardorum primum Nicoterensem Episcopum, à me infra nominandum num. 103; non fuisse è Ciuitate S. Angeli in vlteriori Aprutio; & ad ostendendum assertum veri-

veridicum adducit instrumentum stipulatum 1314. die 14. Octobris sub Roberto Rege in domo Francisci Riccardi de Laureto, in quo nominatur *Fr. Iacobus de Vrsa Prior loci Ciuitatis S. Angeli Ord. Erem. S. Augustini*, cui tradita fuit regalis Ecclesia eiusdem Ciuitatis mandante Rege supradicto &c; & hunc Fratrem Iacobum ex nobili familia Vrsa extincta vult creatum fuisse in decrepita ætate 1392. primum Episcopum Nicoterensem. Bone Deus! Quando 1314. Iacobus Vrsa Prior extabat, saltem in ætate 24. annorum constitutus esse debebat; additis itaque 78; nempe à 1314. vsque à 1392; conficiunt summam 102. Quis etenim vnquam credet, Bonifacium Pontificem prudentissimum, etiam & ipsum iuuenem, designasse primum Episcopum Nicoterensem senem centum annorum, & vltra? Profero itaque Iacobum Nicoterensem fuisse è Ciuitate S. Angeli Lombardorum, vel è Ciuitate S. Angeli in Aprutio, non esse certum, præsertim cum Herrera noster hoc non distinguat, sed fuisse Fratrem Iacobum Vrsam, difficillimum, vel ferè impossibile iudicandum est. Ad Iacobum Caracciolum denuò reuertendo, dico, eum commendatum à nostris Scriptoribus, ac ipsius effigiem apparere cum alijs viris præclaris Neapolitanis nostri Ordinis in Dormitorio Regalis Conuentus S. Augustini, mandante clarissimo Priore, ac olim Prouinciali Baccl. Basile meo amatissimo, qui plura ad decorem eiusdem Cœnobij perfecit. Omnia verò quoad Historiam disponebant docti amici Mag. Regẽs Romę Adeodatus Summantica, & Adeodatus Orchi Neapolis Prior. Scripsit.

Super primum Sententiarum lib. 1.

Super secundum Sententiarum lib. 1.

Super tertium sententiarum li. 1.

Quæstiones disputatas.

Sermones quosdam variarum materiarum.

103. IACOBVS è Ciuitate S. Angeli Lombardorum Ord. Eremitarum S. Augustini, vir insignis doctrina, & pietate, primus dignus habitus est, vt à Bonifacio Nono Pontifice Ecclesiæ Nicoterensi in Calabria præficeretur in Episcopum anno 1392. 17. Kal. Septembris, quot annos in ea dignitate consumpserit, vel quo anno obierit, non constat. Ita Vghellus To. 9. Italiæ Sacræ col. 570. Hic Prælatus dignissimus memoratur ab Herrera To. 1. fol. 427; Elssio pag. 308; & Torello To. 6. pag. 311; sed vltra promotionem ad Episcopatum nihil de eodem. Duo ipsius Opera simul in vno To. in fol. obseruaui

seruaui M. S. in nostra Carbonariæ Neapolis, ideo primus inter Scriptores enumero doctum Iacobum. De eodem loquitur Toppius in Bibl. Neapolitana, sed vide in Iacobo Caracciolo.

Summa de Republica, & Summa de amicitia. Completa est auxiliante Deo anno Domini 1390. die 24. mensis Februarij in Castro Butilli Indictione 13. Ista summa est Fratris Iacobi de Ciuitate S. Angeli Ord. Fratrum Herem. S. Augustini. *Qui scripsit, scribat, semper cum Domino viuat. Iacobus vocatur, à Christo benedicatur.* In Castro Butilli scripta fuit ista Summa tempore, quo fui Capellanus Excellentissimi D. Domini Comitis Mileti, & Bellicastri. Liber scriptus per Fratrem Danielem de Monterubiano Biblicum Baccalarium Fratrum Heremit. S. Augustini.

104. IACOBVS FOLQVERIVS Tolosanus, S.T. Doctor, qui floruit anno 1340. Iste nominatur à Casimiro Oudin in suo Supplemento Script. Ecclesiasticorum Parisijs impr. 1686. 8; sed nihil, præter subsequentis Libri notitiam, quæ meliùs habetur à nostro eruditissimo Iacobo Hommey in suo Supplemento Patrum, & Conciliorum impresso Parisijs per Danielem Hortemels 1686. 8. Ecce igitur operis qualitas: *Viridarium Gregorianum, siue Biblia Gregoriana Iacobo Folquerij Eremita Augustiniano Doctore Tolosano collectore. Scripsit, perfecitque Opus, se ipso teste, anno Domini* 1345. *in mense Aprili, ac dicauit summo Pontifici Clementi sexto. Epistolam igitur dedicatoriam, ac Consilium, methodumque operis, exhibet supradictus Hommey in citato supplemento à pag.* 555. *vsque ad* 568. Integrum opus M. S. asseruatur in nostra Bibliotheca magni Cœnobij sancti Augustini Parisini.

105. IACOBVS MAGNI Tolosanus S. Theologiæ Doctor excellentissimus, sacrarum Litterarum peritissimus. Eum ferè omnes Scriptores, etiamque vltimò warthon Anglus ex meis Ambrosio Corano, & Pamphilo, Toletanum asserunt, sed profectò, vt bene innuunt Herrera, & Torellus, ac Sammarthani in Gallia Christiana, Tolosæ mundo natus est, & Parisijs renatus Religioni; nam in expositione super Genesim se asserit alumnum Conuentus Parisiensis. In Vniuersitate Patauina extitit publicus Philosophiæ, & Theologiæ Professor. A Michaele Crencio Episcopo Antisiodorensi, & Regij Principis Confessario valde dilectus cùm fuisset; eidem tria Opera,

quæ

quæ vidi, dedicauit; videlicet Sophologium; expositionem super Genesim, & Philosophiæ compendium; ipsique in Regis Caroli VII; ante adeptum Regnum, non Sexti, vt aliqui corrigendo scribere volunt, in Confessarij munere successit. Obijt enim Michael Episcopus supradictus 1409. die 13. Octobris. Cùm autem Rex Carolus Sextus præclaras virtutes, & qualitates Iacobi prospexisset, ei Archiepiscopatum Burdigalensem obtulit: Sed noster, magnus, cognomine, & doctrina maluit in minimis ob humilitatis amorem permanere, quàm maiores dignitates conscendere; potiusque inter domesticos libros quietè viuere, quàm in altis cum periculo spirituali versari. Decessit in bona senectute secundùm aliquos 1415; vel 1422; sepultusque est in nostro magno Cęnobio Parisino. Inter celebrantes virtutes Iacobi Magni apparent omnes Scriptores Ordinis post Reuerendissimum Coranum, etiamque Posseuinus in App. sacro To. 2; Trithemius de Script. Ecclesiast; Sammarthani T. 2. Galliæ Christianæ pag. 324. n. 84. Gesnerus pag. 358; Frisius pag. 379; Nicolaus Antonius in Bibl. Hispanica veteri, ac vltimò Henricus Vvarthon pag. 49. Opera ab Iacobo post se relicta sunt sequentia. Quia Archiepiscopatum recusauit ipsius in laudem cecinit meus Nicasius Baxius Belga pag. 71.

Præsulis eximios hic non admisit honores:
Cætera sub Magni nomine magna latent.

Sophologium, seu opus de inquisitione Diuinæ Sapientiæ, diuisum in libros 10; principalis intentio Auctoris est inducere legentes ad amorem sapientiæ. Primò Parisijs 1477. die 1. Iunij per Martinum Crants, & Socios fol. Est in Bibl. Collegij Nauar, vt testatur eruditissimus Sorbonæ Bibliothecarius Cheuillier in Libro origin. impress. pag. 70. Deinde antiquis character. excussum fuit Lugduni 1495. 8. Postea Parisijs, per Gaspardum Philippe impensis Ioannis Petit 1506. 22. Augusti 4. Denique Lugduni cum Ioannis de S. Geminiano Opere de similitudinibus 1585. fol.

Liber bonorum morum, diuisus in quinque Tractatus. Primus agit de remedijs contra septem peccata mortalia. Secundus de statu Ecclesiæ. Tertius de statu Principum. Quartus de statu Cōmunis populi. Quintus de morte, & die Iudicij. Parisijs per Michaelem Nigrum fol. Hæc notitia ex nostro Elssio. Verùm valde suspicor idem esse cum Sophologio; nam isti quinque Tractatus in primo etiam adsunt.

Compendium Philosophiæ sic incipiens: Illustrissimi Principis Regis Frācorum deuotissimo Cōfessori D. Michaeli diuina prouidente gratia Episcopo Antisiodorensi

dorẽsi humilis sui patrocinij Capellanus Fr. Iacobus Magni Ordinis Eremitarum S. Augustini continuum famulandi affectum ; Compendium Philosophiæ, quod studentium, sociorumque meorũ contemplatione compegeram, vestræ paternæ dominationi solito more decreui adscribere, quod etiam nulli hominum hucusque adscripseram. *In fine adest*. Explicit præsens opus complete scriptum in vigilia Natiuitatis B. Mariæ Virginis anno Domini 1402. M. S. in memb. 4. in nostra Aprosiana Vintimilij. Ex principio huius libri, & subsequentis, expressè patet Michaelem fuisse confessariũ Principis Regis Frãcorum filij, scilicet Caroli VII; vnde etiam noster Iacobus, qui in munere successit &c. Miror, quomodò oculatus Herrera, qui pag. 429. retulit titulum exposit. super Genesim, eundem, ac supranotatum, hoc non aduerterit?

Expositio litteralis, mystica in Genesim per Iacobum Magnum Cõuentus Parisiensis Ordinis &c. M. S. Romæ in Angelica, erat etiam in nostra Ratisponæ.

Cõmẽtarij in vtriusq; Testamẽti Libros. Testantur Coriolanus, Roccha Sacrista, & Fabianus Iustinianus in indice vniu. pag. 2. in Elencho, qui super Bibliam.

In quatuor Sententiarum asserit Posseuinus in Bibl. selecta lib. 3. pag. 277. Quæstiones in Libros de Anima, & alia multa. Plura Opera Moralia eiusdem M. S. in Bibl. S. Victoris Parisiensis.

106. VEN. IACOBVS PEREZ S. T. Doctor, Patria Ajorensis in Regno Valenrino, doctrina, sanctitate, & exemplo commendabilis, ac in exponendis sacræ Scripturæ mysterijs admirabilis. Anno 1455. die 31. Maij in Generali congressu Auenionensi à Patribus suæ Prouinciæ, vti tunc mos erat, Prouincialis acclamatus. Anno 1459. in alio capitulo primo loco Præses deputatus, nec non 1461. Vicarius Generalis Aquarum viuarum Cenobij, additoque pariter sub eodẽ regimine Monasterio 1567. de Rochfort. Demum anno 1468. ad Vrbis Valentinæ preces, & præcipuè Cardinalis Vice-Cancellarij Roderici Borgiæ, postea Alexandri VI. Pontificis, Conuentus S. Mariæ Grariarum Prior à Generali Ordinis declaratus. Breui tamen sedit ad eiusdem gubernium, quia eodem anno, per obitum Michaelis Minoritæ, & Episcopi Christopolitani, Kalendis Octobris noster Iacobus, promouẽtẽ supradicto Card. Borgia tunc Episcopo Valentino, ad ipsam Christopolitanam titularem Cathedram, atque ad Propræsulatum Vrbis Valentiæ euectus extitit. Tempore, quo Præsulatus vices gerebat, erat pariter publicus Professor S. Scripturæ: Qua occasione composuit præclaram expositionem super Dauidicos Psalmos petentibus Valentinæ Ecclesiæ Canonicis,

dicauitque suo Mæcenati Cardinali Borgiæ. Edidit quoque aliam interpretationem Canticorum ferialium, Symboli Athanasij, Hymnique Augustini, & Ambrosij &c; vt infra, ac direxit Alphonso Aragonio Cesar-Augustæ Archipræsuli, Ferdinandi Regis Catholici filio. His in expositionibus plurima scitu dignissima referantur, inter quæ, duo notabilia transcribo. Asserit Iacobus auctorem Sacræ Scripturæ editionis Syriæ fuisse Ionatham Abenuziel Iudæum, qui 21. anno Octauiani Augusti, videlicet ante Natiuitatem Christi 21; transtulit totum vetus Testamentum in Linguam Chaldaicam, siue Syriacam, sensum potiùs de sensu, quàm verbum de verbo exprimens. Ac in expositione Psalmi vigesimi narrat hunc Ionatam multa de Christi diuinitate, ac de Sanctissima Trinitate mysteria explicasse, veluti in editione Psalmi secundi, in quo paraphrasticè illustrans sententiam illam: *Dominus dixit ad me: filius meus es tu, ego hodie genui te*. Scripsit; *Duo hic Pater, & filius, tres sunt in vna tertia Persona, Spiritu sancto, & hi tres vnum sunt, vna, inquam, substantia, vna essentia, & vnus Deus*. Quæ dum Ionathas litteris mandaret, repente vox de Cęlo audita est inquiens; *Quis est iste, qui audet secreta mea Gentibus reuelare?* Tunc Ionathas respondit: *Ego, Domine, ob reuerentiam, & gloriam nominis tui hoc tentare sum ausus*. In fine pariter expositionis cantici Abacuc exponit: *Dicunt Hebræi, quòd quatuor partes sunt in sacra Scriptura multùm difficiles ad intelligendum, quas non debent legere nisi prouecti, & antiqui Doctores: quarum prima est, primum, secundum, & tertium caput Libri Genesis. Secunda est Liber Canticorum Salomonis. Tertia Liber Ezechielis in primo capitulo, & à quadragesimo capite vsque ad finem. Quarta autem est Canticum Abacuc, quod ideo intitulatur Oratio Abacuc pro ignorantia; siue pro ignorantibus eo, quòd ab omnibus ignoratur eius vera intelligentia, vsquequò veniat Rex Messias ad declarandum ipsum*. Ven. autem noster Iacobus fuit Inquisitor Apostolicus in Regno Valentino. Per sexdecim annos Archiepiscopatus Valentini Gubernator; Eratque Aioræ, & Cœnobij Valentiæ filius. Sanctè in Domino requieuit die 30. Augusti 1490; & in Cœnobio Valentino hoc Elogio decoratur: *R. I. D. D. Iacobus Perez Valentinus Augustinianus Eremita, Psalmorum interpres, Christopolitanus Episcopus, iacet hic, obijtque salutis anno* 1490. Eius Corpus anno 1549. iussu S. Thomæ Villanouani Archiepiscopi Valentini in decenti, vbi nunc requie-

scit,

ſcit,loco collocatum fuit. Anno denique 1611;dum Prior eſſet M. Fr. Sebaſtianus Garcia, reſerato ſarchophago, inuentum eſt cerebrum, quaſi viui hominis recens; quo viſo D. Ioannes de Ribera tunc Archiepiſcopus, de Ven.Iacobi vita, & miraculis proceſſum efformari præcepit. Pro eo Zacharias Bouerius Capuccinus To. 2. Demonſtrationum Lib. 3. art. 4. pag. 112. ſcribit: *Præclaris voluminibus non ſolùm Eccleſiam illuſtrauit, ſed ſuis etiam regularis obſeruantiæ, ac vitæ probitatis normam, ac exemplar præbuit.* Laudant omnes noſtri, inter quos principales Venerabilis, & doctiſſimus P. Alphonſus ab Oroſco, ac eruditiſſimus Herrera. Alieni verò ſunt Sixtus Senenſis Lib. 4. Bibl. Sanctæ pag. 255; Petrus de Alua in Bibliotheca Conceptionis col. 654; Marraccius in Bibliot. Mariana To. p. pag. 638; accuratus Geſnerus pag. 365; Friſius 387; Nicolaus Antonius in Bibl. Hiſpanica veteri, ac vltimò Henricus Vvarthon pag. 101. Iodocus Badius Aſcenſius in præfatione ante expoſitionem Pſal. ad Clar. Theologum Ioannem Facaudum Abbatem Clarauallenſem hæc repoſuit: *Prudenter, cùm multi in Pſalterium ſcripſerint, expoſitionem Domini Iacobi Perez Chriſtopolitani Epiſcopi ſapientiſſimi cæteris prætuliſti; nam præter profundiſſimam, quæ in ea eſt, omnigenam rerum ſcientiam, & venerabilem ſtyli citra faſtidium fluentis claritatem, habet hoc peculiare, quòd (abſit verbi inuidia) nulla efficaciùs, aut vehementiùs nos ad Chriſtianam pietatem, &, vt vulgò dicitur, deuotionem excitet.* Opera igitur ſunt:

Commentaria in omnes Pſalmos Dauidicos Allegorica, & Analogica. Valentiæ per Lambertũ Palmart Alemanum 1493. fol.

Expoſitiones in Cãtica officialia *Benedictus* nempe, ac *Nunc dimittis*, *Gloria in Excelſis*, *Te Deũ laudamus*, & *Quicumque vult ſaluus eſſe*. Valentiæ per eumdem Palmart 1494; 95; & 96. fol. in noſtra Peruſiæ.

Commentaria in Cantica Canticorum Salomonis. Ibidem ijſdem annis fol.

Contra Iudæos Tractatus de Chriſto Reparatore generis humani, ac diſcuſſio finalis. Vtrùm ſolus Chriſtus ſit metrum, & menſura, & largitor omnium bonorum, & reparator humanæ naturæ? fol. cum ſupradictis. Denuò Pariſijs ſimul apud Aſcenſium 1498. fol; Lugduni apud Bernardum Roſier 1512. fol. ibidem apud Stephanum Coygnard 1413. fol; ac 1540. 4. Venetijs 1568. 2.To. in 4. Lugduni ex Officina Ioannis Thomæ 1514. fol; ac apud Iacobum Iuntam 1521.4; & alibi pluries.

107. IACOBVS PERVSINVS. Præclarum Cœnobium S. Augustini Perusiæ (vbi anno 1701. Conciones Annuales habui, qua occasione, inter quosdam viros doctos, fauorabiles expertus sum facundissimum Canonicum Guidarellum, & floridum vatem Illustrissimum Comitem Nicolaum Montemellinum) plures viros insignes produxit, quorum duos nostris Scriptoribus incognitos, tertiumque parum notum, hac occasione hic inserere volo, ne digna memoria pereat. Primus est Andreas de Perusio S. T. Doctor excellens. Hic anno 1317. in forma autentica præsentauit Reuerendissimo Episcopo Perusino Fratri Francisco Ord. Minorum Ioannis XXII. Priuilegium in Mendicantium fauorem emanatum, vt contradicētes compesceret. Instrumentum rogatum à Notario Pace q. Guidarellis Typhernatensis 16. Septembris anni supranotati asseruatur in Archiuo dicti Monasterij, sicut & Bulla sequens. Eidem namque Andreæ, tunc Episcopo Coronensi, & Prouinciali Valli-Spolletanæ concessit dictus Ioannes XXII. facultatem fundandi Monasteria Castri-Rigonis, & Castri-Gorciani 15. Kal. Martij Pont. anno 18. Christi verò 1333. Prima vice, nempe quando Andreas præsentauit Priuilegium, Monasteriū Perusinum ad Romanam Prouinciam pertinebat. Secundus, adhuc ab ordinis Historicis non nominatus, fuit Illustrissimus Ioannes Baptista Penne nobilis Perusinus, Theologus insignis, Sacræ Scripturæ Professor in Romana Vniuersitate, demum Vigiliarum Episcopus, qui cum bonæ vitæ fama expirauit anno 1664. Is edidit Italicè Romæ 1658. 4. per Angelum Bernabò vitam S. Thomæ Villanouani, licèt in ipsa nomen suum non appareat; ac Conciones eiusdem S. Thomæ vnà cum vita, Elogijs &c. apud eundem Romæ 1659. fol. nomine suo apposito. Huius insignis mentio extat in memorijs Episcoporum Vigiliensium eruditissimi Episcopi, ac benignissimi DD. Pōpei Sarnelli in eadem Cathedra sedentis, editis Neapoli apud Rosellum 1662. 4. Tertius deniquè, nunquam à nostris inter Scriptores repositus, fuit *Iacobus de Perusio*. Hic S. T. Doctor fundatus, anno 1352. 14. Kal. Maij à Clemente Sexto electus Episcopus Tarracinæ in Campania sub Pontificia ditione ad limites Neapolitani Regni propè Maris ripam. Per annos ferè decem Sponsam sibi commissam perfectè rexit, & tandem 1362. mense Ianuarij ad æternam requiem sibi desponsandam feliciter transijt. Primus inter Scriptores

enume-

enumerauit Iacobum Episcopum eruditus amicus Augustinus Oldoinus Iesuita in Athenæo Augusto Perusiæ edito 1678; asseruitque illum scripsisse opus *in quatuor sententiarum*. Obseruaui quoque in nostra Bibliotheca Perusina *expositionem super Threnos, seu lamentationes Ieremiæ, & super sententias partim in membrana, & partim in charta descriptam*; in medio apparet Episcopus Augustinianus cum birretto in capite, scilicet in habitu domestico, & librum apertum in manu gerens cum aliquibus verbis, quæ omni adhibita diligentia etiam ab oculato, & eloquenti Magistro studij Ferdinando Gauardi, quid exponant, haurire non potuimus. Suspicor verò esse compositum opus ab Episcopo nostro Iacobo, tamen est pene à vetustate consumptum. Nominant hunc Episcopum Tarracinensem Vghellus To.1. Italiæ Sacræ par.2.col.208; ac mei Herrera, Elssius, & Torellus. Hi tres etiam numerant inter nostros Mitratos Iacobum Castelbono Perusinum Episcopum Florentinum, sed immeritò; nam fuit Ordinis Prædicatorum, vt claré ex Vghello To.3.col.167; & ex Bulla Honorij IV. inibi reposita. Tollat igitur vnusquisque quod suum est. De alijs plurimis viris præclaris Augustinianis Perusinis in alia parte, meliùs loquar, præcisè de Reuerendissimo Thaddæo Guidarelli, qui Episcopatum Perusinum humiliter recusauit, cuius commentaria in Osea edere parat doctus amicus S.T.Magister, & Prior Thomas Nicolaus de Cinquinis.

108. IACOBVS PHILIPPVS FORESTVS. Ex antiqua, nobilique Familia Foresta in loco Soldij, Bergomensis Territorij, suæ Domus Comitatus, anno 1434. ortum duxit celeberrimus vir Iacobus Philippus. Cùm ingenium viuidum, & ad discendum promptum sortitus fuisset, facili cursu minora studia pertransiuit. Augustinianis obseruantium moribus amore attractus anno 1451. è manibus B. Ioannis Nouariensis Bergomensis Cænobij Prioris habitum suscepit. Religiosus effectus, ex intimo animum applicuit ad Deo seruiendum, & ad scientias adipiscendas. Licèt alienissimus viueret ab Ordinis dignitatibus, & gubernijs, tamen declinare non potuit, quin ad aliqua Monasteriorum regimina aliquando præficeretur: Quapropter Prioris gessit munus non sine vtilitate Conuentuum Imolæ, & Foroliuij. Eius verò prudentia, & industria in suo Bergomensi Cænobio regendo meliùs effulsere: Nam inibi aliqua ædificia vtilia excitauit; Bibliothecam ampliauit

illu-

illustrauit, ac numerosis, eruditissimisque Codicibus exornauit; nomenque suum non in lapidibus, sed in Religiosorum cordibus insculpsit. Primaria porrò nostri Foresti cura in his rebus licèt præclaris, minoribus tamen, non se continuit, erat enim directa assiduè ad sacra, & profana volumina euoluenda, ad antiquos, & coæuos Scriptores cognoscendos intenta; vnde, vt nominis sui fama per Orbem celebris diuagaret, Chronicon Orbis perfecit. Prima vice vsque ad annum 1485. deductum, edidit eodem anno Brixiæ, ac Magistratui Bergomensi dicauit. Secunda vice correctū, & vsque ad annum 1486. protractum, impressioni tradidit Venetijs etiam 1486. Deniq; repolitum, illustratum, & ampliatum vsque ad annum 1503; ac inscriptum supplementum supplementi Chronicorum Orbis, dicatumque Cardinali S. Praxedi Antonioto Pallauicino, edidit Venetijs eodem anno, vt inferiùs patebit. Hanc ob causam Forestus à pluribus fuit nobilissimis encomijs decoratus. Eum Trithemius contemporaneus vocauit *Historicum celeberrimum*, Chroniconque dixit *Volumen grande*, *&* *insigne*. Paulus Langius etiam coæuus in Chronico Citizensi *Historiographum*, *&* *Theosophum validum* nominauit. Vt verò cæteros prætermittam, Paulus Bolduanus Stolpensis in sua Bibliotheca Historica Lipsiæ impressa à Friderico Lanckisio 1620. 4. pag. 61. scripsit. *Iacobi Philippi Bergomensis Chronicon Libris 16. ab initio mundi vsque ad annum Christi 1503, cui addita est accessio breuis ad annum 1535. lectu vtilissimum, & iucundissimum est. Vniuersam enim Ecclesiæ Dei, & Imperiorum historiam, & Vrbium præcipuarum in tota ferè Europa origines, & res gestas, & omnium Illustrium virorum, Principum, Doctorum, Artificum, Sanctorum, Martyrum, & aliorum vitam breuiter, & neruosè expositam, notatis simul, & accuratè distinctis temporibus, & annorum serie obseruata, complectitur*. Verùm apprimè doctus Cardinalis Bona in Indice Auctorum Harmoniæ psallentis Ecclesiæ quædam verba reposuit aliqualiter obscurantia qualitatem Chronicorum Bergomensis, nempe *Iacobi Philippi Foresti Bergomensis egregium opus, quod prænotauit supplementum Chronicorum, in quo tamen nihil alijs indictum dicit*. Sed notandum venit, quòd crisim, quam pro Libro de claris mulieribus protulerat cum aliquo fundamento Wicelius in Hagiologio, Eminentissimus Purpuratus vertit ad Chronicon. Cui respondeo; vniuersaliter verum non esse; nam Forestus in suis Chronicis etiam inseruit res memo-

memorabiles, & viros insignes sui temporis. Si autem Cardinalis loquitur de temporibus anteactis; Quis non videat, crisim non officere? Nam quid poterat historicus veridicus dicere non dictum, nisi fingere voluisset? Ad eos postea, inter quos vidi etiam Andream Guarna, qui censurarunt Forestum ob linguam latinā non cultam, respondit facundissimus concionator olim amicus Thomas de Simeonibus à Monteleone mei Ordinis S.T. Magister. *Hanc mei Iacobi Philippi Bergomensis de Proba Poetria narrationem ad ampliorem eiusdem notitiam, placuit adnectere, cùm cæteroquin cruda illius æui latinitas, haud parum insuauis nuperorum eruditorum auribus futura iam mihi videretur, tamen si tempora animaduerterint, eam in sententiam Vuicelij, quam in Præfatione Hagiologij de hoc* Scriptore *pronunciauit, eos ire non dubito, videlicet. Hunc paulò cultiùs narrare, quàm barbari priorum sæculorum soleant*. Hoc ex pag. 70. lib. sequentis: Historica Dissertatio Romana Ecclesiastica de tollenda penes grauissimos Scriptores inolita ambiguitate, & confusione inter duas antiquas Romanas Matronas, professione Christiana celebres, videlicet, Aniciam Faltoniam Probam, & Valeriam Faltoniam Probam Adelphij Proconsulis Coniugem Poetriam ingeniosissimam. Bononiæ apud hæredes Antonij Pisarij 1692.4. Demum nostrum Forestum egregiè tutatus est contra Vadingum in responsione Pacifica pag. 380; & sequentibus meus accuratissimus Herrera, nec non in Clypeo Responsionis Matriti edito. Nemo porrò miretur opus nostri Bergomensis Censores habuisse; nam opus humile à nullis arietatur, nec castris apertis, sed muuitissimis bellum indicitur. Vixit feliciter Iacobus Philippus vsq; ad annum 1520; obdormiuitque in Domino ætatis 86; Religionis 69. die 15. Iunij. Laudatur ab omnibus nostris post Pamphilum, & præcisè à proferente imaginem ad viuum Donato Caluo in scena Litteraria Bergomensi pag. 196; & seq. Exteri celebrantes sunt Posseuinus To. 2. Appar; qui non bene corrigitur à Gerardo Ioanne Vossio lib. 3. de Historicis Latinis pag. 662; nam vera est opinio Posseuini de editione 1486. Veneta, ac etiam opinio Vossij de editione Brixiensi, sicut & deceptus est meus Herrera putans non adesse aliquam editionem anni 1503; quam infra ostendam. Qui igitur omnes editiones alicuius operis non vidit, cautè incedat in contradicendo; etiamque Gesnerus in Bibl. pag. 360; Frisius pag. 382; Marraccius Tom. 1. Marianæ pag. 638; Petrus de Alua in Bibl.

Con-

Conceptionis pag.656;alijque. Iacobus Gaddus de script.non Eccl.pag.65. vocat ipsum inaduertenter Iacobū Philosophum, plurima verò profert in laudem ipsius, aliquosue Criticos nimis accerbos innuit, meo iudicio inconsideratos. Quis enim vmquam opus magnum, numerosumque edidit, & non in aliquo errauit? Parum defecit Bellarminus in assignando termino suppl.ann.1436;sed plus errauit Gaddius corrigere volens; nam primæ editiones tantùm libros quindecim continebant. Iure tamen merito culpatur Forestus à Gerardo Ioanne Vossio de Hist.Latinis lib.3.pag.550; quia opus obscurum, & fædum Facetiarum Poggij Florentini incautè vocauit pulcherrimum; Achilles Mutius Par. 4. Theatri Bergomensis hæc cecinit pag. 56.à tergo.

Alter Iacobus, cui dictio iuncta Philippi
Nomen, cognomen stirpsque Foresta dedit.
A primo Annales orsus miro Ordine, mundo
Perpetuos ducit tempora ad vsque sua.
Hinc celebrat multas Heroidas, & genus æquat
Fæmineum magnis masculaque acta viris.

Supplementum Chronicorum Orbis ab initio Mundi vsque ad annum 1485. Brixiæ per Boninum de Boninis de Ragusia 1485. fol. Denuo auctum vsque ad annum 1486; vt expressè patet in fine, impressum Venetijs per Bernardinum de Benalijs Bergomensem 1486. fol. Postea Venetijs per Bernardum Rizum de Nouaria 1490; fol. Demum repercussum, ac deductum vsque ad annum 1503. cum titulo: *Supplementum Supplementi Chronicorum.* Venetijs per Albertinum de Lissona Vercellensem 1503. die 4. Maij fol. Ac ibidem 1506. impensis Georgij de Rusconibus. Postremò repurgatum, & Bernardi Bindoni Appendice 32; annorum auctum prælo traditum Parisijs apud Simonem Colineum 1535; & Venetijs 1547. fol. Etiam Italicè editum est opus, & deductum vsque ad annum 1481; per Franciscum Sansouinum impr. Venetijs apud Altobellum Salicatum Tom.2 in4. anno supradicto 1481: impressio tamen secunda.

Vita Mariç Virg. perpetuæ. Deique Genitricis gloriosiss; Cælorum, atque Angelorum Reginæ. Ferrariæ 1496. fol. ex Marraccio; hanc verò esse eandem cum ea, quę est in sequenti opere de claris Mulieribus existimo.

De claris Mulieribus Christianis Commentarius. Ferrariæ 1497. fol. expensis Laurentij de Rubeis de Valentia. Parisijs 1521. per Simonem Colineum fol.

Confessionale, seu Interrogatorium aliorū nouissimum, dicatum Io: Mariæ Dominici Veneto Generali Canonicorum S. Saluatoris Venetijs per Petrum Bergo-

men-

mensē 1500.8;ac primò per Bernardinum Benalium 1487.4. etiā Antuerpiæ 1516.8.

In principio Libri Historiarum seu Decadū Marci Antonij Coccij Sabellici editionis Venetæ per Andream de Torresanis 1487; fol; qui Liber est Senis in nostra Martiniana, habetur vita eiusdem Sabellici, nec non Epistola in laudem Operis ad Senatorem nobilissimum Dominicum Gallianum data in Æde D.P. Augustini Lucę 1493; quinto Idus Februarij auctore nostro Iacobo Philippo Foresto manu impressoria, & pulchra.

In D. Lucam Euangelistam, Commentaria scripsisse dicitur.

109. B. IOANNES BAPTISTA PODIVS Genuensis Patritius. Mater ipsius, vt asseruit mihi, cùm essem Prior S.Mariæ Consolationis Genuæ, senex S.Georgij Notarius apparere in Comperis dicti S.Georgij, fuit ex nobili Prosapia Marina. Eo quòd antiqua Regesta meæ Congregationis tempore pestis deperdita sint, ideo vlla antiquior memoria ipsius non inuenitur, nisi in iam citato Manuscripto membranaceo S.Augustini Sauonæ, in quo cernitur ipsum Religiosum Congregationis Lombardiæ fuisse ante annum 1462. In actis quoque eiusdem Congr. extat, quòd in Capitulo Mutinæ 1468. celebrato Fr. Ioannes Baptista de Genua Concionator, & Confessor designatus fuit Socius Vicarij Generalis Augustini de Crema. Cùm esset anno 1471. Magister Novitiorum in Cænobio S.Mariæ de Cella S.Petri in arena, secum ducens aliquos Nouitios, ad meam Congregationem Ianuensem instituendam accessit. Ac anno 1473; vt ex Regestis Ordinis ostendit Herrera, 22. Maij obtinuit facultatem, & titulum à Reuerendissimo Iacobo Aquilano Generali, sic enim iste notauit. *Concessimus Fratri Ioanni Baptistæ de Podio de Ianua, & cæteris Fratribus per eum congregatis &c; & titulum Congregationis eis dedimus, vt dicta Congregatio debeat appellari, & nominari Congregatio Sanctæ Mariæ de Consolatione Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini de Obseruantia de Pedemontibus, & quòd nulli alteri, nisi Generali subijciatur &c.* Inde supradictus Herrera sequitur. *Ecce celebris illius Congregationis certa natiuitas. Vnde Mirræum corriges, qui sub anno 1486. eam exortam affirmat.* Confirmata etiam fuit eadem Congregatio, à B. Io. Baptista instituta, 1482. à Generali Ambrosio Corano; & 1489. à B.Anselmo Montefalconio. Ab eodem Anselmo die 8. Iunij eiusdem anni, electus Podius antea à Congr. Patribus, confirmatur in Vicarium Generalem, & adhuc durabat in regimine anno

 1492.

1492. 30.Iunij. Denique plenus bonis virtutibus, ac sanctis operibus illustratus ad supernam Beatorum Congregationem euolauit die 31. Maij an.1497. Hoc expresse patet ex vera Imagine in ære incisa asseruata in Angelica Romæ cum subscriptione sequenti: *B.Fr.Ioannes Baptista Podius Genuensis Congreg. S.Mariæ de Consolatione institutor 1471. obijt pridie Cal. Iunij* 1497. Augustinus Iustinianus Nebiensis Episcopus contemporaneus, quippe qui Religionem Dominicanam ingressus est 1487; in Annalibus Genuensibus ad an. 1472. scripsit: *Eo tempore floruit Ven. Pater Fr. Baptista de Podio Genuensis Ord. D.Augustini de obseruantia, Religiosus quidem, & vitæ integritate, & congruenti eruditione decoratus; vt ex multis dignis operibus perspicuè intelligi potest; quandoquidem, vt percupidus religiosæ, & reformatæ vitæ, sub titulo S. Mariæ Consolationis instituit, & fundauit dignam Congregationem Fratrum de obseruantia S.Augustini, soccos ligneos gestantium, maiori abstinentia, & paupertate, quàm aliæ multæ Congregationes*: Et post plura alia narrata, præcisè ab ipso fundata decem Monasteria, scilicet S. Mariæ Consolationis Genuæ, S.M.Consol.Plebis Theijci (quod suo loco, vbi de Plebe loquitur, asserit inibi positum primum fundamentum Congregationis) Rapalli, Montisbruni, Sauonæ, Vneliæ, Vintimilij, Ceuæ, Montisregalis, & Albæ in Monteferrato, ac duo recepta: nempe Niceæ in Prouincia, & alterum in montibus apud Tendam, concludit. *Induit prætereà multos viros probos habitu, ad suam Religionem allectos bono suæ sanctitatis odore. Erat valde humilis, suoque in sermone iucundus, & in Italia admodum salutifer, in explicando verbo Dei, & in suis actionibus singulari refertus charitate, qua de causa apud viros insignes diffundebatur fama sua, & bonus odor operum suorum, ob quæ gratissimus apparebat, & specialiter acceptus à Carolo Rege Galliæ, & Galeatio Vicecomite Mediolanensium Duce, singulariterque ab illis dilectus: Demum perseuerans in ministerio Verbi Dei, & multis alijs bonis, & sanctis operibus, tandem requieuit in pace.* Eum Ven.Alphonsus ab Orosco, & Hieronymus Roman Hispani, qui parum distantes à nostro Podio floruere, Beatum vocarunt, etiamque plurimi moderni. Propter suorum ingratitudinem Congr. à se fundatam deserere, & Romam adire coactus fuit, quod aliqui viri præclari, etiam moderni, experti sunt. Quo loco posteà, & quomodò sanctè decesserit, cùm sit incertum, traditionem aperuit Marianus Grimaldus Augusti-

nianus

nianus Excalceatus in Sanctuario Vrbis Genuæ inibi edito 1613. 4; sic scribens in Principio: *De eius vita memoriam non conseruarunt antiqui Patres illius Congregationis, nisi quòd per traditionem dicunt, eum obijsse in mari, cùm iter ageret: & quòd nautæ nolentes eum piscibus tradere, quem, vt sanctum, venerabantur, miserunt illum in vas quoddam ligneum, quod posteà in alto mari magno splendore circumdatum à Plumbinensibus visum fuit, qui subito ad designatum locum nauiculis peruenientes, & cadauer inuenientes, illud in suo oppido honorificè sepelierunt. Sed licèt sic enarrent, cùm non habeat maius fundamentum, nec affirmamus, nec negamus.* Audiui tamen à viris fide dignis corpus ipsius extare non longè à Plumbino in Ecclesia Fratrum Minorum Obseruantiæ, vulgò S. Mariæ Montis Muri. Commendarunt B. Io: Baptistam nostrum, vltra omnes Ordinis Historicos, Augustinus ab Ecclesia, Salutiorum Episcopus in Corona Regali Sabaudiæ Par. 2. pag. 299. loquens de nostro Monasterio Ceuæ, scripsitque: *Erectum fuit extra Terram à P. Ioanne Baptista Podio Genuen. vita sancta.* Ioannes Petrus Crescentius Hieronymianus in Pręsidio Romano lib. 3. pag. 99; & 100. *Congregatio Genuensis, quæ numquam viris magnis caruit, habetque aliqua Cænobia in Insubria, incepit sub Generalatu Iacobi de Aquila, qui sedebat 1471; opera B. Baptistæ Podij Genuensis, viri magnæ doctrinæ, & vitæ multùm austeræ, atque perfectæ.* Octauius Pancirolus Canonicus Regij Emiliæ in Thesauris absconditis Almæ Vrbis, impressis Romæ 1625. 8. pag. 717. disserens de Ecclesia S. Georgij nostræ Congregationis data 1612. ab Eminentissimo Iacobo Serra Genuen. tunc titulari (nunc restaurata, & ornata ab Eminentissimo Protectore benignissimo pariter titulari, & Principe Iosepho Renato Imperiali) scripsit: *Hæc reformatio originem habuit Genuæ 1470. ab vno Fratre Eremitano Genuen. Baptista Podio dicto, qui in litteris, & virtutibus multùm in Orbe conspicuus fuit, & vt se conformaret disciplinæ, & regulæ, quam D. Augustinus ante Episcopatum Eremitis suis tradidit, vt in sua Ecclesia iam scripsi, eam amplexus est cum alijs Fratribus, qui erant in Monasterio Consolationis extra Genuam.* Vltimò denique extollunt Raphael Sopranus, & Augustinus Oldoinus in Liguriæ Scriptoribus: Qui vltimus addit: *Tantus hic vir Opuscula plura pia, deuotaque in morte reliquit, quæ suorum incuria perierunt. Extant tamen ex Raphaele Soprano Genuæ in Cænobio sui Ordinis*

M.S.Conciones Quadragesimales. Has verò Conciones hoc anno 1703. adinuenire non valui. Forsan etiam in demolitione antiqui Conuentus, & translatione Bibliothecæ defecerunt. Mirum nihilominus non sit, antiquos Congregationis Patres Opera M.S.B.Baptistæ non reposuisse; nam tunc ad morum culturam magis, quàm ingenij prospiciebant. Aliqua in eius laudem exhibet R.P. Hylarion à S. Antonio in Vita S.Catharinæ Suetiæ par.2.cap.4.fol.302; & 303; qui fol.296.B. Baptistam Podium nostrum virum sanctissimum appellauit. Nominant etiam Papebrochius, & Socij ad diem 31. Maij inter prætermissos; ac Anonymus Sacerdos excalceatus Aug. in Speciminibus Chronologicis Genuæ Vrbis, ibidem impressis per Cellam, & Seminum 1692.in 12. pag.148. En præclarum Elogium à P.Magistro Ludouico de Casa meo confectum, iam in veteri Monasterio sub Beati statua expositum: *Memento Congregationis tuæ, quam possedisti ab initio* 1471.

B.Ioannes Baptista Podius
Patritius Genuensis, Augustinianus.
Cõgregationis S.Mariæ de Consolatione Institutor, Cœnobijq; Fũdator,
Arctiorem viam aggressus, quæ ducit ad vitam
Præcursoris nomen, & munus impleuit.
Sanctimoniæ æquè, ac doctrinæ luce conspicuus,
Euangelicum Præconem facundia, & virtutibus exprimens,
Altera vox clamantis in deserto Religionis insonuit.
Virum æternitate dignissimum cecidisse rata, Mors, falleris.
Claustralem obseruantiam, quam viuus inuexit,
Mortuus vigere desiderans
Etiam nunc stat:
Congregationis erectus in titulum, Patriæ in ornamentum,
Disciplinæ in basim, Filijs in exemplum.

110. IOANNES DE BASILEA, Theutonicus, tam in sacris, quàm in humanis litteris nominatissimus. Doctrinæ, & sanctitatis opinione tantùm apud suos Germanos, nec non apud Gallos valuit, vt meritò ab omnibus suspiceretur. A pluribus Principibus, Episcopis, & Magnatibus rebus in grauissimis Consiliarius fidus, & proficuus experrus. Eius prudentia specialiter vsus fuit ReuerendissimusThomas de Argentina, ne, dum Pontifex excommunicauit Imperatorem, & Interdi-

cto Ecclesiastico subiecit, his in controuersijs Fides catholica obfuscaretur. Diuisiones aliquas inter Lotharingicam, & Burgundicam Serenissimas Domos prudenter composuit, & oculata diligentia sopiuit: Plurimaque alia ad Christianæ Reipublicæ vtilitatem gessit. Eruditus Herrera putat hunc Ioannem eundem esse cum Ioanne de Basilea, qui à Clemente VII. nuncupato Auenione sedente electus fuerat Antigeneralis Ordinis ann. 1387; vt ex Regestis Bartholomæi Veneti Generalis, ni velimus duos Ioannes de Basilea eodem tempore viuentes assignare: Sed cùm Pamphilus distinctè proferat Ioannem de Basilea, de quo loquimur, obijsse Basileæ 1378. die 15. Octobris ætatis 70; mihi difficile apparet eundem esse potuisse; incongruum enim non mihi videtur in eodem Basileensi Cœnobio magno aliquo tempore simul adesse potuisse duos Magistros Ioannes, seniorem unum, iuniorem alterum. Episcopum fuisse nostrum Ioannem de Basilea asserunt Petrus de Alua in Bibliotheca Conceptionis col. 732; Ioannes Vitalis in suo Defensorio lib. 4. Ancilla 7; & Alanus, ac testantur in suis Sententiarum Libris scripsisse in fauorem purissimæ Marianæ Conceptionis: Tamen quia sedem Episcopalem non assignant, & nihil de Episcopatu apud Scriptores Ordinis inueni; ideo nec affirmare audeo, nec negare volo. Commendant hunc Ioannem omnes Scriptores nostri, ac supradicti Alua, & Vitalis. *Scripsit super quatuor Libros Sententiarum Volumina quatuor, quæ olim seruabantur in nostra Ratisponensi Bibl; vt Hieronymus Roman Hispanus testatur, quorum secundum extat adhuc in nostra Mediolani Marciana M.S. fol; in cuius fine hæc duo Disticha conspiciuntur*:

Augustine Pater, mutata veste tua ter
Es factus Frater, bis candidus, & semel ater.

Aliud.

Virtus, Ecclesia, Clerus, Dæmon, Symonia,
Cessat, calcatur, errat, regnat, dominatur.

111. IOANNES BECHOFFEN Gallus S. T. D. in sacris rebus egregiè versatus, cuius memoria apud Scriptores Ordinis post Pamphilum. Floruit anno 1500. Eius meminit etiam Posseuinus in Appar. Sacro pag. 824; & Frisius in sua Bibl. vniuersali pag. 409; nihil tamen de ipso, nisi eum edidisse sequens Opus: *Quadruplex Missalis expositio, Litteralis, Allegorica, Tropologica, & Anagogica. Basileæ per Michaelem Furter 1509. fol.*

112. IOAN-

112. IOANNES BERNARDVS FORTIS Sauonensis; vir magnæ Religionis, & sanctitatis, in Scripturis Diuinis nobiliter doctus, Scriptorumque veterum lectione diues, ac omnium virtutum genere refertus. Anno 1462. in Monasterio S. Mariæ de Cella Genuæ Religionem ingressus, Religioni, & studijs amanter viuere cæpit. Anno 1484. Vocabularium Ecclesiasticum perfecit à Mamotrecto, Papia, & alijs collectum, quod deinde auxerunt Benedictus Puccius Camaldulēsis, Bernardinus Morellus, & Ioannes Baptista Conradus. Promouit, & instituit in Vrbe Sauonæ Monasterium nostrarum Monialium sub Sanctissimæ Annunciatæ titulo, confecitque Historiam breuem Fundationis, ac catalogum Monialium, quæ ibidem vsque ad annum 1503. sanctitate claruerunt. Quia vt verus Religiosus, Monasterium suum S. Augustini Sauonæ ardenter diligebat, vt perpetuò conseruaretur, exactam notitiam omnium eiusdem bonorum compilauit, & in Libro membr. vltra 200. annorum depinxit cum epistola formæ sequentis: *Venerando Patri in Christo Fratri Dauid de Pluzasco curam habenti loci S. Bartholomæi nemoris Sauonæ Fr. Bernardus Fortis Sauonensis Ord. S. Aug. salutem. Quia cupis scire, quæ bona habeat ad presens Monasterium nostrum S. Augustini Sauonæ, breuiter hæc tibi significo &c.* concludit: *Potes igitur seruare has litteras penes te, propter hoc maximè, vt possis dicere interrogantibus, quantum expendiderit de suo Monasterium nostrum Sauonense in augumentum loci S. Bartholomæi. Vale ex dicto Monast. v. Kal. Augusti* 1495. Decessit Sauonæ circa 1504; sepultus in nostra S. Augustini Ecclesia: Hic ille idem est, qui vocatur à meo Hieronymo Roman. *totius nostræ Religionis lumen, & ornamentum*; ideo non distinguendus. Commendant talem virum præclarum Scriptores Ordinis à Pamphilo inferiùs; nec non Frisius in Gesneriana pag. 410; Posseuinus To. 2. Appar. pag. 122; atque meliùs in Scriptoribus Liguriæ Abbas Iustinianus, Sopranis, & Oldoinus Iesuita. Opera ipsius sunt.

Vocabularium Ecclesiasticum coadunatum,& dispositum à paupere Sacerdote Christi Fr. Ioanne Bernardo Sauonense S. Ord. Erem. S. Augustini Obseruantium. In principio adest hoc Thetrasticon:

Significata volens Scripturæ noscere sacræ,
Hæc legat; explanat saxea verba piè.
Quicquid & exposuit libratus pondere forti.
Auctoresq; graues testificãtur ea.

Medio-

Mediolani per solertem Opificem Leonardum Pachel 1495. v. Nouembris 8. Ibidem per Alexādrum Delizonum, ad impensas Gottardi de Ponte 1503. 8. Perusiæ apud Cononum Veronensē 1518. 8. Venetijs per Franciscum Bindonum 1535. 8; ac per Vianū 1563; & per Carampellum 1575; alibique pluries.

Fons Charitatis, opus dicatū R. P. Laurentio Guillelmo Traversagno Ord. Minorum, in quo cum ingenij subtilitate infinitos textus Canticorum Salomonis explicauit. Mediolani apud Leonardum Pachel 1496. 4.

Recollectorium de veritate Conceptionis B. Mariæ Virginis typis impressum, sed non vidi.

Historia fundationis Monialiū iam supranominata.

Historias Patrias compillauit, seu in arctum collegit Opus Petri Garæ Conciuis sui. Laudatur quoque à Io. Vincentio Versellino in Memorijs historicis Sauonensibus, & à Donato Caluo apud Iustinianum.

313. IOANNES BVRIENSIS, vel de S. Edemundo, à loco natali Comitatus Suffolcensis sic cognominatus, Anglus, Cœnobij Clarensis, S. T. Doctor Cantabrigiensis; Religiosus, Lelandi attestatione, pius, & doctus tam in sacris, quàm in profanis Litteris, nec non Verbi Dei excellens disseminator. Ob egregios mores, & doctrinam à suis Patribus prospectus, electus fuit in Prouincialem 1459. die 5. Augusti in Capitulo Erfordiæ, & die 10. Februarij 1460. à Reuerendissimo Ordinis Moderatore confirmatus. Reelectus deinde 1462; non obstante Bulla Martini V. vetante, quæ tamen fuerat à Nicolao V. declarata non habere locum in Vltramontanis Prouincijs tempore Pestis, Belli &c. Verùm obtenta à Reuerendissimo Dom. Francisco de Coppinis Pij II. Oratore cum facultate Legati à Latere dispensatione, gubernium prosecutus est. Bis designatus quoque extitit suæ Prouinciæ Capituli Præses: Denuoque 1476. in Prouincialem pro tertia vice assumptus, die 12. Ianuarij à Generali confirmatur. Zelus ipsius contra Hæreticos feruens, quoad poterat, nullibi quiescere patiebatur. Cùm Reginaldus Pauo, Anglicè Peacock, vir iuxta cognomen elatus, & superbus, Episcopus Asaphensis, posteà Cicestriensis arrogantibus libellis de libertate Euangelij, de Secularium potestate, de æqualitate ministrorum, de legibus, & doctrinis hominum, de vtriusque speciei communione, de non dotandis Clericis, vniversam Angliam inficere conaretur; noster Ioannes viriliter se opposuit, editisque libris ad Archiepiscopum Cantuariensem Thomam Burcherium S. R. Ecclesiæ Cardinalem

lem directis; omnique orthodoxa eruditione refertis; viam veritatis demonstrauit: Quo anno demum decesserit Ioannes Buriensis, hucusque non inueni. Vtinam in Anglia, quæ viros eruditissimos alit, & Bibliothecas refertissimas possidet, aliqui denuo suorum Scriptorum Historiam texerēt; plura enim meliùs clarificarentur. Hac occasione rectè factum iudico corrigere lapsum nostri Torelli To. vj. Sæculorum Aug. ad an. 1404. n. 5; qui ex textu Historiæ Anglicæ Nicolai Arpsfeldij sæculi 15. cap. 30. malè intellecto, asseruit Reginaldum Peacock fuisse Ordinis nostri. Equidem Peacock fuit in Episcopatu Cicestriensi successor nostri Ioannis Trauorij, vt bene dicit Arpsfeldius, sed ipse Presbyter sæcularis erat, non Ordinis nostri, vt videre est apud Henricum Vvarthon pag. 84. Nominant nostrum Buriensem cum laude omnes Scriptores Ordinis, etiamque Pitsæus de Angliæ Scriptoribus ætate 15; citatus Lelandus, & Balæus, nec non Frisius pag. 414. Scripta, quæ post se reliquit, sunt:

Commentaria in D. Lucam lib. 1. Incipit: *Quia omni legitimè certanti*.

Lecturas Sacræ Scripturæ li. 1.

Variarum quæstionum lib. 1.

Contra Reginaldum Pauonem lib. 2. Incipiunt: *Sæpe vobis, onilique vestro*.

Sermonum diuersorum lib. 1.

Aliaque plurima.

114. IOANNES CAPGRAVIVS Anglus, Patria Cantianus, Cantuariensis Monasterij filius. Anno 1423. S.T. Doctor Cantabrigiensis creatus. Anno posteà 1453; & 1455. Anglicanæ Prouinciæ moderator. Hunfrido Glocestriæ Duci, & Henrici V. Regis Fratri à sacris Confessionibus, & Cōsiliarius fuit. Inter Theologos Anglos sui tēporis ~~primatū tenuit~~, eratq; feruens sacri Euangelij disseminator, Philosophus acutus, in Scripturis Diuinis versatissimus, nec non eloquens Historicus. Sophistarum somnijs parum, aut nihil tribuebat; quia sciebat ex illis non aliud gigni, quàm inutilium rerum quæstiones: Eisdem ingenij dotibus adiunxit morum candorem singularem, mansuetudinem, benignitatem, affabilitatem, animi moderationem, prudentiam, dexteritatem, ac vitæ integritatem. His splendoribus illustratus, omnium oculis amabilem, & venerabilem se reddidit. Profectò nullus ex Augustinianis, quos produxit magna Britania, nostro Capgrauio præferendus est. Piè decessit non sine bonæ famæ odore (itaut ab aliquibus nostris inter Beatos numeretur)

Linnæ

Linnæ apud Nordouolgios 1464; iuxta Pamphilum, & Balæum: Secundùm verò Pitsæum, quem sequuntur Vossius, Mirçus, & Labbeus, anno 1484. Nominant iustis præconijs decorantes omnes Ordinis Historici, ac citati Balæus, & Pitsæus in Scriptoribus Anglis, Vossius de Historicis Latinis Lib. 3. pag. 633; Frisius in Gesneriana pag. 418; Labbeus in Bibl: Bibliothecarum pag. 85; ac vltimò, & eruditè Henricus Varthon in append: ad Caue pag. 89; qui etiam scribit: *Quàplurima partim Historica, partim Theologica ingenij sui monumenta planè non contemnenda post se reliquit. In primis verò in totam sacram Scripturam commentatus esse dicitur.* Quæ extant, sunt illa, quę vbinam adhuc asseruentur, notatur, videlicet.

Catalogus, siue Legenda Sanctorum Angliæ excussa. Londini typis Vuinandi de Vuorde 1516. fol. Citant sæpiùs, & ex ea aliqua producunt Papebrochius, & Socij, præcisè in 2. To. Iunij pag. 136.

Commentarius in Genesim asseruatur in Bibliot. Orioléſi Oxonij Cod. 20.

In Acta Apostolorum in Bibl. Baliolensi Oxonij Cod. 171.

De Symbolo ibidem Cod: 172.

Historia de inclytis Henricis omnibus, Regibus, Imperatoribus, Scriptoribus, alijsque ad Henricum VI. Angliæ Regem M. S. in Bibl. Collegij S. Benedicti, seu Corporis Christi Cantabrigiæ N. 269. Habetur eadem, tacito tamen Capgrauij nomine, in Bibliotheca Cottoniana sub effigie Tiberij D. 15. n. 4. Vita S. Gilberti auctoris Ordinis Sempringhamij Anglicè scripta.

Super Exodum lib. 1. Incipit. *Quia historiam.*

Super Leuiticum lib. 1. *Occultissimorum Mysteriorum.*

Super Numeros lib. 1. *Ex Nicolao de Lyra.*

Super Deuteronomium lib. 1. *In hoc vltimo libro Moysis.*

Super Epistolas D. Pauli lib. 14. *Domino suo honorabili Hunfrido.*

In Apocalypsim Ioannis lib. 1. *Venerabili Domino suo in Christo.*

De Fidei Symbolis libri 3. *Quoniam Psalmographus ait.*

Manipulus Doctrinæ Christianæ lib. 1. *Inter cætera otij mei secreta.*

De sequacibus S. Augustini lib. 1. *Testatur ille Græcorum eloquentissimus.*

In Historiam Iosue lib. 1.

In Iudices, & Ruth lib. 2.

In volumina Regum lib. 4.

In Psalterium lib. 1.

In Ecclesiasticum lib. 1.

In Isaiam Prophetam lib. 1.

In Danielem Prophetam lib. 1.

In 12. Prophetas minores lib. 12.

Super quatuor Euangelia lib. 4.

In Epistolas Canonicas lib. 7.

Super Libros Sententiarum lib. 4.

Determinationes Theologiæ lib. 1.

Ordinariæ Disputationes lib. 1.

Ad positiones erroneas lib. 1.

Orationes ad Clerum lib. 1. Lecturæ Scholasticæ lib. 1.
Sermones per annum lib. 1. Epistolæ ad diuersos lib. 1.
Vita Ducis Hunfridi lib. 1. Aliaque plura scripsit.

115. IOANNES DE CARCASSONA Gallus natione; patria Narbonensis S. T. Professor, qui in Academijs Ordinis, & exterorum doctrinæ, & ingenij laudem non vulgarem adeptus est. De eo Nicolaus Beltrandus de Gestis Tolosanorum absque assignatione temporis hæc scripsit: *Tertius fuit Fr. Ioannes de Carcassona Doctor profundæ doctrinæ. Hic diuini verbi suo tempore præco validissimus in Ciuitate Tolosana, & Ecclesiæ Dei vtilissimus fuit.* Floruit iuxta Posseuinum To. 2. Appar. Sacri ad annum 1350. Laudatur à nostris Herrera pag. 463. Alphabeti, Elssio pag. 350; Gratiano pag. 109; ac à Simpliciano à S. Martino Libro de Sanctis Ordinis, Torelloque in sæculis. Scripsit.

In Euangelia Lib. 4. De Vita Solitaria lib. 1.
Conciones ad Populum Lib. 1. Epistolas ad diuersos Lib. 1

116 IOANNES DATHVS Forocorneliensis, vulgò de Imola. *Hic profectò vas scientiarum erat, acerrimus disputator, memoriosus valde, Ægidianæ disciplinæ defensor, parum facundus, subtilis multùm, & copiosus; moritur satis iuuenis, & Imolensis Episcopus electus.* Sic Ambrosius Coranus Generalis n. 33. de viris doctis Ordinis. At Vghellus in 2. T. Italiæ Sacræ col. 690. opposuit electioni Ioannis hæc scribens: *Aliqui post Antonium in Imolensium Episcoporum serie quendam Ioannem Datbum Augustinianum Virum doctissimum reposuerunt, quos constat manifestissimè falli, reperio enim Gregorium statim Antonio successisse.* Sed cum pace eruditi Vghelli, non video, cur attestatio Ambrosij Corani coæui iacturam hic pati debeat; Coranus enim non assignat locum, nec tempus, sed simpliciter dicit electum Episcopum Imolensem, facilè ante Antonium 1457. à Calixto III. Quod postea Pamphilus & Crusenius tempus assignent, vnus 1460; alter 1459; hoc officere non debet. Cùm enim isti vixerint sæculo distantes à Ioanne Datho, hoc forsan fecerunt ex proprio marte; nam etiam Ven: Alphonsus ab Orosco, qui edidit suum Chronicon 1551. annis 30; scillicet ante Pamphilum, tempus non assignat, vt Coranus. Addo, quòd doctissimus Generalis Coranus habuit suorum operum contradictores accerrimos Celsum Maphæum, & Ticinensem contemporaneos, qui de mendacio coarguissent,

Quare

Quare veram censeo electionem ad Imolensem Episcopatum nostri Dathi, licèt obitu succedente consecrationem non obtinuerit. Hoc verò meliùs elucidabunt præclarissimi, ac eruditissimi noui Editores, & illustratores Italiæ Sacræ Voluminum, inter quos primo loco fulget Illustrissimus, ac Reuerendissimus D. Vlysses Gozzadinus Bonon. Archiepis. Theodosiæ, & à Secretis Breuium ad Principes. Commendatur ab Ordinis Scriptoribus, nec non à Posseuino To. 2. Apparatus sacri, & Frisio in Gesneriana pag. 428. Scripsit.

Libros S. Patris Augustini cōtra Faustum, Cresconium, & de Trinitate in Conclusiones reduxit.
De Attributis Diuinis Lib. 1.
In priora Aristotelis Lib. 2.
In posteriora Arist: Lib. 2.
De potentijs Animæ Lib. 1.
Aliaque multa.

117. IOANNES DE DORSTEN ex Saxonia, Theologus acutissimus, in diuinis litteris egregiè peritus, in sęculari Philosophia perfectè expertus, excellenti ingenio, & ad soluendas nodosas quæstiones efficaci, nec non sacris in rostris audientibus gratissimus, simulque vtilis. Anno 1464. die 15. Aprilis à Generali Ordinis pro Capitulo suæ Saxonicę Prouinciæ Præses tertio loco destinatus, ac die 3. Iunij concessa facultas ad Doctoralem lauream suscipiendam. Anno 1466. iam Sacræ Theologiæ Magister, deputatus fuit in Pręsidentem primo loco, & anno sequenti, cùm à suis Patribus Prouincialis extitisset electus, die 28. Nouembris à Generali fuit confirmatus. Eodē tempore erat Professor in celebri Vniuersitate Erfurtensi, in eaque prædicando, & docendo magnoperè profecit. Anno 1470. interfuit Congressui Generali Bononiensi, in quo electus Reuerendissimus Iacobus de Aquila, vt in supplemento Cælifodinæ asserit eius discipulus Ioannes Paltz cap. de impugnatione virginitatis, & modo resistendi, & ostendens, quàm ardens puritatis amator enituerit, hæc reponit: *Sicut quidam Medicus diabolicus suasit R. P. nostro Magistro Ioanni de Dorsten, qui valde abominabatur istum Medicum, volens potiùs quæcumque in calculo pati, quàm diabolicæ suasioni eius consentire*. Anno 1480. designatus fuit Commissarius cum alijs duobus Magistris ad Stugardense Cœnobium inuisendum; eruditus verò Herrera putat anno antecedenti 1479. illum obijsse: Ideo impositū munus non obijsse. Sed profectò licèt alibi ostendat se legisse supplementum Cælifodinæ, hac vice se non rectè obseruasse demonstrat. Verba notabo, vt expressè appareat, eum munus

Commissariatus adimplere potuisse, cùm ipse ex hac luce deficienti ad indeficientem, vt piè credendum, transierit anno 1481. *Ad tertiam quæstionem, qua quærebatur, quomodò cruor miraculosus Christi, siue reliquiæ cruoris sint venerandæ? Hanc quæstionem mouit, & soluit profundissimus S. T. professor Magister Ioannes de Dorsten Ord. Fratrum Erem. S. Augustini in Conuentu nostro Erfordensi, quando fuit requisitus, quid esset sentiendum de cruore miraculoso in Conuentu nostro Goterensi, quem quondam in hostia transportauit Balthassar Lantgrauius Thuringiæ de partibus transmarinis. Istam autem determinationem fecit in penultimo anno vitæ suæ* 1480; *cum multa deliberatione, & attentione, & per se auxit ad vtilitatem, non solùm istius Conuentus, sed etiam ad informationem omnium in alijs partibus de simili cruore miraculoso dubitantium. Et vt eius profunda scientia, & lucida sapientia, & maturitas prouida in determinando appareat, volo eius determinationem de verbo ad verbum inserere &c.* Noster itaque Doctor præclarissimus Ioannes de Dorsten condignè celebratur ab omnibus Ordinis Historicis, qui post Pamphilum scripsere, ac etiam à Paulo Langio in Chronica Citisensi, à Trithemio de Script. Eccles; Posseuino in Apparatu To. 2; Marraccio in primo To. Marianæ pag. 717; Gesnero pag. 412; & à Frisio pag. 430. Opera ipsius sunt.

Determinatio de Cruore miraculoso D. N. Iesu Christi asseruato in nostro Monasterio Goterẽsi. Lipsiæ 1510. in 4. vt in supradicto.

Quæstiones variæ super quatuor Libros Sententiarum Volumina duo. Citantur à Paltz sic: *R. P. noster Magister meus Ioannes de Dorsten S. T. Professor in Tractatu suo de Indulgentijs, qui est sextus in ordine Tractatuum eius in primo suo Volumine, ibi scilicet in cap. de 3. Fenestra*, ac per duas paginas verba reponit.

Consolatorium contra metum mortis lib. 1.

De cognitione Angelorum L. 1.

De Vitijs Linguæ lib. 1.

Ingens Volumen Sermonum de Tempore lib. 1.

Sermones de Sanctis lib 1.

Aliaque varia.

118. IOANNES ERGHON Anglus Patria Eboracensis, S.T. Doctor, & Oxoniensis Professor, non solùm in Philosophicis, sed etiam in Theologicis clarissimus. Maturitatem ingenij, orisque facundiam omnibus in eruditis functionibus semper ostendit. Egregia quoque, & inaudita sæpius in concionibus proponebat. Nemo eo feliciùs, aut acutiùs in Scripturarum commentarijs, siue in sacris Orationibus Bibliorum typicum sensum, diuinarum rerum oracula, & allegorias

rias eo tempore elucidauit. Quæsitis itaque auctoribus, qui in similibus aperiendis sensibus excelluerunt, nempe Methodio, Ioachimo Abbate, Cyrillo Carmelita, Ioanne Bridlingtono, Roberto Vserio, Ioanne Rupescissa, Ioanne Barsigneio, Sibyllis, alijsque, eos diligenter peruoluit, emedullauitque, ac suis studijs adauxit: Quapropter eruditissimi Henschenius, & Papebrochius in primo Tomo Martij pag. 499. loquentes de Vaticinijs Abbatis Ioachim memorant sic: *Ioannes Ergbon Anglus Eremita Augustinianus cum alijs collegit, & Compilationes Vaticiniorum inscripsit*. Decessit Eboraci apud nostros sepultus, circa annum 1490. Eum celebrant nostri, ac Posseuinus in App.Sac. To.2; Pitsæus de Script. Anglis ætate 14; Frisius pag.433; alijque. Opera sunt.

Compilationes Vaticiniorum lib.1. Incipit. *Ego Augustinensium minimus*. Hoc opus impressum esse iudico.

In Vaticinia Ioannis Bridlingtoni lib.3. Incipit *Illustrissimo Domino*.

Sermones vulgares lib. 1.

In Carmina Ioannis Canonici lib. 1.

Calculationes Astrologicæ lib. 2.

Ac alia plurima.

119. IOANNES EVANGELISTA Veronensis, moribus, & litteris ornatissimus. Ortum duxit parentibus honestis ex Iobeto agri Veronensis oppido. Iuuenis in nostro S.Euphemiæ insigni Cænobio vestem Ordinis induit. Demum Parisios missus ibidem Magisterij insignia suscepit. In patriam regressus ann. 1387. die 2. Nouembris eiusdem sui Monasterij Regens studiorum designatur. Anno 1390. electus à Patribus Marchiæ Taruisinæ in Prouincialem, die 8. Mensis Octobris à Reuerendissimo Priore Generali confirmatur. Suo in Monasterio Bibliothecam pulcherrimam extruxit, exornauitque plurimis, ac raris libris; sed illa vel temporis vicissitudine, vel hostium incursu diruta, librisque direptis, aut igne absumptis, nouam, eamque amplissimam excitauit, plurimisque voluminibus, ac annuo censu locupletauit nostra hac ætate P.M. Io: Aloysius Balladoro, cuius vestigia strenuè sectatur amantissimus Amicus Bac. Io.Baptista eius consanguineus. Quo anno obierit noster Io:Euangelista, nullus ex nostris expressit. Pamphilus eum iam Prouincialem locat sub anno 1378; sed iudicio eruditi Herreræ non bene, quia diuersimodè proferunt Ordinis Regesta. Laudatur ab omnibus nostris, & iure meritò:

ritò; qui enim tam accuratè libros conseruare curauit, memoria ipsius gloriosa perpetuò in libris permanere debet ad Successorum exemplum. Quæ composuit, & quorum memoria non perijt, sunt duo.

In aliquot Dauidicos Psalmos Annotationes.   Sermones ad Populum.

120. IOANNES FABRIANENSIS. Ex præclarissima Prosapia Becchetta descendente ab Anglia post martyrium S.Thomæ Cantuariensis eiusdem stirpis, quæ primùm Romam, deinde Fabrianum perrexit tempore B.Innocentij III. Summi Pontificis, originem duxit noster Ioannes: Germanus Frater, seu Consobrinus Ven.Petri eiusdem Cænobij filij extitit. Religiosus effectus, quia in humanis litteris versatissimus erat, vt speculatiuis quoque scientijs animum erudiret, Angliam adiuit. Vnde anno 1388. die 23. Maij ex Bartholomæi Veneti Gen. Regestis sequens notitia apparet; nempe dictum Generalem præcepisse omnibus Patribus Vniuersitatis Oxoniæ nostris; *quòd Fr. Io.de Fabriano locum obtineret secundum post Fr. Ioannem Karuilem tunc Magistrum, si secundùm formam prædictæ Vniuersitatis in actibus Scholasticis expediri poterit ante recessum Fr.Ioannis Brodeni de prædicta Vniuersitate*. Anno 1390. die 13. Octobris Generalis concessit licentiam assumendi eundem Ioannem ad gradum Lectoratus. Anno 1392.die 22.Maij erat Regens Perusiæ, & Prior Generalis indulsit, eo instante, vt aliqui iuuenes Conuentus Fabrianensis accedere possent ad Scholas grammaticales sæculares. Anno 1420.in humanis agebat, degebatque in suo Fabriani Cænobio. Denique cùm nulla alia ipsius memoria in Regestis Ordinis extet, suspicatur Herrera, illum dicto anno, vel 1421. ab hoc mortali carcere ad æternam libertatem transijsse; facilè die 10. Augusti, vt innuit Camillus Thoma Æsinas in parua vita M.S. apud me. Hic Scriptor assignat annum obitus nostri Ven. Ioannis 1380. Fabriani, & Pamphilus 1348. Bononiæ, sed bene corriguntur ab Herrera, cùm Ordinis Regesta aliter innuant. Asserit citatus Camillus illum simul cum B.Petro Hierosolymam iuisse ad sacra loca inuisenda, & post reditum, Fabriani consecrari fecisse Altare Sancti Sepulchri Iesu Christi in nostra Ecclesia, quod à vero alienum non puto; nam hodie sacra ipsorum pignora in dicta Capella tumulata quiescunt, ac magna populi veneratione coluntur, sicut circa illorum sepulcrum mira-

miracula crebra testantur. Eum extollunt omnes Historici Ordinis, & præcisè Ambrosius Coranus hæc scripsit: *Decimus septimus fuit Magister Ioannes de Fabriano, qui non modo Aristotelicus, sed Platonicus insignis, maximus Theologus, & accerrimus disputator &c.* Refert quoque Camillus ex manuscriptis Conuentus Fabrianensis, quòd in exequijs ipsius Orationem funebrem luculentam recitarit B. Petrus eius consanguineus tali spiritu deuoto, vt omnes auditores ad fletum commoti fuerint, quia virum tam præclarum, Doctorem, Concionatoremque insignem amiserant. Memorat eum quoque Frisius in Gesneriana pag. 434. Scripsit.

Expositionem Euangeliorum lib. quatuor.

In Ethycam Aristotelis lib. 10.

De concordia Platonis ad Script. lib. 1.

In Politicam Aristotelis lib. 8.

Aliaque.

121. IOANNES GODTWICVS ex Prouincia Norfolcensi Angliæ oriundus. In adolescentiæ flore Religiosis nostris Linnensis Cœnobij se tradidit imbuendum, & in eo instituto vsque ad finem vitæ sanctè, constanterque perseuerauit. Cantabrigiam primò, postea Oxonium ad studia missus, S.T. Doctor declaratus in secunda Vniuersitate publicus Professor constitutus fuit. Cùm eloquens, & facundus esset, suo tempore in sacris Concionibus mirè enituit, ac insigni cum plausu coram Rege, Regnique Magnatibus frequenter auditus. His ornamentis cùm esset, ac præclaris moribus illustratus, apud suos opinio sanctitatis, apud doctos eruditionis fama, denique apud omnes incredibilis ei creuit auctoritas. Hac de causa Prouincialis electus Angliæ, & Hiberniæ, magna cum laude, pari cum fructu præsedit. Scripsit in varios Sacræ Scripturæ Libros Commentaria, quorum tituli plerique cum ipsis Operibus, non modico detrimento, defecere, vt inter alios asseruit Rodulphus Marhamus nostri Ordinis eo in Regno Historicus suo in Chronicorum Manipulo. Quæ verò remanserunt, sunt infra notata. Decessit Linnæ suo in Cœnobio, inibique sepultus circa annum Domini 1360. Celebrant Scriptores Ordinis omnes post Pampilum, ac Pitsæus ætate 14; nec non Frisius ex Balæo in Gesneriana pag. 447. Scripsit itaque.

Lecturas in Genesim lib. 1.

Commentaria in Danielem lib. 1.

De Hebdomadibus Danielis lib. 1.

Lecturas in Psalmos lib. 1.

Ser-

Sermones solemnes coram Rege, Regnique Proceribus lib. I.
In quædam Diui Pauli dicta lib. I.
Sermones per annum lib. I.
Quæstiones disputatas lib. I.
Aliaque plurima.

122. IOANNES HOFFMEISTERVS Germanus, Patria Colmariensis, S.T. Doctor celeberrimus, Ordinis Augustiniani excellens decus, Hæreticorum lingua, & calamo insectator acerrimus, dictus propterea Antilutherus, quia aduersùs Lutherum, & sequaces eius bellum firmissimum gessit. Anno 1543. per obitum clarissimi, & fortissimi hæresum quoque oppugnatoris Magistri Conradi Tregarij, à Patribus Rheni, & Sueuiæ Prouinciæ in Priorem Prouincialem electus, etsi satis iuuenis, extitit. Vnde ad Generalem Seripandum Hoffmeisterus, electionem notificans, scripsit: *Conuenere Patres in Conuentu Hagenoiæ, & vnanimi consensu in Prouincialem elegerunt me, qui ætate multò minor, vt qui nondum compleuerim trigesimum quartum ætatis meæ annum, qui nulla rerum habeo experimenta, qui vix vulgari litteratura præditus sum. Sed sic plerumque solemus ineptioribus iumentis grauiora onera imponere.* Et infra. *Quod ad me attinet, ego in hoc decennio* (scilicet à 24. ætatis anno) *& concionibus, & editis Libellis cum Lutherana hæresi conflictum habeo, nescio, quomodò in hanc arenam protrusus.* Sensit de se profectò vt virum sanctum decebat, submissè, & humiliter: Sed Patres Capitulares, vt debebant, aliter, imò altè expresserunt, se in Prouincialem elegisse Catholicæ Ecclesiæ inuictissimum Propugnatorem. Hac de causa Seripandus iubilans de tam præclaris nuncijs, rescripsit: *Induere ex alto fortitudine, &, vt fecisti hactenus, præliare prælia Domini, vt te auctore reuiuiscat apud Rhenum, & omnem Sueuiam Augustini nomen, cuius inimici, qui, & ijdem Christi sunt inimici, dissipentur; Longè enim plus tibi Ordo debet, qui nunc multorum instar aduersùs hostem cominùs pugnas, quàm omnibus ijs, quorum virtute tam magnum suscepit nomen nostrum in Germania, & initium, & incrementum.* A Deo itaque primùm, nec non à munere assumpto, ac à paternis horrationibus Seripandi confortatus Hoffmeisterus, cœpit ardentiùs hostes confundere. Sæpissimè in suggestu aduersùs praua dogmata viriliter detonuit; quare pluries bis, terue in die concionabatur. Opera edidit fundatissima, non solùm Latina lingua, sed etiam vernacula, vt quoque minuta Plebs, quæ venenum imbiberat, Germanum antidotum inueniens absorberet

ſorberet, & malignitatem euomeret. Teſtes huius rei fuere, omnes, qui eum declamantem audieruut, videlicet Ciuitates celeberrimæ, Magnates præclariſſimi, etiamque Orbis Capita. Anno 1545;& 1546.Vormatiæ, & Ratiſponæ in Imperialibus Comitijs coram Auguſta ſimul,ac Regia Maieſtate, nec non Sacri Romani Imperij Comitibus Palatinis, Statibuſque, ac innumerabilibus penè populis commiſſo ſibi officio prædicationis tam doctè functus fuit, vt non ſolùm Romanæ Eccleſię ſubditi, ſed etiam contrarij fructum, atque delectationem hauſerint. Eum, vt puram fidem conſeruaret in ſua Metropoli Monachienſi Guillelmus Comes Palatinus Rheni vtriuſque Bauariæ Dux, ad idem munus prædicationis exercendum illuc accerſiuit. Eum Otho S.R.E. Cardinalis, & Epiſcopus Auguſtanus ad erudiendos ſuos populos Vlmenſes, & Dillinganos, & etiam ad hæreſum ſpinas ab illis euellendas, deſtinauit. Anno 1545.vocatus Hoffmeiſterus à Carolo Cæſare ad colloquium Ratiſponæ, promptè perrexit, quem Seripandus ad ſtrenuè agendum hortatus fuit his verbis: *Te verò hortamur, vt in hac ſpirituali militia te præſtes virum, quem ſperant, & optant omnes,ad quos tui nominis fama peruenit, pietate ſcilicet in primis, eruditione deinde, & prudentia præſtantem*. In eo etiam ſpem locauerat Seripandus erigendarum rerum Ordinis in Germania, quare 1546. 9. Iulij omnibus in illis Prouincijs Vicarium Generalem inſtituit. Eius præclara merita Carolus V; qui vna cum Ferdinando Fratre Romanorum Rege illum toties cum plauſu concionantem audierat, Infulari dignitate ornanda parauerat, ſed ipſe humiliter renuens maluit in peditum militia permanere,& ſic expeditiùs Eccleſiæ hoſtibus bellum inferre, quàm fortiorum Ducum cuneo annumerari, agnoſcens ſe armatum armatura fortium non poſſe incedere. Cùm Denique Deus fideles labores, & tot pericula,ac inſidias ab Hoffmeiſtero pro ſuâ cauſa contemptas remunerari vellet,Vlmæ graui morbo afflixit;qua ille de cauſa ad Monaſterium Seffligenſe ſe recepit Ciuitati proximum. Verum morbo pauliſper ingraueſcente,vlteriùsCunsburgum vſque deportatus eſt, vbi aliquot ſeptimanis morbi vim, & moleſtias cum omni humilitate patientiſſimè ſuſtinens, ſæpiuſque Deũ interpellans, cum S.Martino proferebat:*Domine, ſi adhuc populo tuo ſum neceſſarius,nõ recuſo laborem,fiat voluntas tua.* Sicq;ibidem Cunsburgi piè in Domino obdormiuit anno Domini 1547.21.Auguſti,ab

Hæreticis mors ipſius dicitur procurata ; nam Seripandus, dum Vrbis Neapolitanæ Nuncius apud Cæſarem acturus peregrinaretur, in ſuo Diario notauit anno 1553. 10. Septembris; *Euerhardus Prouincialis Carmelitarum Bellex, vir doctus, multa narrauit de Hoffmeiſtero Vlmæ, vt aiebat, ab Hæreticis veneno extincto*. Et celebris Epiſcopus Auguſtinus Ardinghellius Dominicanus in congeminatę Vocis Turturis Appendice pag. 36. ſignauit: *Claruit ante iſtos P. Fr. Ioannes Offmeiſterus prouinciæ Sueuiæ ſui Ordinis Generalis Vicarius, ad impugnandum Hæreticos natus, Lutheranorum, & Confeſſionis Auguſtanæ euerſor, Auguſtinianæ, catholicæque doctrinæ in tota Alemania propugnator acerrimus, qui ab iiſdem hæreticis veneno extinctus perhibetur.* Quando deceſſit, erat ætatis annorum 38; vel ſaltem 39. inceperat. Vir præfecto abſque omni contentione eximius; qui pluribus in congreſſibus, nec non doctiſſimis Operibus editis hæreſim multoties exagitauit, aliqualiter proſtrauit: Quique verum Dei verbum Colmarienſibus, Monachienſibus, Vlmenſibus, Ratiſponenſibus, Dillinganis, Auguſtanis, aliiſque numeroſiſſimis populis fideliter, ac indefeſſo labore, vt tribulos, & ſpinas euelleret, diſſeminauit. Itaque factum eſt, vt Auguſtiniana Soboles, ſi infelici partu mater monſtrum ediderat, fortunatiſſimis doctiſſimorum, & piiſſimorum Filiorum enſibus, præcisè Hoffmeiſteriano, illud obtruncaret: Vnde, Achillianæ haſtæ conſimilis, ſi inuoluntariè ſauciauit, voluntariè medelam porrexit, ſi venenum ſine concurſu protulit, antidotū promptè parauit; ac diuina diſponente prouidentia, percuſſit, & quoad potuit, ſanauit. Eum celebrarunt omnes Scriptores Ordinis, præcisè Milenſius in Germanico Alphabeto, & Herrera à pag. 477. vſque ad 482. Externi ſunt Leonardus Hallerus Epiſcopus Philadelphiæ, & Suffraganeus Eiſtadenſis in Proæmio Poſtillarum Hoffmeiſteri, Elias de S. Tereſia lib. 2. de Purgatorio cap. 27; &c; Poſſeuinus in 2. To. Apparatus Sacri, Sixtus Senenſis in Bibl. Sancta pag. 27; Petrus de Alua in Bibl. Conceptionis col. 777; Friſius pag. 456; Creſcētius in Præſidio Romano lib. 3. pag. 101; pluresque alii. Cuiuſnam ponderis demum fuerint Hoffmeiſteri Opera, vnum, ex pluribus teſtantibus, proponere libet, videlicet Gerardū Velmānum Geldriēsē in Epiſt. nūcupatoria ad Actuū Apoſtolor. expoſitionem. *In numero ſacrorū Expoſitorū Hoffmeiſterus hac noſtra ætate facilè principē locum meritò, atque optimo Iure ſibi vendicare poteſt, qui*

vſque

vsque eo cogitatione, ingenioque in sacris, maximè verò in Actis Apostolorũ interpretandis processit, vt cuiuis huius temporis Theologo extra controuersiam possit preponi. En igitur Operum Index.

Commentaria in Euangelia secundùm Marcum, & Lucam To. 2. Louanij apud Viduam Sanesij Sussenij 1562 fol. Coloniæ apud Hæredes Arnoldi Birkmanni 1572. 8.

In duodecim priora Capita Actuum Apostolorum. Coloniæ apud Hæredes Birkmanni 1567. fol. Parisijs apud Michaelem Sonnium 1568. fol.

In vtrasque S. Pauli ad Corinthios Epistolas Homiliæ viuæ vocis auctoris populo Colmariensi deprædicatæ. Coloniæ ex Officina Petri Quentel 1545. 4.

Enarrationes piæ, & catholicæ in D. Pauli Epistolas ad Philippenses ex Commentarijs tam Priscorum, quàm Neotericorum. Friburgi Brisgoiæ 1545. 8.

Verbum Dei carne factum, hoc est Iesum Christum Seruatorem nostrum, Ecclesiæ suæ vnicũ propitiatorem, & perpetuum esse Sacrificium. Item expositio precum, & cæremoniarum, quarum vsus in quotidiano Sacro. Antuerpiæ 1545. 4. Ibidem apud Steelsium 1552. 8. Romæ apud Antonium Bladum 1554. 4: & Parisijs apud Sebastianum Niuellium 1572. 4.

Homiliæ in Euangelia Dominicalia, & Festorum dierum, ac in Dominicis Quadragesimæ. Hæ deprędicatę fuere in Imperialibus Comitijs Vormatiæ, & Ratisponæ. Inglostadij apud Alexandrũ Vveysemhorn 549. 8. Antuerpiæ apud Steelsium 1549. 8. Parisijs apud Ioannem Faucherium 1555. 8 ac ibidem ex Typogr. Guillelmi Nigri 1567. 8.

Loci communes rerum Theologicarum, quæ hodie in controuersia agitantur, ad regulam & consensũ veræ, & catholicæ Ecclesiæ è SS. Patrum sententijs confecti. Inglostadij apud Vveysemhorn 1551. 8. Venetijs ad signum Spei 1554. 8. Parisijs 1573. 8. Inglostadij 1582. 8. Etiam Parisijs 1564. 16; & 1585. 8. ex Draudio.

Dialogorum Libri duo, quibus aliquot Ecclesiæ Catholicæ dogmata Lutheranorum & verbis, & sententijs roborantur. Venetijs ad signum Spei 1554 8.

Hæreticorum malæ artes à sanctis Patribus exquisitissimè descriptæ. Romæ apud Bladum 1554. 4. Parisijs apud Nigrum 1567. 8.

Canones, siue Claues ad interpretandum Sacras Bibliorum Scripturas omnibus S. Theologiæ candidatis non tam vtiles, quàm neccessariæ. Moguntiæ excudebat Franciscus Behemus 1545. 4. Inibi adest hoc Disticon.

Stulte, quid est Mundus, mortis nisi causa futuræ?
En ruit in vitijs, en perit ille suis.

Iudicium de Articulis Fidei Augustæ exhibitis Carolo V. 1530. Moguntiæ 1559. 8. per supranotatum.

In Euangelium Matthæi expositionem exarasse constat ex cap. p; & vndecimo Euangelicæ suæ Expositionis super D. Marcum.

In alijs sexdecim Apostolorum

Actuum capit. scripsit, sed in aliqua Bibl. adhuc latent.

In Tobiam breues, & excultas exageses.

In Epistolas ad Thimotheum, & ad Titum, aliaque non modica.

123. Ven. IOANNES de LANA Bononiensis. Originem duxit è nobilissima Prosapia de Lana, nunc de Rata vocata. Nec annum natiuitatis, nec Parentes, quales fuerint, vllus Scriptor enunciauit. Post emissam professionem in nostræ Italiæ Studijs Philosophiā Aristotelicam, & aliquam Sententiarum Petri Lombardi partem audiuit. Missus deinde Parisios, post aliam peractam, ad easdam Sententias publicè legendas assumptus, munus suum cum laude obiuit. Deinde in Italiam reuersus anno 1316; 1317. curam assumpsit Patrij Cœnobij titulo Prioris insignitus. Idemmet onus subijt 1328; 1331; & 1338. laudabiliter, vtiliter, cum rara prudentia, & zelo; ac etiam tam amanter, vt pro eodem suo Monasterio illustrando Magisterij gradum recusauerit. Testis adsit B. Iordanus de Saxonia, qui eodem tempore ibidem studijs vacabat: *Cùm ipse Baccalarius in sacra Theologia fuerit, per omnia sufficiens, & valens, adueniente tempore suæ præsentationis, ex humilitate, & ex zelo, quem habuit ad Conuentum suum, cui præfuit, & cui vtique suam absentiam non mediocriter dispendiosam prospexit, sponte dignitati, & statui Magisterij renunciauit, contentus in statu humiliori Deo, & Ordini vtiliter deseruire, magis, quàm in sublimiori statu titulo honoris efferri. Ipse enim tempore sui regiminis Conuentum illum in ampliatione arearum, & in ædificatione domorum notabiliter emendauit, & non solùm murorum constructione, sed & morum compositione, & disciplinæ manutentione, victus quoque conuenientis ministratione laudabiliter gubernauit*. At præclara virtus B. Ioannis in sola humilitate non stetit, sed vlteriùs progressa, eum etiam iniuriarum, & percussionum contemptorem elucescere fecit. Cùm enim à quodam nobili genere, sed moribus ignobili (quia firmiter ea, quæ in detrimentum Monasterij petebat, denegauit) alapa percussus, in terramque prostratus, & pedibus conculcatus fuisset, non solùm verbum nullum dolosum protulit, sed in genua, vt meliùs potuit, erectus, dixit: *Domine, percutite, quātum vobis placuerit*. Verùm postea, vt iustitia exigebat, iniuriæ reparationem voluerunt, & obtinuerunt Cœnobij Patres Bononiensis. Disposuit quoque Deus, vt inuicta sufferentia

Ven. Ioan-

Ven. Ioãnis, quæ in extraneis iniurijs tolerãdis mirabiliter resplenduit, etiam in domesticis sustinendis clarificata fulgeret. Factum enarrat idemmet B. Iordanus testis ocularis: *Cùm enim in Capitulo suo quosdam de eorum negligentijs corripuisset, surgens vnus quosdam illatos articulos contra ipsum Priorem recitauit, dicens, ipsum excommunicatum, & irregularem, nec pro Priore illum haberi debere. At ille, quamuis defensiones legitimas de iure Ordinis habuisset, sicut agnus coram tondente se non aperuit os suum, sed pro pace sua, & aliorum de Conuentu recedens, obiurgationi cessit, & ad locum S. Bartholi secedens, ibidem in humilitatis spiritu fletit, orationibus, & ieiunijs vacans, & iudicium Prioris Generalis cum patientia expectans: Vbi ego ipsum cum socijs meis pro sui consolatione, & reuerentia, & profectu nostro pluries visitauimus, & nullum vnquam impatientiæ verbum ab ipso est auditum &c: Fuit vir tam præclaræ famæ, & tam sinceræ fidei, & tam sanctæ conuersationis, vt nonnulli sæcularium hominum fidem suam nomine eius adstruerent, iurantes per Fratrem Ioannem de Lana, qui tandem bonis operibus plenus in bona senectute Bononiæ obdormiuit*. Anno 1350. ad æternam requiem euolauit, vt bene putat Ghirardaccius, & Herrera, quos secutus est Torellus in Sæculis ad dictum annum, addens ætatis 74; forsan meliùs, quàm Ghirardaccius, qui protulit, illum decessisse ætatis 93. die 22. Iulij. Eum celebrant Ordinis Historici omnes, ac etiam Posseuinus in 2. To. Appar; Bumoldus, seu Montalbanus in Minerualijs, vel Bibl. Bononiensi pag. 118; Pasqualis Alidosius in Doct. Bon. pag. 81; Bombaccius in viris sanctitate illustr. Bononiæ, ac Acta Ecclesiæ Bonon. per Card. Paleottum. Citatur ab Argentina meo, & præcisè in 3. Sententiarum dist. p. art. 3. pag. mihi 5; etiamque à Gregorio Ariminensi in Prologo quæst. 2. art. 1. Scripsit itaque.

Quæstiones de Anima humana, in quibus multa explicantur vtilia, & rara, quæ non ita facilè apud alios reperiuntur.

Quæstiones in Libros Physicorum.

Quæstiones extraordinarias.

Commentaria in quatuor Libros Sententiarum.

Quodlibeta duo Parisijs disputata: olim in nostra Perusina, sed alienata, vt videre est in Ambrosio Quistellio.

124. IOANNES de LANSHAM Germanus Vormatiẽsis, Cœnobij Kisgartensis filius, Concionator admodùm pius, vita, & conuersatione commendabilis. Claruit circa annum Domini

mini 1495. Eum memorant cum aliqua laude Scriptores Ordinis Pamphilum sequentes, nec non Eysengrenius, & Frisius in Gesneriana pag. 464;& Possetuinus in Appar. Sacro To.2. Scripsit.

De institutione, & vtilitate Confraternitatis Rosarii B.Mariæ Virginis.
Speculum nouissimorum.
Speculum Missæ Sacrificij.
Arrham æternæ salutis, & alia.

125. IOANNES LOVVE Anglus in Vvigorniensi comitatu natus, Conuentus Vvichensis nobilis Alumnus, S. Theologiæ Doctor Oxoniensis. A teneris annis tam ardenter studijs adhæsit, vt in iuuentute postea apparuerit omnium bonarum artium cultu illustratus. Quapropter Concionator facundus, Disputator subtilis, & Scriptor elegans, necnon rara prudentia ornatus cùm ab omnibus conspiceretur, primùm insignis Cœnobij Londinensis Prior, ac postea Angliæ Prouincialis extitit. Anno 1428. præsidente Guillelmo Episcopo Norvvicensi, cum Thoma Vvaldensi, & sexdecim alijs Commissarijs doctis, & pijs viris Norvvici seditiosos quosdam, & in fide plusquam suspectos examinauit, de hæresi conuicit, & condemnauit, ac tamquam publicos tum Regni, tum Ecclesiæ Christi hostes criminalibus Iudicibus tradidit. Consiliarius pijssimi Regis Henrici VI. fuit, ac etiam à sacris Confessionibus; tametsi enim Historici Angli de Confessarij munere nil proferant, testantur id tamen clarissimè Ordinis Regesta; nam 21. Octob.1432. sic aiunt: *Concessimus Prouinciali Angliæ qui est assumptus ad officium Confessoris Regis Angliæ, quòd possit vti illo officio dicto, dispensando cum ritu nostro, dum est occupatus in factis Regis.* Londinensi in Cœnobio, cui incorporatus fuerat à Generali Ordinis B.Augustino Fauaronio 1420; magnificam Bibliothecam construxit, seu veriùs antiquam ampliauit, illustrauit, ornauitque præclaris libris, præsertim veterum Patrum. Anno 1433; promouente suo benignissimo Domino Henrico Rege, vt Acta Concistorialia, & Regesta Ordinis innuunt, ad Episcopatum Asaphensem in Cambria, seu Vvalia assumptus euasit; præfuitque vtiliter, ac fideliter aliquibus annis; deinde ad Roffensem Cathedram ornandam translatus. In ea post plures annos regiminis gloriosi (si vera est assertio illius, qui seriem Episcoporum eiusdem Ciuitatis digessit, expositam in Theatro vitæ humanæ nouissimo Lit. E. pag. 286.) pijssimè decessit anno 1467. Celebrant hunc nobilissimũ

Infula-

Infulatum omnes Scriptores Ordinis, ac præcisè benè, & distinctè rerum nostrarum diligens eruderator Thomas de Herrera in Alphabeto pag. 430; & 431. Extranei sunt, inter alios, Lelaudus, Balæus, & Pitsæus ætate 14; Nicolaus Harpsfeldius in Chron. Cantuar. sæc. 15. cap. 15; Posseuinus, & Frisius pag. 468. Quæ scripsit, sunt:

Sermones habiti coram Rege lib. 1.
Disputationes Theologicæ lib. 1.
Lecturæ ordinariæ lib. 1.
Conciones per annum lib. 1.
Temporũ Historias lib. 1. Pluraque alia.

126. IOANNES MAGIRVS, aliàs Clencok, Saxo Thuringius, conuentus Hervordiensis, gloriosus Doctor appellatus. Hic vir doctissimus, ingenio, & eruditione, specialiter in his, quæ circa Deum, rerumque diuinarum speculationem versantur, præstantissimus enituit. Multas præclaras Ciuitates, ac Vniuersitates, præcipuè Oxoniensem, & Pragensem mirificè illustrauit, non solùm doctrinæ profunditate, sed morum dulcedine, & inculpatæ vitæ exemplo. Dum Pragensi Academiæ præesset, eius opera, atque industria à Boleslao, & Iutta liberis Bohemiæ Baronibus in Marica apud Suembergam Ordini nostro erectum fuit Monasterium in honorem Deiparæ Virginis anno 1342. Porrò Clencok à Trithemio Doctor Pragensis nuncupatus, facilè, vt putat Marraccius in Mariana, fuit ille, de quo Baronius loquitur in Annot. ad Romanum Martyrologium die 2. Iulij; nam nomen, & eruditio insinuant. Scripsit itaque Baronius: *In Bibl. Vaticana plut. 4. n. 226. nactus sum Tractatum manuscriptum Ioannis Pragensis contra Adelbertum solemnitatis Visitationis B. Mariæ impugnatorem, in quo, cùm plura eruditè differat, texit etiam nonnulla miracula diuina, & certas reuelationes, quibus Deus dictam sacratissimam solemnitatem manifestissimè comprobauit.* Decessit Pragæ, qua in Ciuitate præcipuo fuit honore affectus, anno 1352. 15. Iunij. De ipso encomiasticè loquuntur omnes nostri Scriptores, etiamque Trithemius de Script. Eccl. dicens floruisse an. 1360; Posseuinus in Appar. To. 2; Marraccius in p. To. Marianæ pag. 715; & 781; Petrus de Alua in Bibl. Conceptionis ex meo Ioanne de Meppis col. 746; Frisius pag. 428.; ac Ardinghelius in Appen. vocis Turturis pag. 36. Primò tamen audiatur Schiphovverus noster pag. 162. Chron. Oldemburgensium de suo Concœnobita rectè differens. *Quartus fuit Ioannes Clencok de conuen-*

Conuentu Hervordiensi, qui totus fuit catholicus, & *veritatis zelator. Hic ob veritatis defensionem, ac falsitatis impugnationem multa perpessus est in Ciuitate Magdeburgensi. Tandem ad instar Apostoli Pauli per murum submissus euasit manus invidentium in nomine Domini, prout testatur in Epistola Ioanni XXII. directa in Decadicon Libello suo. Quis eo clariùs Prædicatoribus, & vtiliùs Euangelium Matthæi, & Actus Apostolorum explanauit, penitus ignoro. Magistraliter etiam Sententiarum Libros duplici in stylo, literali videlicet, & quæstionali in scriptis dimisit legendos. Quodlibeta etiam varia, Iuris totius Canonum, Legumque Doctor scripta reperitur compilasse. Nec post eum credo talem Augustinũ habuisse filium in dictis Patris ita tritum, & perfectum, quia & Sententiarum Magistrum suis in allegatis quàm sæpiùs probat in allegando errasse.* Ea, quæ pro posteris exarauit, sunt:

Solemnis expositio litteralis super quatuor Libros Sententiarum per R. in sacra Theologia professorem Magistrum Ioannem ClencoK ord. Fratrum Herem. S. Augustini. Fol. paruo membr. in Bibl. S. Augustini Senarum. Ipsius in fine hæc apparent: *Et hic finitur expositio litteralis 4. Lib. Sent. Magistri Petri Lõbardi quõdam Episcopi Parisiensis per me Fr. Ioannem Clencok Præceptorem Theologiæ Vniuersitatis Oxoniæ Ord. Herem.*

Contra quendam Adelbertum solemnitatis Visitationis Beatissimæ Virginis impugnatorem Tractatus vnicus. Licèt Pontifex, qui hanc solemnitatem ad vniuersalem Ecclesiam extendit, modernior sit, tamen Festiuitas aliquibus in locis antiquior erat æuo in quo floruit noster ClencoK: colebatur enim in Minorum Ordine ab anno 1262.

Super quatuor Sent. alia Commentaria Libri quatuor. Testantur Trithemius, Posseuinus in Bibl. Selecta, & Frisius.

De peccato Originali Tractatus vnus, in quo probat B. Virginem nunquam contraxisse originale peccatum. Ita Ioannes de Meppis in Tract. de Concept. Auctore 2. Deinde sequitur Alua. *Vide de hoc Scriptore latè in radios Solis veritatis.*

Quæstiones variarum positionũ Pragæ disputatæ lib. 1.

Sermones de tempore, & de Sanctis lib. 2.

Historiam suæ Patriæ scripsit, vt innuit P. Vngarus, & citatur in Chronicis Osnabrugensibus.

Epistolar. lib. 1. Aliaque plura.

127. IOANNES DE MEPPIS Germanus. Duo præclarissimi Scriptores eiusdem nominis, Patriæ, & Cœnobij fuerunt, Vennekerus vnus, Schiphovverus alter, hucusque à nullo Historico, seu Bibliothecario notati, vel bene cogniti. De Vennekero, vltra illud quod reperitur in Theodorico Vrie suo loco, hæc scripsit Schiphovverus in Chron. Oldemburgen. pag. 187; &

187; & 88. Eodem anno (nempe 1496.) Dominus Ioannes de Meppis Laricensis Ecclesiæ Episcopus suus Suffraganeus (scilicet Henrici de Svvartzborg Archiep. Bremensis, & Episcopi, ac Principis Monasteriensis) obijt circa festum D. Martini sepultus in maiori Ecclesia Monasteriensi. Hic Reuerendus Pater multa scripsit. Primò de Eucharistiæ Sacramento librum vnum: De Ideis librum vnum: De Oblationibus lib. vnum: Sermones multos ad Clerum, & ad Populum; & super Tobiam eius extant scripta. Hic vir eximius liberalis in pauperes fuit, & mihi in subsidium promotionis XI. Rhenenses florenos dedit, in cuius laudem quidam infrascripta decantauit:

Anno milleno cum quingentesimo deno
Recubat in Christo lapide, qui clauditur isto.
In auram sistit Meppen Baptisma Iohannem.
Hunc Augustini Diui quoque normula pauit.
Ac Erphort dotat, sacro quoque dogmate notat:
Et post Bononia evexit ad ardua dona.
Theoticum Physicum meruit gestare monile:
Promotus Laricensis Præsulatus gaudet bonore:
O! Deus æternis fac hunc ditescere donis.

Ex Regestis Ordinis apparet, ipsum S. T. Lectorem fuisse an. 1476. Priorem Osnabrugensem; die enim 9. Decemb. primus Religionis Moderator dedit illi facultatem ad Episcopalem dignitatem ascendendi, dummodò priùs conficeret inuentarium de bonis suo usui concessis iuxta Ordinis sanctiones. Ioannes deinde Schiphovverus proprio penicillo in pluribus locis eorundem Chronicorum se ipsum delineauit, vt sequitur. Anno 1463. Ego Fr. Ioannes Schiphouuer de Meppis fui natus in prædicta Ciuitate. Gerhardus Schiphovver de Dominio Benthemensi oriundus pater meus, fuit ad multos annos in Meppe Burgimagister, & obijt 1484. Octauo anno post meam natiuitatem traditus fui in Scholis, quas frequentaui vsque ad annum 15; & eodem anno intraui Ordinem Fratrum Erem. D. P. Augustini in Ciuitate Osnabrugensi. Anno 1481; post professionem, quam feci, fui promotus ad Studium particulare Lippiense; 1483. ad Studium Prouinciæ in Oppido Dammis; & 1484. celebraui primam Missam in Conuentu Osemburgensi. Eodem anno fui promotus pro Studente generali Bononiensi, & mansi in Italia tribus annis, & reuersus fui ad Prouinciam, quando in Osemburgensi Conuentu celebratum

 fuit

fuit Capitulum Prouinciale; in quo Capitulo fuerunt multi viri docti, & ibidem promotus fui pro Cursore in Studio Conuentus Northusensi. In conuocatione Holmestediensi fui promotus ad Italiam in despectu quorundam, & accessi ad Studium Senense annos habens 26. Anno 1491. celebratum fuit generale Capitulum in Curia Romana, in quo Capitulo fuerunt in vnum congregati 305. Magistri in Theologia Ord. Erem. S. Augustini viri doctissimi. Post illud Capitulum accepi insignia Lectoratus in Vniuersitate Senensi, & posui Conclusiones de Prædestinatione, & Præscientia habens annos 27; & eodem anno reuersus fui de Italia. Eodem quoque anno celebratum est Capitulum Prouinciale in Hassia in Conuentu Northusensi Eschvvegensi, in quo fui electus in Priorem Tangkelmensem, & ibidem multas vexationes passus sum ab i; & falsis Fratribus, & præsertim à Curatis, & Capellanis de Confessionibus audiendis, & Missis dicendis, qui palam in Ambone cauillabantur contra Priuilegia Apostolica. Sic ego necessitate cogente certamen disputationis cum illis indoctis b. mirè compulsus sum, & eos inuitaui, sed minimè comparuerunt. Circa idem tempus 1493. fuerunt in Conuentu Osnabrugensi Ord. D. P. Augustini 9. Lectores S. Theologiæ, viri famosi, & docti, duo Magistri in Theologia, duo Suffraganei. O quam florida ætas! Quam florida iuuentus! Inter quos ego fui minimus, vtinam in aliquo gratiam consecutus! Illi præmemorati venerandi Patrès in sapientiæ studijs floruere, animarum quærentes salutem prædicationibus, disputationibus, & alijs bonis operibus hoc in loco reperio viguisse. An. 1497. missus fui deffinitoris loco ex parte Prouinciæ Saxoniæ ad generale Capitulum Romæ celebrandum, in quo Capitulo per mortem Anselmi de Monte-Falcone, egregius vir, ac Reuerendissimus P. Magister Marianus de Genazano suo tempore totius Italiæ Prædicatorum Princeps electus fuit vnanimiter, & concorditer in Priorem Gen. Ord. Fr. Erem. S. Augustini. In præfato Capitulo fui promotus in Baccalarium S. Theologiæ in præsentia 350. Magistrorum in Theologia, vt in Libro Ordinis. & in litera sigillata Reuerendiss. P. nostri Generalis. An. 1500. post Lætare, & per mortem Ven. Patris Henrici Koken Ord. Fratrum Erem; qui obijt in Vigilia Valentini, fui destinatus Archicomitis Ioannis, & Capituli Oldenbrugensis pro vero, & indubitato Terminario, & ibidem ab omnibus beni-

benignissimè receptus fui. Anno 1502. Reuerendus P. meus Magister Gerhardus S. Theologiæ humilis, & doctus professor ex suis procurationibus hortum nostri Conuentus muro cinxit, braxatorium nostrum renouauit, ac nouam domum pro equis, & bestijs construi fecit: Librarium nouum solemniter, & magna cum gloria consummauit, & bene præfuit nostræ Communitati. An. 1504. mihi prouisum est de Camera in Conuentu Osemburgensi. Circa reformationem eiusdem ex mandato R. Magistri Hermanni Dreners pro nunc Prouincialis laboraui, caminum erexi, pauimentum ex lapidibus, & calce straui, lobium testudine ornaui, & cætera cum pictura perfeci, vt ibidem apparet ad oculum. Hucusque Schiphovverus de se ipso. Gerardus Gischenius in Apologia pro Hamelmanno pag. 305. Vicarium, & Terminarium Oldemburgi factum, & pag. 328. Comitis Oldemburgi, & Delmenhorstij primum Informatorem notat, vocauitque *Virum, vt ante dictum, & plures annos tempora illa tulerunt satis clarum, & doctum*. A Marraccio in principio Polianthex Marianæ nominatur *Vir pietate, doctrina, atque eruditione suo tempore clarus*: Memoraturque sæpius à Petro de Alua in Bibl. Conceptionis. Adhuc viuebat anno 1508; vt ex suis Chronicis: Quo anno demum obierit, latet. Vtinam eruditissimi, & clarissimi Collectores Actuum Eruditorum Lypsiæ saltem de sua Saxonia, si non de tota celeberrima Germania Bibliothecam conficerent; nam sic plurima meliùs elucidarentur. Opera Schiphovveriana sunt:

Chronicon Archicomitum Oldemburgensium, de quo ipse: Sub Pio 3. inchoatus est Liber, & sub Julio II. Pont. anno 2. Dom. Incarnationis 1505. in Octaua D. Nicolai de Tolentino nostri Sacri Ord. &c consummatus anno ætatis meæ 41. Completa sunt hęc in loco habitationis nostræ Oldeburgi tempore Ioannis septimi Archicom. 1508. in die S. Stephani. Tom. II script. rerum Germ. Henrici Meibomij iunioris. Helmestadij Typis Georgij Vvolfgāgij Hammij 1688. fol.

Tractatus de Conceptione Immaculatæ Virginis Mariæ editus est Louanij à Petro de Alua in Libro Monumenta antiqua ex 20. Tractatibus pro Concept. Virginis 1664. 4.

Sermones de Ordinibus ex diuersis Chronicis collectis, meminit ipse pag. 166. Chron. Old.

Contra Hermannum de Rifvvich de Gelria Tractatum perpulcrum de pauperrate Christi intitulatum cum multis conclusionibus, & earum probationibus ex diuersis Doctoribus collegit, vt ipse fatetur pag. 190.

Epithaphium supradictis in Chronicis appositum, an sit ab eodemmet compositum, incertum est.

Ortum Vvestphalia produxit terra Iohannem,
Schiphouuer dictum, Meppen & hunc nutrijt.
Doctrinas petijt studio pro tempore vitæ,
Pierides sua cui cantica contulerant.
Vt meruit dignè diadema subire Magistri,
Italiam versus tunc iter arripuit.
Quo vigil extiterat operam tribuens Theologiæ,
Vt post examen quod fuerat rigidum.
Obtinuit culmen ibi Lectoratus honoris,
De quo laus illi digna ferenda fuit.
Iam iacet hic corpus eius mærore sepultum,
Oret, qui transit, viuat vt in requie.

128. IOANNES PALTZ Germanus, Congregationis Saxoniæ, & Conuentus Erfordensis alumnus, sacrarum litterarum Doctor eximius, ac Concionator laudatissimus. Vniuersitatatem Treuirensem rexit, & Archiepiscopo Romani Imperij Electori à sacris Confessionibus fuit. Contra Turcas Iubilæum prædicauit circa aunum 1490; & 1502; vt ipse fatetur in epistola dedicatoria suæ Cælifodinæ. Aliquando adfuit in Oppido Sunebergi, quod montem niuis appellat, vbi aurum extrahitur, & eius metalli occasione ad scribendum inductus fuit librum citatum Cælifodinæ. Compleuit verò opus, vt ipse asseruit, in nostro Monasterio Vallis Mulnhein propè Confluentiam anno 1500. circa festum omnium Sanctorum. Post Cælifodinam, supplementum eius emisit, in quo suæ Congregationis initia, & pium Andreæ Proles obitum retulit. Adhuc viuebat anno 1508; vt testatur noster Herrera. Imò etiam adhuc, vt puto, 1511; quando citatum Opus impressum fuit. Ipsemet in supplemento Cælifodinæ cap. de Iustificatione Impij hæc de se narrat: *Cùm quondam vocatus fuissem ad Boemiam à potentibus Ciuibus Bruxensibus, & cæteris Dominis circumiacentibus, aliquos Nobiles ad veram fidem reduxi. Inter quos superuenit etiam nobilis de Castro Ysenbergh, qui audita informatione, consensit veritati &c. Deinde post se traxit maiorem partem populi, quibus præerat, vt relicto errore ipsum in veritatis semita imitarentur. Ex quibus satis patet, quomodo facienti, quod in se est cuiuscumque conditionis, Deus infundit suam gratiam.* Commendarunt hunc virum celebrem nostri Herrera pag. 475 Alphabeti, Elssius

in Encomiaſtico pag. 391; Cruſenius par. 3. cap. 32; Proſper Stellartius in Fundam. Ordinum Diſq. hiſt. de Regula S. Aug. pag. 322; Torellus pag.777; & Petrus de Alua in Bibl. Conceptionis col. 814. Sed quod notabilius eſt,& præclarius in principio Supplementi Cælifodinæ adeſt epiſtola Raymundi Perauldi Card. Gurgenſis Legati Apoſtolici in Germania, valde commendans eximias dotes, & qualitates eiuſdem Patris Paltz. Incipit enim: *Venerabilis, & eximie Doctor, Amice noſter cariſſime, ſalutem. Magna prius apud nos erant teſtimonia vitæ, & doctrinæ veſtræ. At quando intelleximus dilectionem veſtram fuiſſe inter Prædicatores Sanctiſſimi Iubilæi in Saxonia deputatam, magno fuimus gaudio affecti &c.* Cùm piè Beatiſſimam Deiparam coleret, duo Opera infra notata ad eius laudem compoſuit.

Cęlifodina Lingua Germanica ad Fridericum Electorem, & Ducem Saxoniæ, & Latina ad Hermannum Electorem, & Archiepiſcopũ Colonienſem. Lipſiæ apud Martinum Lanſperg 1511. 4.

Supplementum Cęlifodinæ etiã Lipſiæ in 4. Illud vidi in noſtra Peruſina, ſed quia fine carebat, nec nomen impreſſoris, nec annum impreſſionis innuere poſſum. Petrus de Alua dicit editum Lipſiæ an.1510.4.

De ſeptem Foribus, ſeu Feſtis Glorioſæ Virginis Opuſculum, quod incipit: *Beati, qui vigilant ad fores meas quotidie*. Editum eſt, vt apparet ex ſupplemento Cęlifodinæ.

Hortulus Aromaticus eiuſdem inclytæ Virginis, ferme totã illius Vitam breuibus oratiunculis cõplectens.

129. IOANNES RIDEVALLUS Anglus S. T. Doctor Oxonienſis, humanis, & diuinis litteris excellenter inſtructus Iuuenis latinam eloquentiam auidè ſectatus, adulta ætate ipſam proſecutus, etiamque in toto vitæ curſu impensè coluit. Eum Willotus Franciſcanus, qui ſcripſit 1589; ac Vadingus Minoritam faciunt; ſed meus Pamphilus Signinus Epiſcopus; qui edidit opus an.1581; nec non Pitſæus Decanus Liuerdunenſis in Lotharingia, qui ſcripſit 1619. Auguſtinianum fuiſſe proferunt. His potiùs credendum eſſe expreſsè probat eruditiſsimus meus anteceſſor in Biblioth. cuſtodia P. Angelicus Aproſius Libro Italico, cuius titulus: *Pentecoſtes Scriptorum Anonimorum &c. detectorum pag.*113. Meus verò Torellus ſuſpicatur primùm Franciſcanum extitiſſe, poſtea ad noſtros tranſijſſe. Sed quomodocumque res ſe habeat, Rideuallus noſter tempore, quo floruit, videlicet 1330; celebris præ ſectò refulſit.

Theo-

Theologica eius scripta, Poesi, Historia, Rhetorisque flosculis, tamquam quibusdam gemmis distincta splendent, & sua multiplici varietate Lectoris animum mirificè oblectant. Plurimos Auctores insignes tam antiquos, quàm ipsi proximos eruditissimis commentarijs illustrauit; omnia quoad poterat, vel ad virtutem eleuandam, vel ad vitium deprimendum dirigens. Laudatur à meis Pamphilum sequentibus, à Balæo in Anglis Scriptoribus, & à Pitsæo ætate 14; Posseuino Tom.2. Appar; Frisioque in Gesneriana pag.490. Scripsit, vt infra: Meus Nicasius Baxius Antuerpiensis in suis Poematibus Antuerpiæ apud Verdussium editis 1614. pag.70. hæc reponit: *Ioanne Rideuallo; quem alij Franciscanum, alij Augustinianum fuisse dicunt, Tetrasticon:*

Funiculis traheris, traheris quoque pellibus idem,
De te lis etiam, sed pia nata fuit.
At tu, speramus, supera regione beatus,
Ne fias horum neuter, vtrumque cupis.

Super Cantica Canticorum lib.1. Incipit: *Diligenti discretione cautum est*.

Tractatus super Fulgentio de vi rtutibus, & vitijs sub imaginibus Deorum, & Dearum, quos olim coluit vana superstitio Paganorum. Seu meliùs in Mytologicon Fulgentij lib.3. Incipit: *Intentio Venerabilis Viri Fulgentij*. M.S. Cantabrigiæ in Bibl. publica.

In Valerium Maximum ad Ruffinum lib.1. *Loqui prohibeor, & tacere non*.

Moralis expositio in Ouidij Metamorphosim super fabulas 218. *In huius expositionis initio multa*. M.S. in notata Bibl.

Quæstiones ordinariæ 8. lib. 1. *Primus articulus quæstionis*.

Super Psalterium lib.1.

In Euangelium D. Ioannis lib. 1.

In S.P. Augustinum de Ciuitate Dei lib.22.

Lectiones Scripturarum lib.1.

In Epistolas D.Pauli lib.14.

De non ducenda vxore lib.1.

Sermones per annum lib.1.

Aliaque plurima.

130. VEN. IOANNES ROCHVS de Portijs Papiensis. Natus est Papiæ anno 1391. ex nobili, & antiqua Familia de Portijs, Patre Martino, Matre Eleonora. Ab ijsdem Parentibus egregiè educatus, cùm esset optimæ indolis, facilè & pietatem, & humanas litteras imbibit. Anno 1408. à Deo vocatus ad Augustinianam Religionem amplexandam accessit. Post professionem emissam, ardenter in speculatiua studia incubuit; vnde anno 1419; vt ex Ordinis Regestis, iam erat

S.T.

S.T.Bacc; eamque Theologicam facultatem Fratribus legebat; & anno 1421. Reuerendiſſimus Auguſtinus Fauaronius, vt ad Magiſterium promoueretur, licentiam conceſſit; ac anno ſequenti Regentem Studiorum ſui Papienſis Monaſterij conſtituit. Agnitis quoque ab eodem Generali puritate vitæ, & zelo Regularis obſeruantiæ noſtri Io:Rochi, eiuſdem Ticinenſis Cænobij Priorem ipſum delegit; permanſitque aliquoties confirmatus in eodem gubernio vſque ad 1431; ſcilicet vſquequo durauit in Ordinis regimine Fauaronius. Pluries extitit Præſes, ſeu Vicarius Generalis, vt tunc vocabatur, in Congreſſibus Prouinciæ Inſubriæ. Anno 1433. Regularem obſeruantiam in noſtrum Patauinum Monaſterium introduxit. In annunciando Populis Italiæ diuinum verbum, ad miraculum valuit: Ideo Hyppolitus Doneſmundus lib. 6. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Mantuanæ ſcripſit: *Prædicabat cum ea acceptatione, & fama in tota Italia, quòd Eccleſiæ concurſus populi illum deſiderantis audire non erant capaces; quare oportebat in publico foro diſſeminare verbum Dei, quod pluries miraculis expreſſis confirmauit, vt fecit Cremæ, vbi proprium nomen reddidit immortale.* Anno 1439. B.Georgij Cremonenſis adiutor euaſit, vt in Cremenſe Cænobium noſtrum obſeruantia pariter introduceretur; ibique primum fundamentum Longobardicæ Congregationis celeberrimæ, curante zelantiſſimo Generali Gerardo Ariminenſi iactum fuit; nam Ven.Io.Rochus non primus Congregationis eiuſdem fundator, vt aſſeruit noſter Caluus in memorijs Hiſtoricis, ſed coadiutor extitit, vt probat eruditus Torellus, & teſtatur Generalis Coriolanus contemporaneus hæc ſcribens: *Trigeſimus fuit B.Georgius de Cremona primus Reformator obſeruantiæ in Lombardia, qui timore Dei, & pietate multùm polluit vbique &c.* Anno 1449. in Capitulo Generali Montiſpeculi Senenſis Diœceſis à Reuerendiſsimo Generali Iuliano de Salem Siculo conſtitutus fuit Io.Rochus in Vicarium Gen. omnium obſeruantiarum Italiæ tempore dicti Capituli. Sequentibus annis ſua in Congregatione pluries Deffinitoris, & Viſitatoris munus exercuit; ac ad Vicariatus Generalis dignitatem quatuor vicibus fuit eleuatus. Eo in gubernio prudenter, iuſtè, cum zelo regularis obſeruantiæ, ſanctèque ſe geſsit. Ob eius præclaras qualitates non parum illum dilexerunt B.Gabriel Sfortia noſter Archiepiſcopus Mediolanenſis, ac Franciſcus Frater Dux, nec non Blanca Maria eiuſdem Ducis Vxor:

Hac

Hac de causa à primo aliqua Monasteria Monialium nostri, & & Benedictini Instituti eius regimini assignata fuere. Cùm esset quarta vice Vicarius Generalis, & intellexisset supremum Ordinis Moderatorem Magistrum Guillelmum Becchium ad suam Congregationem visitandam accedere, ipsi obuiam iuit; Cremæque commorantem fama est, Augustino Cazzuli Priori eiusdem Ciuitatis Conuentus, suoque discipulo instantem suum obitum reuelasse, & quomodò, ac quo loco humari desideraret, aperuisse. Crema Cremonam perrexit, inque Vitalianam, vbi febre correptus, nihilminùs Mantuam ire voluit; inibique morbo ingrauescente, susceptis mira deuotione Ecclesiæ Sacramentis, plurimisque orationibus iaculatorijs simul cum Fratribus recitatis, ad illa verba: *Iesu Christe, in manus tuas ipsas pro me cruci confixas accipe animam commendatam.* 1462. 13. Iulij ætatis 71; vt clarè colligitur ex Torello, & Herrera, ad æternam claritatem euolauit. Pro eo B. Bartholomæus de Palatiolo in Martyrologio edito 1487. sic exposuit: die 13. Iulij. *Mantuæ depositio R. M. Io: Rochi, qui diuinitus in Lombardiæ partibus Fratrum Erem. S. Augustini Ordinem reformauit; nam Cremæ primum condidit Monasterium, quo initio tredecim postea, tum fundata, tum reformata sunt. Demum post multos pro Deo labores, cùm Mantuam venisset, plenus fide, gratia Dei, virtutumque diues, magno cum desiderio vitæ futuræ, corpore quasi carcere solutus est.* Corpus ipsius, (vt testatur Carolus de Turre Canonicus S. Nazarij Mediolanensis libro Effigies Ciuitatis Mediolani pag. 229.) anno 1654. in Ecclesia Incoronatæ inuentum arcæ marmoreæ inclusum, repositum fuit in perornato Altari S. P. Augustini ex vna parte, & ex alia corpus B. Georgij Lazzuli de Cremona, curante Vicario Gen. Congr. Angelo Summaripa nobili Laudensi Concionatore facundo. Vir fuit, Foresto Bergomense nostro teste, actis ingenij, declamator suo æuo conspicuus, Ordinisque nostri in Insubria instaurator, Doctor insignis, omni virtutum genere illustris, multarum scientiarum, ac eruditissimus Pater, plurimaque ad concionatorum vtilitatem composuit Opuscula. Memoratur cum laude ab omnibus nostris, inter quos fusiùs ab Herrera à pag. 383. vsque ad 386; à Donato Caluo in Memorijs suæ Congregationis à pag. 1. vsque ad 25; & à Torello in 7. To. sæculorum pag. 113; & seq. Nominant quoque Sabellicus Ænneade 10. lib. 6. pag. mihi 313; citatus Donesmundus, alijque. Scripsit.

Homi-

Homilias in Euangelia Aduentus, & Quadragesimæ. Incipiunt. *Omnes quidem currunt*.

Super Epistolas D.Pauli commentaria.

Super quatuor libros Sent. commentaria.

Recollectas super Sententijs D.Ægidij Columnæ.

Vitam Xisti IV. Pontificis.

Vbinam hæc Opera extent, non expressit Caluus, nec alius.

131. IOANNES STAVPITIVS Germanus, genere nobilis, vir in litteris, & negotijs tractandis accuratus, sermone comptus, moribus integer, indole sagax, atque politicus, nec non Monasticæ dignitatis ardens propugnator. Creatus S. T. Doctor in Vniuersitate Tubingensi, Monachiense, aliaque Monasteria laudabiliter guberuauit. Ducis Saxoniæ Friderici anno 1501. pro rebus Vitembergensis Academiæ tunc inchoatæ ad Summum Pontificem extitit Orator, à quo, quæ concupiuit priuilegia, abundè obtinuit. Ad alios quoque Principes suæ nationis, tum Ecclesiasticos, tum Sæculares Legatus, ea, quæ tractauit, felicissimè perfecit. Anno 1503. Dominica *Iubilate* in Capitulo Eschuigensi Congregationis Vicarius Generalis electus, ipsam prudenter rexit vsque ad annum 1509. Interfuit Concilio Lateranensi nomine Principis Salisburgensis cum facultate agendi, & concludendi. Anno postea 1511. Thuringiæ; & Saxoniæ fuit Prouincialis: Necnon ab anno 1515. vsque ad annum 1517. totius Germaniæ Apostolica auctoritate Vicarius Generalis. Hic doctor clarissimus incidit in ea tempora, quæ calamitosa reddidit hæresis Lutherana; tamen (licèt feruidè egerit pro defendendis priuilegijs, & tuenda iurisdictione suæ Religionis, qua de causa aliqui incautè, & incongruè lacerant tanquam aliqualiter eiusdem hæresis foret promotor) nunquam Catholicam Fidem deseruit, nec violauit; sed illo tempore cernens mala gentis suæ, & contritionem populi sui, Patriæ ipsi collacrymabili terga vertens in Salisburgensem Principatum se recepit. Inibi à Matthæo Cardinale Archiepiscopo Amico, qui eum benignè diligebat, exceptus, ipsi à consilijs fuit. Dicto in munere cùm aliquibus annis diligenter se gessisset, celebris Monasterij Ordinis Sancti Benedicti, titulo Sancti Petri, quod à S.Ruperto primo Salisburgensium Episcopo circa annum 580. initium sumpsit, à Monachis in 48. Abbatem anno 1522. electus extitit, atque ab

Archiepiscopo confirmatus. Præfuit annis tantùm duobus; nam 1524. in Festo SS. Innocentium piè in Domino requieuit. Auctor Vocabularij Theologici impr. per Henricum Gram Hagenoiæ 1517. fol; qui fuit Ioannes Altenstaig Presbyter sæcularis, ac Magister nostrorum Religiosorum Cænobij Mimdelhaim, ad quorum Religiosorum instantiam dictum Opus composuit, & præcisè hortante, ac coadiuuante insigni Concionatore Patre Carolo Rosa, idem dirigens sapientissimo nostro Staupitio, in epistola præliminari hæc inter alia scripsit: *R. in Christo Patri Ioanni de Staupitz artium, ac Theologiæ D. eruditissimo, Conuentuum Reformatorum, & obseruantiæ Augustinianæ per Germaniam Apostolica auctoritate Vic. Generali dignissimo, Patri obseruando Ioannes Altenstaig S.T. D. Tua præclara virtus, & doctrina, & labor inclytus, vel maximus Pater Ioannes optime, quem habes in Alemania, & Terris nostris circumspiciendo [illegible]Augustini Ordinis Monasteria, & huius Ordinis Fratres visitando tuæ præstantiæ subiectos, vt quam rectissimè, & optimè in Christo viuant, in qua quidem re nec vigiliæ, nec curæ, & operi parcis. Quique bonorum studiorum es diligens fautor, & promotor: Quippequi felicis studij Vittembergensis primus plantator es, & inceptor, promotorque fidissimus, & haud impiger, qui bonos, & studiosos, & doctos Fratres diligis, & præcipuè qui sacris sunt instituti litteris &c. Iam, & Te dicentem, & eruditissimè, doctissimèque prædicantem cælestia Tubingæ audiui, & alijs eloquentiam tuam, & facundiam eximiam ostendisti, non solùm coram populo, sed etiam coram summis viris, & doctissimis, in quorum præsentia maturè, & eloquenter orasti. Id quod mirum est in nobilitate humana reperiri, quæ perrarò coniuncta est scientiæ, eruditioni, & eloquentiæ, vt in Te viro nobili stirpe, sed nobiliori fide, & virtute percipitur &c. Quarto nonas Octobris* 1517. Laudatur à meis Milensio in Alphabeto Germanico Lit. I; Herrera pag. 440; Elssio pag. 500; Crusenio in Monastico par. 3. cap. 35; ac Torello in septimò; & octauo To. Sæculorum; commendatur quoque à Gaspare Bruschio in lib. Monasteriorum Germaniæ fol. 132; Draudio in Bibl. Classica &c. Aliqua edidit, sed ad meam notitiam non peruenerunt nisi duo Opera infra notata. Sepulcralis inscriptio est sequens.

Aspice Mortalis præsentia busta iacentum;
Quid valeat fastus, diuitiaque, vide.

Ari-

Arida comperies, exhauſtis oſſa medullis;
Fidere quid poſsis, ipſe videre potes.
Quem probitas, quem cana fides, quem cinxit honeſtas;
Qui tenuit, quicquid Pagina ſacra docet.
Abbas Staupitius tumulo requieſcit in iſto,
Sit, precor, huic requies in regione poli.

Tractatus de Amore Dei verè aureus lib. 1. Francofurti apud Lucam Iennis 1524. 12.

De Miſſa audienda in propria Parochia Io: de Staupitz. Lanſuth 1514. 4.

132. IOANNES TONNEIVS Nornici in Anglia natus, ac in Patrio Cænobio Auguſtinianus effectus. Poſtquam minota ſtudia pertranſiuit, Cantabrigiam ad maiora acquirenda perrexit. Ibi non ſolùm ſpeculatiuas ſcientias, ſed etiam linguam Græcam didicit. Doctor Theologicæ facultatis creatus alijs ſcientias acquiſitas communicare curauit. Ob præclaras dotes intellectuales, moraleſque à ſuis non mediocriter ſuſpectus, totius Angliæ Prouincialis electus extitit. Vaſtitas ipſius ingenij eruditiſsimi in vna, vel duabus facultatibus non ſe continuit, ſed per omnia deambulans, omnia amplecti voluit. Quare ab infimis Grammaticæ Rudimentis exordiens vſque ad illuſtranda Scholaſtica certamina, & obſcutos Scripturarũ ſenſus aperiendos peruenit. Plurima, præclaraque eius Opera infra notanda apertè inſinuant, quàm diuitem ſuppellectilem poſſederit. Non obijt iuxta Pitſæum ann. 1490; nec iuxta Pamphilum 1494; quia ex Regeſtis Ordinis expreſſè patet illum adhuc in humanis fuiſſe 1503; eo enim anno à Gratiano Fulginate Generali deputatus fuit Præſes primo loco Capituli ſuæ Anglicanæ Prouinciæ. Memorant non cum paruo encomio omnes noſtri Scriptores à Pamphilo inferiùs, & Pitſæus ætate 15; atque Friſius pag. 504; qui ex Balæo benè ſcripſit Tonneium 1490. claruiſſe, non obijſſe. Aliqua eius Opera edita fuere Londini à Regio Typographo Richardo Pinſo.

Rudimenta Grammatices lib. 1.
De quantitate Syllabarum lib. 1.
De edendis Carminibus lib. 1.
Facetiæ, & Rhythmi lib. 1.
Collectanea quædam lib. 1.
Epiſtolæ ad diuerſos lib. 1.
Orationes ad Clerum lib. 1.
Sermones ad Populum lib. 1.
Certamina Scholaſtica lib. 1.
Lecturæ Magiſtrales Cantabrigiæ habitæ lib. 1.

133. IOANNES VVALDEBIVS Anglus, in Vrbe Eboracensi non infimo loco ortus. Maturioribus annis in literis educatus, Oxonij strenuè diuinis, & humanis scientijs incubuit. Demum eiusdem Vniuersitatis Oxoniensis S. T. Magister creatus, nostræ Angliæ Prouinciæ in gubernio resedit. Ioannes Balæus refert ipsum interfuisse Concilio Stanfordiæ habito contra Vviclephitas, conicijtque Eboraci obijsse, ibique sepultum. Pitsæus verò nuncupat Ioannem nostrum Archiepiscopum Dublinensem anno 1343; atque scribit ætate 14. pag. 558. *Defuncto Archiepiscopo Eboracensi Alexandro Neuillo, ipse in eius loco successor eligitur, quamuis nunquam confirmatus fuerit; nam summus Pontifex Thomæ Arundellio contulit Archiepiscopatum Eboracensem, & Vvaldebium in Hibernia ad Archiepiscopatum Dublinensem transtulit*. Tamen hæc ad sedem Dublinensem translatio vel facta fuit 1390; & à Ioanne recusata, vel ipse non interfuit Concilio Stanfordiæ, vel supernixit usque ad annum 1395. Eius enim Frater Robertus Vvaldebius, qui 18. Kal. Decembris 1390. ex Episcopo Adurensi in Archiepiscopum Dublinensem fuerat eleuatus, vt Thomas Vvalsinghamus in Anglicana Historia profert an. 1395. ad Episcopatum Cicestriensem in Anglia translatus fuit; potuit itaque tunc Ioanni Fratri suo in Archiepiscopatu Dublinensi succedere, & ante consecrationem decedere. Noster hic Ioannes profectò fuit vir doctus, eloquens, eruditus, Concionator celebris, candidique moribus illustratus. Scripsit partim Latino, partim Anglicano sermone ad proximorum ædificationem, & Ecclesiæ vtilitatem plurima Opera, vt infra. Laudatur ab omnibus nostris, præcisè eruditè ab Herrera, etiamque à supranotatis, à Posseuino in To. 2. Appar; & à Frisio pag. 509. Eius Opera sunt.

Expositiones morales in Symbolum Apostolorum lib. 1. Incipit: *Cùm in hoc locò sacro* M. S. in Collegio S. Benedicti Cantabrigiæ.

Homiliæ quinque super quinque verba Salutationis Angelicæ lib. 1. *Vas electionis Paulus Doctor Gentium*. M. S. ibidem.

In Orationem Dominicam lib. 1. *Septies in die laudem dixi tibi*. M. S. ibidem.

Sermones duodecim lib. 1. *Credo, Domine, adiuua incredulitatem meam*.

De Sacramento Eucharistiæ lib. 1. *Ratione solemnitatis iam instantis*.

Super Magistrum Sententiarum lib. 4.

Contra septem peccata mortalia lib. 1.

Deter-

Determinationes Oxonienses lib. 1.
Sacrarum Scripturarum Lectiones lib. 1.
Lectiones Theologicæ lib. 1.
Sermones ad Clerum lib. 1.
Sermones ad Populum lib. 1.
Placita Theologica lib. 1.
Quæstiones ordinariæ lib. 1.
Itinerarium salutis lib. 1. Aliaque.

134. IOANNES VVILTONVS ſenior Anglus. Is ab ineunte ætate, vt Pitſæus ſcripſit: *Elegit, in tranquillum Religionis portum ſibi nauigandum iudicans, S. Auguſtini Regulam, probè ſciens in domicilijs illius profeſſionis ſimul ſemper cohabitare vitæ ſanctitatem, & omnis generis meliorem doctrinam*. Religioſus effectus, poſtquam in propria Regione ſtudia Philoſophica, & Theologica perfecit, Pariſios profectus, ac in S. Theologia Doctor declaratus, munus Profeſſoris eiuſdem Scientiæ inibi exercuit. Denuoque in Patriam regreſſus, Oxonij idemet munus peregit. Vtrobique doctis Concionibus, eruditis lectionibus, acutis, & ſubtilibus diſputationibus immortalem laudem apud agnoſcentes acquiſiuit. Hac de cauſa Ioannes Bacondorpius, ſeu Baconus Carmelita Doctor reſolutus in ſuis ſuper primũ, & ſecundum Sententiarum Commentarijs de ipſo honorificam mentionem fecit; nam in Editione Veneta eiuſdem Baconis Operum apud Hęredes Scoti 1527. fol. in primo Sent. eius doctrina ſæpius citatur, ſed vitio Librariorum habetur Gilton pro Vvilton: Tamen in 2. Sent. eum clarè nominat, præcipuè diſt. p. q. p; & diſt. 19. q. 1. art. 2. ſic ſcribit pag. 172. *Dicit ſingulariter vnus Doctor Vylton, quòd ſic, cuius modus ponendi eſt iſte &c.* Manifeſtius tamen præbent teſtimonium inſignis ſcientiæ noſtri Vviltoni Opera, quæ ad poſteritatis inſtructionem reliquit, quorum index eſt ſubſequens. Obijt Oxoniæ circa annum 1310. Eum cum laude condigna nominant omnes noſtri, etiamque Balæus in Scrip. Anglis, Pitſæus in ijſdem ætate 14; & Friſius in Geſn. pag. 511.

Sermonum de Sanctis lib. 1. *Simili pœna affectus eſt ſeruus*.
Sermonum Quadrag. lib. 1. *Memor eſto, vnde excideris*.
Sermonum Æſtiualium lib. 1. *Quæ ſurſum ſunt, quærite*.
Sermonum Hyemalium lib. 1. *Sicut in die honeſtè ambulemus*.
Queſtiones, & Lecturæ lib. 1.
In Magiſtrum Sententiarum lib. 4.
Determinationes in Theologia lib. 1.
In Priora Ariſtotelis lib. 2.
In poſteriora eiuſdem lib. 2.
In eius Ethycam lib. 10. Ac alia.

135. IOAN.

135. IOANNES ZACHARIÆ Germanus, Conuentus Eschvvegensis alumnus, S. T. D. Erfordensis. Anno 1389. cùm esset studens in præclarissima Oxoniensi Academia, à Priore Generali Ordinis ad Lectoratus gradum promotus fuit. Anno 1415. in Constantiensi Concilio cum plurimis alijs celeberrimis nostræ Religionis viris resedit: In eoque aduersùs Hussitas, & Vviclephitas tam strenuè se gessit, vt Catholicæ Fidei inuictus propugnator à Patribus Conciliarijs agnitus exciterit. *Hic enim homo magnæ sanctitatis* (ita elogium sub sua antiqua imagine Herbipoli in Franconia appositum) *cum immanissimo Hæretico Ioanne Hussio coram Concilio Constantiensi pro fide Christi certamen aggredi voluit, quem, Deo propitio, superans, igne cremari fecit; atque triumphum gloriosum reportauit.* Hæc illustris victoria corona non caruit, nam à Romano Pontifice aurea Rosa donatus fuit, quam in suis picturis manu gestat. Iure equidem merito aurea Rosa decoratus eluxit noster Zacharias, vt regali triumpho, & aureæ sapientiæ Rex metallorum, & florum Regina diadema ornarent. An. 1419. in Generali Congressu Astensi Præsidens extitit auctoritate Apostolica, ac diuisionem Patrum reparans, omnes conuenire voluit in Augustinum Fauaronium. Bis laudabiliter Thuringiæ, & Saxoniæ Prouincialis, aliqua Monasteria suo regimini subiecta reformauit, & illustrauit. Demum meritis, & virtutibus præclarissimus Erfordiæ 1428. piè in Domino obdormiuit. Eum iustis præconijs extollunt non solùm plures Scriptores Ordinis, sed etiam Trithemius de Scriptoribus Eccl; Paulus Langius in Chron. Citicensi, Posseuinus in 2. To. Appar. Ardinghellius verò in Appen. Cong. vocis Turturis pag. 37. scripsit: *Ioannes Zacharias ne dum de Hussitis, sed de ipso Ioanne Hus triumphauit, qui proinde sacra, atque aurea Rosa, quæ à Romanis Pontificibus ad Principum Christianorum aliquem transmitti solet, honoris, & amoris ergo eodem anno donatus fuit.* Hoc non notauit Carolus Chartarius doctus Concist. Aduoc. in libro, cuius titulus *La Rosa d'Oro Pontificia.* Sixtus Senensis in Bibliotheca Sancta pag. 273; licèt inaduertenter Augustinianum non afferat, tamen in laudem hæc reposuit: *Sæculari Philosophiæ interpres egregius, in diuinis voluminibus assidua lectione exercitatus, & in Concilio Constantiensi aduersùs Hussitas, & Vviclephitas hæreticos Catholicæ Fidei propugnator insignis.* Petrus de Alua in Bibl. Conceptionis col. 859; Frisius in Gesn.

pag.

pag. 513; ac eleganter, vti solitus erat, P. M. Ludouicus de Casa Genuensis in Elogijs Romæ editis, vt in Seripando notaui, pag. 12; & 13; cuius vltimam partem exponere placet. *Coram Constantiensi Concilio, inita cum Ioanne Hus disputatione congreditur; quem ita exagitauit, vt vinceret, ita vicit, vt adhibito priùs doctrinæ gladio, Mundum non tam vltrici flamma, quàm medica à pestifera Hydræ fæcunditate purgaret. 'O Victoriam, cui prædicandæ, eloquio muto quidem, sed splendido linguas suas adbibent flammæ! Moritur Hæresis non tam capite priuata, quàm corde. Geminum Ioannem in gemino vide, Lector, incendio: Alterum zelus Domus Dei comedit, alterum vorax ignis absumpsit.* Eum memorant etiam cum decore eruditus olim Amicus Abbas Io. Baptista Paccichellus in Memorijs histor. suorum itinerum par. 2. pag. 784; vbi de Ciuitate Herbipolis, & Gesnerus pag. mihi 462. à tergo. In Prologomenis To. 5. pag. 50; Historiæ Concilij Constantiensis hæc notabilia de nostro Ioanne Zachariæ obseruaui: *Eiusdem indolis, ac sententiæ Oratio Ioãnis Zachariæ Theologi Erfurtensis, qui in Constantiensi Concilio doctrina sacra præ alijs claruit. Quo de Ioannis Schiphovver in Chronico Archicom. Oldemburgen. apud Meibomium To. II. rerum Germanicarum fol.* 170. *Egregius, & doctissimus Magister Ioannes Zachariæ de Conuentu Eschvvegensi eruditus Theologus, & V. I. consultissimus, Erfordiæ, & alibi, quàm maximè autem in Constantiensi Synodo ob eius doctrinam, & elegantiam clarissimus fuit, & suæ eruditionis experimentum fecit. Hic Ioannem Hus hæreticum disputando superauit, ac immersum igni cremarè fecit. Nemo etenim Theologorum potuit eundem Ioannem Hus conuincere, nisi iste senex Pater solus. Hic perquam egregiè in Magistrum Sententiarum commentatus est. Scripsit insuper in Apocalypsim Volumina duo, & quamplurima alia.* Deinde sequitur: *Sermo factus in Concilio Constantiensi per M. Ioannem Zachariæ Ord. Erem. S. Augustini S. Theologiæ professorem in Festo S. Stephani, & in Ecclesia eiusdem anno* 1415. Ibidem quoque aliquas particulas Sermonis dicti describit; ac ex ijsdem Prolog. cernitur, duo Volumina Sermonum ipsius Zachariæ asseruari in Bibl. Benedictinorum Cœnobij Reichenavv propè Constantiam.

In quatuor Libros Sent. lib. 4; vt Posseuinus in Bibl. selecta lib. 3. pag. 277; & Roccha meus, ac

Ioannes de Meppis.
In Genesim lib. 1.
In Exodum lib. 1.

In Le-

In Leuiticum lib. 1. In Apocalypsim vol. 2.
De Conceptione immaculata B. Virginis Tract. unum. Sermones multos lib. 1.
In Epistolas D. Pauli lib. 14. Determinationes varias. Et alia.

136. IORDANVS ARGENTINENSIS Monachus Augustinianus S. T. Magister, vir doctus, & diuinarum Scripturarum explanator, ac Interpres egregius, in declamandis sermonibus excellentissimi ingenij, vt ait Trithemius. Floruit an. 1400; eius Chronica, qualiter Romanum Imperium traslatū fuit ad Germanos, & primò quare Romanum Imperium honorandum? incipit: *Multipharie, multisque modis &c.* cap. 33. in fine est: *Explicit Chronica M. Iordani Fratrum S. Augustini de Eremo in Conuentu Argentinensi*. Hæc meus Elssius pag. 412; & 413; qui editionem Chronicorum, quam triplicatam ostendam, nec aliud exprimit. Meliorem notitiam nostri Iordani profert clarissimus Gerardus Ioannes Vossius de Historicis Latinis pag. 788. Habeo editionem nascente Typographia procuratam, vbi nomen Auctoris prætericur, ac simpliciter inscribitur: *De commendatione Romani Imperij*. Videtur autem is Scriptor vixisse temporibus Rodulphi Habspurgensis. Sanè hoc vt credam, adducor ijs verbis: *Nouissimis autem diebus istis, postquam Imperium per annos 35. vacauerat, visitauit Dominus plebem suam, & suscitauit ei Principem Serenissimum Dominum, Rodulphum HabsKemburg Comitem, iuxta electione concordi, & coronatione solemnissima, sicut Dei gratia cunctis manifestissimè apparuit. Sicut etiam in ipsius promotione diuinum auxilium nunquam se subtraxit. Sed ego ad scribendum huius victoriosi Regis magnalia manum retraho, quia ad hoc me insufficientem penitus recognosco*. Verùm hæc in Schardij editione prætereuntur, paucorumque istorum occupant verborum locum capita tria: Quorum primum incipit. *Istis præhabitis &c.* Alterum *Sancti igitur &c.* Tertium. *In hoc igitur &c.* Cogitanti eius diuersitatis caussam, istæc suspicio oborta fuit; quo tempore inter Adolphum Nassouium, & Albertum Austriacum tantopere de Imperio certaretur; M. Iordanum fuisse partibus Adolphi, eoque tempore alteram Operis sui editionem dedisse, inque hac offensiorem Imperij æmulo, præterijsse ista, quæ ad laudem Patris eius Rodulphi Habspurgensis, pertinerent. Hucusque Vossius. *Chronicon igitur M. Iordani ex Verderio pag. 23; & ex Bodleiana pag. 272. editum est Basileæ 1519. 8; Argentinæ 1609; & Fran-*

& Francofurti 1614. 8. Ac etiam in 2. To. Monarchiæ Goldasti pag. 1462. In Syntagmate Schardij pag. 104. &c.

137. B. IORDANVS de SAXONIA Quidelimburgi sęculo, & Religioni ortus, S. T. Lector Magdeburgensis. Anno 1318. interfuit Congressui Generali Ariminensi. Talia cum diuinis habuit commercia, vt anno 1326. visione mirabili recreatus fuerit, qua protendebatur S. P. Augustini corpus Eremitico Ordini esse redonandum, cuius etiam digiti particulā non sine miraculo obtinuit. Plura quoque à superis beneficia consecutus est; nam dum in Germania totius Ordinis Vicarij Generalis dignitatem possidebat, voto noncupato limina Apostolorum inuisendi, vt sedaretur pestis, illicò cessauit. Bis à naufragio, semel à latronibus, semel à morsibus canum euidentibus miraculis liberatus extitit. Lugduni in Gallia graui, & periculosa infirmitate decumbens S. Martini intercessione sanatur. Anno 1331; cùm esset Lector Erfordensis, à Saxoniæ Prouinciali, quem Pontifex simul cum Præposito B. Mariæ Virginis Commissarium suum specialiter deputauerat in causa cædis Burchardi III. Archiepiscopi Magdeburgensis, ad sui locò agendum subdelegatus, opus felici fine conclusit. Anno etiam 1336. cum Angermunda in Brandeburgensi Diœcesi Luciferianorum hæresi turpissimè inficeretur, per nostrum Iordanum tunc Lectorem Magdeburgensem, & Nicolaum Ordinis Minorum Guardianum purgata remansit, & quatuordecim personis vtriusque sexus in purgatione deficientibus, per Aduocatum Marchionis igni traditis, Fidei orthodoxæ restituta. Bis Saxoniæ Prouincialis, ac in pluribus Prouincijs Visitatoris munus laudabiliter gessit. Herrera accuratissimus credere inclinat esse veram assertionem Posseuini, illum obijsse 1380. eo, quia nulla ampliùs apparuit ipsius memoria in Regestis Ordinis, attamen improbabilem iudicat opinionem aliquorum testantium decessisse Viennæ Austriæ, sepultumque in eodem tumulo cum Thoma Argentinensi, & Gregorio Ariminensi Generalibus, alijsque; quia incredibile est auctorem antiquorum carminum sepulcro appositorum meminisse inferiorum virorum, & Iordanum Doctorem clarissimum, sanctissimum, & notissimum silentio inuoluisse. Quomodocumque verò res se habeat, certissimum est B. Iordanum Saxonicum in illo Theologorum numero, qui diuinam sapientiam in Alemania profitebantur, principatum obtinuisse; do-

ctrinæ suæ eminentia in Germanorum Scholis suprema subsellia occupasse, ob multarum antiquitatum indagationem vniuerso Ordini magno in pretio extitisse; & principaliter vitæ sanctimonia effulsisse. Beatis illum associarunt Ambrosius Coriolanus, Cardinalis Seripandus, Ven. Alphonsus ab Orosco, M. Marquez, alijque; & quod notabilius, Beatum vocauit insignis Summus Pontifex Sixtus V. in Bulla præfixa Operi. *Vitæ Fratrum* Romæ edito. Iustis preconijs honoratur ab omnibus Ordinis Historicis, & fusiùs ab Herrera, non solùm, in Alphabeto Augustiniano pag. 374; & seq; sed præcisè in Responsione Pacifica à pag. 360. vsque ad 372. ostendente contra Vadingum, verum auctorem Libri Vit. Fratrum fuisse Iordanum nostrum, & omnia, quæ supranotantur, ex eodem Libro desumpta esse, à quo Herrera cæteri mutuarunt. Externi porrò laudantes, plurimi cernuntur, inter quos Trithemius de Script. Eccl; & in Catalogo illustrium Virorum Germaniæ pag. 151; Volaterranus lib. 22. Antropologiæ col. 765; Rhenatus Coppinus in Monastico lib. 2. n. 32; Posseuinus in 2. To. App; & in Bibl. selecta lib. v. cap. v. pag. 398; Arthmannus Schedelius in magnis Chronicis Mundi, Sixtus Senensis lib. 4. Bibl. sanctæ pag. 273; Eysengrenius in Catalogo Testium veritatis, Marraccius in Bibl. Mariana pag. 815; Gesnerus in Vniuersali pag. 465; Frisius pag. 517; ac vltimò Robertus Gerio in Append. Operis Caue pag. 286. Hac occasione præterire non possum, quòd licèt verissimam, & fundatissimam teneam censuram appositam Sermonibus ad Fratres in Eremo à mèo eruditissimo Iacobo Hommey, quam amplexatam etiam sunt sapientissimi S. Germani Parisiensis Benedictini Monachi, quæ est: *Pauci mihi stylum , ingeniumque S. Doctoris exhibent, plures mentiuntur , plurimi offendunt*. Tamen quãuis pag. 659. sui supplementi asserat peruicacem, qui pernegauerit B. Iordanum non fuisse primum inquisitorem, inuentorem, compactorem, ordinatorem, & scriptorem eorumdem Sermonum) si verum est, quod protulerunt Ioannes Mauburnus Canonicus Regularis, & Abbas Liriacensis in libro inscripto Venatorium Canonicorum Regularium, & meus clarissimus Carolus Moreaù in VindicijsAugustinianis par. prima pag. 35; nescio, quomodò sententia Hommey subsistere possit. En verba supradictorum: *Inuenimus in fronte Libri Sermonum istorum, quòd Sermones isti in Abbatia S. Dionisij fuerunt comper-*

ti in

ti in quodam Libro à Presbytero Ioanne Capellano Ecclesiæ SS. Geruasij, & Protasij tempore Pipini Regis Francorum conscripti. Deinde sequitur Moreaù. *Autographum extat hodie Parisijs in Biblioth. Regia, ex qua depromptum fuit exemplar, quod habetur apud Sanctum Victorem. Vnde plusquam octingentorum annorum claret antiquitas.* Labbeus, vbi de Ægidio Columna loquitur, vocat nostrum Iordanum Iacobum; & quod deterius est, eum vixisse profert in Indice post annum 1501. Sed quid mirum? Oculo liuido res Augustinianas conspiciebat: Imò non aspiciebat, nec considerabat. Iudicet igitur eruditus Lector, quid sentiendum sit de eo, quod scripsit contra Auctores ab Elssio nostro citatos, si aliquorum nec nomen nouit. In indice quoque nominat inuoluntariè Dantem Aligherium O. M. scilicet Ordinis Minorum. Opera, quæ Iordanus exarauit, sunt infra exposita. Qui sepultum esse in eodem tumulo cum Argentina, & Gregorio Arim. Iordanum asserunt, ei insculptum Epigramma sequens adducunt:

Tres dant Saxonia, Ariminum, Argentina parentes,
Vna tot ingenuos terra creare nequit.
Et tria tres patriæ, pietatem, dogmata, Regnum,
Ter tria centenum continet Empyreum.
Spesque, Fides, Charitas, hos tres coniunxerat vni;
Tres ter felices vnus habet tumulus.

Opus Postillarum, & Sermonũ de Euangelijs Dominicalibus cõpilatum à F. Iordano de Quodlimburg Lectore Magdeburgensi Ord. Erem. S. Aug. impressum Argentinæ 1483. fol. Eum vidi in nostra S. Augustini Senarum.

Sermones de Sanctis. Parisijs an. 1500. & 1525. ex Officina Damiani Hichman sub signo quatuor Elementorum in 4.

Liber, qui dicitur *Vitæ Fratrũ* compositus per B. F. Iordanum de Saxonia, in quo de quadruplici communione Regularis disciplinæ, origine, & progressu Ordinis S. Augustini agitur, & eiusdem Regula declaratur. Italicè primò edidit Reuerendissimus Augustinus Fiuizanius sacrista Apostolicus. Romæ apud Ioannem Martinellum 1585. 4. deinde ab eodem editus Latinè cum notis Marci Antonij Maffæ Salernitani apud eundem Martinellum 1587. 4. Ac notis Augustini Sabothij Augustiniani Antuerpiensis. Leodij typis Christiani Ouvvers 1620. 8. Antuerpiæ apud Guillelmum de Tungris in 8.

Theoremata, & Documenta 254. in articulos Passionis Domini in partes septem iuxta septem horas Canonicas diuisa, impressa sunt olim in 4. chartis 17; & iterum in 8. char. 8; vt asserit Frisius, sed nec impressorem, nec locum nominat.

Vita S. P. Augustini Hipponensis Episcopi à B. Iordano collecta, edidit P. Hommey citato in supplemento, vna cum Tractatibus Translationum, & Syllabo Sermonum ad Fratres in Eremo, ad Presbyteros Hipponenses, & ad Populum &c. à pag. 569. vsque ad 658. Supplementi igitur editum est Parisijs apud Horthmels 1686. 8.

Vita S. Matris Monicę. Hanc Robertus Gerio asserit editam in To. p. Maij ad diem 4. Operis Bollandiani; sed non bene obseruauit, ni fallor; est etenim ipsa vita collecta ex Operibus D. P. Augustini à Vvaltero Canonico Regulari Arausiensi.

Tractatus de Passione Domini, incipiens: *Inspice, & fac secũdum exemplar*; editus est, asserit Herrera Argentinæ 1484. fol.

Commentaria in Apocalypsim B. Ioannis lib. 1.

Commentaria in Regulam S.P. Augustini lib. 1.

Quadragesimale lib. 1.

Quæstiones variæ lib. 1.

Apologia Ordinis nostri lib. 1.

Tractatus de Spiritu libertatis lib. 1.

Tractatus in Orationem Dominicam lib. 1.

Aliaque plurima. *Omnium penè Manuscriptorum B. Iordani Codices in Parisiacis Bibliothecis vidi, sæpe triplici, quadrupliciue geminatos exemplari, tanta fuerunt omnibus doctis semper in pretio.* Sunt verba mei Hommey pag. 658. sui Supplementi.

138. IVLIANVS BRIGANTINVS Collensis Etruscus, Antonij Filius. Suo tempore subtilitate ingenij, & scientiarum peritia ferè absque æquali suspiciebatur. In sua Patria habitum Religionis induit, annum probationis peregit, inibique professionem emisit. Cùm ante Ordinis ingressum bonas literas possideret, in ea professus statim ad speculatiuas scientias acquirendas promotus fuit, in quibus altissimos statim progressus fecit. Propterea iuuenis Sacræ Theologiæ Cathedrã rexit Pisis primùm, deinde Arimini, Perusiæ, Bononiæ, & vltimò Paduæ. Tam ardens, & acutus in publicis disputationibus eluxit, vt aduersarij cum ipso concertare timerent, quia illius sublimi ingenio obsistere non poterant. In Pergamis quoque ob eloquentiæ, gratiæ, & suadellæ copiam, ac doctrinæ profunditatem, magnum sibi honorem, & gloriam acquisiuit; ideoque primarijs in Vrbibus summè exoptatus erat. Inter alias præclaras Ciuitates Venetijs eius valor, & eloquentia tam lucidè eminuerunt, vt post egregiè peractum quadragesimalem cursum, vltra plurima alia munera, à nobilissimis Senatoribus 60. argentea Toreumata imagine ipsius ex vna, & ex alia parte gentilitio stemmate insculpta donatus fuerit; quorum vnum V. Iuris Doctor Albertus Magdallus, Ciuis Col-

lensis 1650.adhuc possidebat. Composuit Tractatum vnicum de *Certitudine gratiæ Dei*, *& salutis nostræ*, in quo quia, nimis profundè philosophari ausit, iure merito à Tridentino Concilio damnatus fuit. Cùm esset Regens Patauinus, edidit primo Hexameron Ægidij, dicauitque Càrdinali Ioanni Grimano Aquileiensi Patriarchæ, atque in dedicatoria plurima ad Doctoris Fundamentarij laudem inseruit. Patauio Romam accersitus, vt corrigeret, emendaret, vel detestaretur supranotatum librum iam prohibitum, cùm illum defendere voluisset, vt fama detulit, mandantibus supremis Inquisitoribus in carcere detentus, dolore tactus (figuntur enim intimè in magnis mentibus,quæ pungunt æstimationem,tela) breui interuallo interijt, videlicet circa finem anni 1551.Eum nominant nostri Herrera, & Elssius, sed pauca de ipso proferunt, ac Frisius in Gesneriana pag. 523. Supranarrata excerpsi è libro M.S.Italico in Fol.Annalium, & Historiarum Conuentus S.P. Augustini Collensis Ciuitatis cum Religiosorum illustrium memoria P.Bacc. Leonardi Lessij eiusdem Vrbis pag.194; & pag. 410.in notitijs ab eo datis P.Augustino Lublin Parisino Toreumata supranominata argentea fuisse asserit, cùm primùm aurea dixisset. Titulus Operis Ægidiani est: *Hexameron Domini D.Ægidij Columnæ Romani Archiepiscopi Bituricensis, nuper à R. P.Fratre Iuliano Collensi Patauini Gymnasij apud Eremitanos Regente recognitum, & in lucem primò editum, quod antea temporis iniuria fermè perierat. Patauij apud Iacobum Fabrianum* 1549.4. Adamantis Florentini Hexasticon in laudem Operis.

Luce carebat opus rutilis fulgentius astris,
Sol vt ab Oceani non rediturus Aquis.
Hic namque abscondit clarus sua lumina Titan,
Prima etenim libri gloria, parsque fuit.
Collensis Phœbo par est, qui Sole reperto
Ignotum nobis edidit orbe diem.

139. IVLIANVS FALCIGLIA de Salem Siculus,illustrium virorum Pauli Veneti, & Ioannis de Cypro discipulus; anno enim 1422. ad instantiam dicti Pauli Veneti in Studio Senensi à B.Generali Augustino Romano fuit locatus. Eo in Studio, ac demum in Bononiensi, & Paduano omnes speculatiuas scientias acquisiuit. Anno 1432. iam S.T. Doctor, & Regens Ariminensis die 30.Iulij assumitur in Generalis Socium, & in Concilio Basileensi vices Procuratoris Gen.gerebat. Ro-

mana

mana in Curia, nec non in tota Italia Vicarij Generalis munus aliquando obiuit, fuitque Præses 1433. Capituli Rheni, & Sueuiæ Prouinciæ. Anno 1443. in Generali Congressu Senis die 9. Iunij ad supremum Ordinis Præsulatum assumptus. Ob eius raram industriam, prudentiam, & dexteritatem, atque Ordinis zelum ardens (qua de causa aliquas prælibatas Infulas recusauit) per tres vices in regimine confirmatus extitit, nempe Bituricis in Gallia 1447; Ferrariæ 1451; & vltimò in Auenionensi Cœnobio 1455. Tempore sui Præsulatus, nec non eius vigilantia, & indefessa attentione obtinuit Ordo noster ab Eugenio IV. D. Nicolai Tolentinatis Canonizationem. Hanc, vt aliqualiter appareat, qualis fuerit, & quid fecerit, ac insumpserit Ordo sub tam præclaro Generali, ex Ciacconio, & Victorello breuiter expono. Anno 1446. die 5. Iunij Festo Pentecostes Pontifex à S.Petro cum omni Clero processit ad Ecclesiam S.Augustini, ibique solemniter celebrauit &c. Fratres nostri Confalonem fecerunt purpureum cum Effigie D. Nicolai canonizandi, & cum imaginibus S.R.Ecclesiæ, S.Augustini, Papæ, & Populi Romani, subter quod Papa exceptus fuit. Absoluta Missa Fratres nostri duos cados vini falerni, plures hædos, phasianos, pullos, gallinas, anseres, turtures, cotturnices, & vitulam vnam in oblationem obtulerunt; viæ velis opertæ, & ornatæ pannis aureis, bombicinis, & laneis à S.Augustino vsque ad S. Celsum, & floribus, herbis odoriferis sparsis, myrti, roris marini, genestæ, fæniculi, lauri, abrotani &c.Sumptus à meis Augustinianis factus excessit quinque mille aureorum. Migrauit ex hac vita D.Nicolaus 1305. die Sabati 10.Septembris ætatis annorum 60; vt expressè patebit in fine huius operis, vbi eorum, qui ex nostris de illo scripserunt, notitiam proferam. Condonet quæso eruditus Lector meæ affectuosæ deuotioni erga splendidissimum Sanctitatis Solem, D.inquam Nicolaum Tolentinatem, hanc mediocrem digressionem. Iulianus itaque noster ab anno 1451.ferè assiduis ægritudinibus, & ipsa senectute grauiori morbo pressus laborauit, donec Messanæ in Sicilia 1459. piam animam exhalauit ante diem 20.Maij, ac in nostro Cœnobio eius corpus humatum. Ipsum vocauit litteratissimum, ac tum disputando, tum legendo, tum componendo suo tempore clarissimum Ambrosius Coriolanus Gen. in Chronicis n. 31. de viris illust. Ordinis. Commendant quoque egregiè alij

Scrip-

Scriptores nostri, ac memorat Frisius in Gesneriana pag.524. De ipso tamen clariùs different clarissimi eruditi D.Antonius Mongitorius Panormitanus Presbyter sæcularis, & P. Hieronymus Ragusa Motycensis Soc.Iesu in Bibliotheca Sicula, seu de Siciliæ Script;quam separatim quamprimùm edent.Scripsit.

Deffinitiones, & Additiones super Constitutiones, nec non formularium, & Priuilegia Ordinis. Testatur B Alexander Oliua Gen. in Regestis.

Tractatum de probatione Religionis ex eodem Card. Oliua.

De sensu composito lib.1.

De Sophismatum regulis lib.1.

De medio Demonstrationis lib.1.

Terminorum naturalium lib.1.

Tractatus singulares.

Commentarios plures, aliaque.

140. LVCAS de Offida Picenus. Cœnobium Offidanum (quod illustratura Sacræ Eucharistiæ miraculosa Hostia, quam anno 1273. P. Iacobus Diottaleuius Religiosus prudens, & exemplaris è Lanciano, vbi Prior erat, Offidam detulit, vt Patriam, & Cœnobium tam raro, & cælesti thesauro ditaret) aluit nostrum Lucam, qui propterea à Patria Offidanus est dictus. Anno 1419. iam erat S.T.Magister, & 1420. institutus fuit à Reuerendissimo Ordinis Præsule Vicarius Generalis Lucani Monasterij, vt idem in perfectam obseruantiam redigeretur, sed obsistentibus aliquibus, opus perficere non potuit: Quapropter eodem anno missus fuit Prior in Cęnobium S.Stephani Venetiarum, & post biennium, nempe 1422. S.Augustini Neapolis S.T.Regens designatus. Anno demum 1429. septimo Kalend.Februarij à Martino V.Ecclesiæ Adiacentis in Corsica Episcopus constitutus, eam Cathedram vtiliter, & piè rexit per annos nouem. Plura munera pretiosa misit Cœnobio S.Augustini Romano, & Patriæ Offidanæ. Ad æternam requiem denique transiuit anno 1438. Ipsius meminit Vghellus To.3.Italiæ Sacræ col.596; sed vitio Amanuensis Lucas de Offredo vocatur. Meus Ghirardaccius in 2. par. Hist. Bononiensis profert, fuisse Doctorem Collegialem, sed malè Archiepiscopum Iadrensem nominat, confundens cum nostro Luca Firmano, qui Iadrensis Archiepiscopus extitit, Eum quoque laudant Pamphilus, Herrera, Elssius, & Torellus. Adfuit Translationi Reliquiarum S.Matris Monicę, ac memoratur in Sermone Martini V. pag. mihi 20. Scripsit.

Lectiones varias super Aristotelem: Testatur Ghirardaccius.

Commentaria super quatuor Sententiarum ex meo Rubeo.

141.VEN-

141. VEN. LVCHINVS de Aretio Mediolanensis ex nobili, & conspicua Prosapia de Arconatibus, vt plerique testantur Scriptores. Cùm in sæculo humaniores litteras addidicisset, post ingressum Religionis 1446. ad sacras scientias, & Diuina Mysteria elucidanda totum se dedit. Suorum sublimium studiorum ductores elegit D.Paulum, ac S. Protoparentem Augustinum, eorumque operibus tam ardenter inhæsit, vt postea in disserendo, & concionando, omnia, quæ proferebat, è fluidis fontibus illorum doctorum emanarent. His dotibus fulgens Luchinus principalia Italiæ rostra ascendit, certatim ab ipsis exoptatus Vrbibus, in quibus, & vitia fortiter extirpauit, & virtutes diligenter plantauit. Hac pariter de causa inter quatuor Concionatores priuilegiatos suæ Congregationis primus adnumeratus euasit. Anno 1481. gubernio Sauonen.Monasterij S.Augustini præsedit, quo tempore incepta fuit Bibliothecæ fabrica mediantibus eleemosynis Ciuitatis, & Cardinalis S.Petri ad Vincula, postea Iulij II. Summi Pastoris. Eo in regimine etiam duabus alijs vicibus cum eiusdem Monasterij vtilitate resedit. Cænobium quoque Coronatæ Mediolani, cùm ipsi præfuit, ampliauit, illustrauitque. Cuiusdam imaginis Religiosi crucifixi pluribus Hierogliphicis ornatæ, ostendentis, qualis esse debeat Religiosus in Claustris, inuentor fuit: quam effigiem ipse ad viuum profectò, expressit; nam & indefessus Crucifixi imitator, & ardens amator in tota vita apparuit. Plures dignitates in sua Congregatione possedit; extitit enim semel Visitator, & Præsidens, decies Deffinitor, & bis Vicarius Generalis, semperque prudens, industrius, & vtilis emicuit. In aduersitatibus eiusdem suæ Congregationis eam tutatus est, & quoad potuit, priuilegia defendit. Tandem in decrepita ætate, nempe annorum 77. Religionis 55.; plenus meritis, & virtutibus ornatus, corporis carcere solutus, animam Creatori reddidit anno 1501. Eum, vltra Pamphilum, & alios nostros, Beatum vocauit Paulus Morigia de Nobilitate Vrbis Mediolanensis lib. 1. cap. 11; Elssius; & Herrera tamen non bene agnouere, quorum primus incongruè in duos diuisit, Fusiùs verò de eodem noster Caluus in Memorijs Hist. suę Cong. Vicario Gen. 38; pag. 128. Ipse Luchinus in libro de Procemijs se nominat Luchinum de Aretio Mediol; ideo, cùm Scriptores eum vocent de Familia Arconatuum, meo quidem iudicio facilè ex Aretio ciuitate

Etru-

Etruriæ originem trahebat, vnde dictus de Aretio. Scripsit itaque.

Egregium, ac perutile Opusculum per R.P. Fratrem Luchinum de Aretio Mediolan. regularis obseruantiæ Sacri Ord. Herem. S. Augustini Cong. Lombardiç compilatum de Procemijs. Mediolani industria, & impensa Alexandri Minutiani Oratoris facundissimi 1500. 8; ac Venetijs per Bernardinum de Vitalibus 4. 1518. Epigrammma in laudem Auctoris.

Luchinus miserans tardæ commercia linguæ.
Doctoris partes sedulus hic peragit.
Arguit, hortatur, commendat, cuncta retundit.
Crimina, sancta, bona, facta nefanda, virum.

Conciones per totam Quadragesimã, & Anni Dominicas To. 2; Aliaque.

142. LVDOVICVS, SEV ALOYSIVS de Marsilijs nobilis Florentinus, omnibus tam sacris, quàm humanis doctrinis egregiè instructus, eloquens Orator, ac Philosophus, & Theologus singularis. Hic ob præclaras animi sui dotes tantam apud Florentinam patriam sibi gloriam comparauit, vt ad eum non solùm viuentem præstantissimi Vrbis primates tanquam ad quoddam diuinum oraculum confluerent suæ celeberrimæ sapientiæ, prudentiæque in perarduis Reipublicæ negotijs res magnas committere, Oratoremue ad amplissimos Principes destinare non dubitarent, sed etiam ipsum vita functum Patres publicis sumptibus in Cathedrali Ecclesia humandum, atque nobili sepulcro cohonestandum instituerent. Quales autem fuerint dotes, & eximiæ qualitates nostri Marsilij, elucidarunt plures viri præclarissimi eiusdem, & subsequentis sæculi, inter quos primus in claritate apparuit D. Antoninus Archiepiscopus qui 3. par. Hist. tit. 22. cap. 2. §. 14. *Anno 1387. mense Nouembris*, inquit, *Clemens Antipapa destinauit solemnes Oratores ex Auenione Florentiam, qui honorificè suscepti sunt, quibusdam nobilibus obuiam egredientibus. Magistratus tamen ante audientiam eorum, vti viri timorati, voluerunt habere consilium à Venerabili S. Paginæ professore M. Aloysio Marsilio Ordin. Eremitarum peritissimo viro, & laudabilis vitæ, ac famæ eximiæ, vtrum liceret eos Legatos audire. Quibus vir ille magni consilij respondit, licitè fieri posse, quia exponendo rem vtilem Christianitati, poterunt iuuare, & executioni mandare; si contrarium proponerent, non exequi illa, sed eos licentiare à Ciuitate. Quod fuit obseruatum &c.* Eloquentissimus Franciscus Petrarcha in libro 15. epistolarum senilium hæc inter alia ipsi Marsilio scripsit:

Magnam tui nominis vberem materiam, & lætandi tribuit, & sperandi, ante alios mihi, quo fortasse non alius in te oculos altiùs defixit. Clarum tibi lumen ingenij Deus dedit, industriaque nobilis stimulos addidit, atque ex his notitiam rerum variarum pro ætate mirificam &c. Poggius etiam Florentinus in Oratione 3. in Nicolai Nicoli funere hæc reposuit: *Cùm floreret in hac Ciuitate eximia virtus doctissimi omnium viri Ludouici Marsilij ex Religione Augustini; contulit se in eius familiaritatem, vt vnà cum studijs doctrinæ, vitæ quoque, & morum institutionem perciperet. Erat domus Ludouici referta tunc egregijs adolescentibus, qui sibi vitam eius, & mores proposuerant imitandos. Frequentabatur quoque ab optimis, ac præstantissimis viris huius Ciuitatis, qui ad eum velut ad diuinum quoddam oraculum confluebant. Erudiuit autem, liberaliterque instituit plures, qui viri doctissimi euaserunt, sed emersere inter alios præcipuè Ioannes Laurensis, Robertus Rossus, & hic noster Nicolaus, qui cæteris rebus posthabitis, numquam à latere Ludouici discedens, optimis præceptis viuendi institutus est, & plurimum temporis impertijt. Morum autem seueritatem, & loquendi harmoniam quandam, ac in reprehendendis vitijs libertatem ab illo hausit, qui erat promptissimus, & paratissimus ad vitiorum obiurgationem. Accedit enim, vt imitemur mores, quibus cum ab adolescentia educamur. Hac ratione vita imbutus, duas res, quæ ferè ab omnibus summè exoptantur, studio apertè contempsit; diuitias videlicet, & honorum cupiditatem &c.* Ludouicus Guicciardinus in libro Italico, cuius titulus: *Dicta, & facta iocosa, & grauia*, impressionis Venetæ 1596. pag.63. sequentia narrat, quæ ostendunt prudenter nostrum Marsilium inuidiam, & malignitatem obtudisse. Ludouicus Marsilius Augustinianus, vir ingenij, & doctrinæ singularis, educauerat, & erudierat in humanioribus studijs pauperem iuuenem Ioannem vocatum, qui posteà doctissimus euasit. Accidit, quòd alter discipulus ab inuidia incitatus occultè incepit eum vituperio afficere, affirmans Magistro, illum esse naturæ nequam, ingratumue, atque ideo de ipso murmurare, & in obscura opinione ipsum habere, & cum denuo hoc asseueraret; Marsilius, vt prudens, petijt ab eo, quantum temporis esset, ex quo Ioannem agnosceret? Circa annum, respondit ille. Tunc Ludouicus; miror igitur, inquit, te æstimare temetipsum tam accuratum, & me tam hebetem, quòd agnoscere potuisse præsumas naturam, & mores Ioannis vno anno,

meliùs

meliùs, quàm ego decem. Ammiratus eius meminit cum laude lib.74. Hist.Florentinarum ad annum 1384.pag.763; & ad annum 1387. lib. 15.pag.787; & Libro 16. pag. 843. scribit: *Obijt mense Augusti Fr. Aloysius de Marsilijs de Florentia Ordinis Erem. S. Augustini, & quia habitus fuit vitæ, & morum exemplaris, doctrinæ, & scientiæ excellentis, & vir magnæ eloquentiæ: ac cum multis in negotijs domi, forisque, diuersis cum Principibus egregiè suæ Reipublicæ inseruisset; Magistratus, vltra honorem delatum publicis expensis in exequijs, sepulchrum ipsius confici mandauit, quod hodie adhuc depictum in magna Ecclesia S. Mariæ de Flore conspicitur*: Leonardus Aretinus libro nono suarum Hist.Florent.pag.200.sequentia quoque exposuit. *Andegauensis intereà dimensus citerioris Galliæ spatium, in Bononiensem Agrum peruenerat. Ad ipsum quoque Oratores missi, Ludouicus Marsilius (hic erat Theologus famæ præcipuæ) ac duo splendidissimi Equites Luisius Guicciardinus, & Guccius Cini. Hi in Agro Bononiensi illi obuiam facti aduentum eius in Italiam gratulati sunt, & Ciuitatis deuotionem erga se, domumque Regiam ostenderunt, benignèque ab illo suscepti, ac bene de se, aduentuque suo sperare iussi dimittuntur*. Paulus Minius in nobilitate Florentina edita 1614.pag.89. hæc in encomium nostri Marsilij expressit: *Ludouicus Marsilius sibi acquisiuit famam singularissimam disputans subtiliter in Concilio Florentino contra Græcos, & cogens illos viuidis rationibus ad confitendum Spiritum Sanctum æqualiter procedere à Patre, & Filio. Vnde Florentia illum donatum honorauit sepulcro, & Epitaphio ad Sanctam Mariam de Flore*. Quod de Marsilio in Concilio Florentino protulit Minius, hoc etiam asseruit Petrus Ioannis Monaldi in libro M.S. Hist; & Nobilitatis Florentiæ, vbi de Familia Marsilia. Hic ipsorum error ex textu Leandri Alberti in descriptione Italiæ, vbi de Ciuitate Florentiæ pag.mihi 47. malè intellecto, vt bene obseruaui, originem duxit. Difficile enim est, ait Herrera, quòd superuixerit vsque ad Florentinum Concilium. Nihilominùs si verum foret, quod profert Poccianțius in Scriptoribus Florent. pag.117. illum obijsse 1450; pluribus annis post Concilium in humanis egisset. Tamen, quod verius puto, ex Vitis Pictorum Georgij Vasarij part.1.pag.152.videtur illum decessisse anno, quo ab Eugenio IV. consecrata fuit Metropolitana S.Mariæ de Flore, videlicet 1436; ac facilè mense Augusti, vt inquit Ammiratus. Quando Franciscus Petrarcha ad eum

 dire-

direxit epiſtolam ſeptimam lib.14; Marſilius adhuc valde iuuenis erat, vt legentibus patebit. Facilè ad decrepitam ætatem peruenit. Cùm viuens omnibus profuiſſet, publicæque conſuluiſſet commoditati, curauit etiam, vt poſt exactam ſanctiſſimè vitam, laborum ſuorum fructus ad poſteros emanarent. Ob id ingentem librorum copiam, quos multis ex locis conquiſierat, Bibliothecæ ſui Ordinis legauit, quam antea multis præſtantiſſimis Codicibus ditauerat Ioannes Boccaccius. Ipſius igitur oſſa recondita fuere in Cathedrali Florentina ad dexteram illius ampliſſimi Templi, vbi adhuc imago cernitur, atque hoc Epithaphium. *Florentina Ciuitas ob ſingularem eloquentiam, & doctrinam clariſsimi viri M. Luisij de Marſilijs ſepulcrum ei publico ſumptu faciendum inſtituit.* Aliqua ſupranarrata ex meo Pamphilo ferè ad verbum deſumpſit Pocciantius, nã ex primo cæteri mutuarunt, etiam Poſſeuinus laudat To.1. Apparatus in Appendice pag. 628. Nullus hucuſq; quidnam ipſius editum ſit, expoſuit. Hanc præclaram notitiam habui à celeberrimo Magliabechio, (Vir is eſt profectò, licet aſpectu, & cultu philoſophico, eruditione tamen, doctrina, & moribus conſpicuus: Vtinam readoleſcere poſſet ad eruditorum conſolationem) In ſequenti enim libro cernuntur duæ pulcherrimæ Epiſtolæ Marſilij.

Proſæ antiquæ Italicæ Dantis, Petrarchæ, Boccaccij, & aliorum nobilium, & doctorum ingeniorum ab Antonio Franciſco Donio coadunatæ. Florentiæ apud Donium die 1. Auguſti 1547. 4. Pag. igitur 46; 47; 48, & 49. eiuſdem libri inuenitur Epiſtola Fratris Luiſij de Marſilijs ad Domicillam Virginem, quæ Chriſti Domini ad ſepulcrum inuiſendum pergere volebat. Data in S. Spiritu de Florentia die 7. Iulij 1372. Hanc memorat Virgilius Italicus ſui temporis Torquatus Taſſus epiſt. 72. ad Siluium Antonianum poſtea Card. lib. ſuarum epiſtolarum Poet. Secunda pag. 49; 50; 51; 52; & 53. P. Luiſij Marſilij ad Guidũ M. Thomæ, in ipſa reprehendit vitam non puram Clericorum ſui temporis; ac data eſt Pariſijs die 22. Iulij 1375. Scripſit etiam Vetus, & nouum Teſtamentum carmine heroico; extabat olim in noſtra Florentiæ.

Quæſtiones Theologicæ lib. 1.
Commentaria diuerſa lib. 1.
Sermones varij lib. 1.
Variarum epiſtolarum liber vnus, qui habetur M.S. in Bibl. Laurentiana, & in domeſtica eruditiſſimi Magliabechij.

143. VEN. LVDOVICVS DE MONTOIA Hiſpanus. Apud Belmontem in Marchia Aragoniæ ex Aluaro de Leon, & Agnete de Montoja honeſtis coniugibus originem duxit

1497.

1497. 15.Maij. Augustinensem induit vestem 1514; & 1515. 18.Aprilis professionem emisit. Cępit statim virtutibus, non solùm moralibus, quod principale est, sed etiam intellectualibus illucescere. Quare breui concionator facundus,& feruens, ac prudentia ita illustratus conspiciebatur, vt ætatis 24. annorum ad Magistri Nouitiorum onus graue se subijcere iussus fuerit. Postquam nomine Sedis Apostolicæ, & Ordinis Prioris Generalis Castellæ Prouinciam ad exactam normam reduxisset,& pluribus annis conscientiam Regis Lusitaniæ Ioannis III. direxisset, sua industria effecit, vt Rex Ordini nostro impensè deuotus anno 1542.Regale Collegium Conimbricense construi iuberet Augustinianis Iuuenibus, qui ad æterni Numinis gloriam, & Regij nominis perpetuam memoriam bonis artibus instruerentur,eosque interea cibo regio intra quamdam domum pasci, & educari mandauerat, velut in suæ promissionis pignus singulare. Ad talis operis instructionem ferunt Ludouicum 13. Nouembris 1542. Conimbriam iuisse, & 13.Ianuarij sequentis anni primum lapidem posuisse. Anno 1551.25.Februarij Monasterio S.Petri de Ceite Ordinis S. Benedicti Portugallensis Diœcesis Abbas commendatarius institutus fuit; eodemque anno simul cum Sebastiano Tuscano Lusitano Capitulo Generali Romæ interfuit. Anno 1565. Prouincialis denuo Lusitaniæ,& Regis Sebastiani, tunc solummodo Principis, Confessarius, deindeque ad Insulam Vissensem in eodem Regno promotus, sed humiliter vtramque dignitatem dimisit, vt expeditiùs Deo, quem iam ad aliam vitam vocantem sentiebat, inseruiret. Denique anno 1569.7. Septembris die Iouis meritis, & annis plenus, virtutibus, & miraculis etiam post mortem illustris, ad Deo æternè fruendum euolauit. Extat processus auctoritate Archiepiscopi Vlyssipponensis efformatus de eius vita præclara,& mirabilibus signis. Anno 1573. 21.Decembris Generalis Ordinis concessit D.Helenæ de Lincastro Ioannis II.Regis Lusitaniæ nepti in Sanctum virum, & Religionem nostram propensissimè affectæ, vt corpus eiusdem Ven.Ludouici posset transferre in Capellam ab ea constructam prope Sacrarium nostrum, & sub illius altare condere. Modò verò extat iuxta altare D. Nostræ de Gratia in superiori loco collocatum de Ordinarij facultate, promouente D.Georgio de Ataida Episcopo Vissensi, & simul cum toto Cęnobio processionaliter assistente: Elogio isto lapidi insculpto decoratur; Mo-

Mole sub hac lapidum Montojam è Bethide tellus
Lusitana tegit, si tamen illa tegit.
Cuius ab exculptu nullis stat decolor annis
Viuida Religio, non iacet ille iacens.

Auctor Theatri triumphalis addit, *Eum Prouinciam reformasse, & rexisse 30. annis, viuum & mortuum miraculis enituisse, & ex his celebriora ab Ordinario ritè probata, eiusque corpus in sepulcro iaspideo Lixbonæ reconditum, in magna veneratione haberi; eum fuisse Sebastiani Lusitaniæ Regis pedagogum, duo volumina in lucem dedisse, & à Sancto Patriarcha Ignatio de Loiola rogatum per Litteras, à Ioanne III. Lusitanorum Rege institutionem illustrissimi Ordinis Societatis Iesu in Vrbe Lixbonæ auspicatissimè impetrasse.* Dum hi religiosissimi Patres Conimbricēse Collegiū erigerent, cùm Ludouicus noster Fratres suos verbis exhortatorijs instrueret, veniebant, & ipsi domum nostram cælestis illius doctrinæ pabulo saginandi. Meus Simplicianus San-Martinus Tolosanus in Libello supplici pro immaculata B. Virginis Conceptione, quem primò edidit sub nomine Ioannis à S. Maria, posteà sub proprio nomine, Tolosæ apud Raymundum Bosc, & Socium 1662. 8. pag. 337. reponit: *Ludouicus de Montoja Lusitanus legendo vbique, & prædicando constanter defendit B. Virginis immaculatam Conceptionem, inque pluribus sermonibus hac de re habitis, qui propter sanctitatem viri, & eruditionem asseruantur M. S. in Bibliotheca Collegij de gratia, cuius ipse fuit fundator.* Eum commendarunt omnes nostri, inter quos Cornelius Curtius in Elogijs exponens imaginem ad viuum, Ægidius de Præsentatione in Tract. de Concept. lib. 3. quæst. 6. art. 45; meus eruditus Antecessor P. Aprosius in Pentecoste Scriptorum Anonymorum &c. detectorum pag. 106; & distinctè Herrera in Alphabeto. Inter exrernos elucent Marraccius in 2. To. Marianæ pag. 63; Petrus de Alua in Bibl. Concept. col. 983; Miræus de Script. Eccles; Amicus Abbas Paccichellius in Memorijs suorū itiner. Tom. 2. pag. 393; & Nicolaus Antonius in 2. To. Bibl. Hispanicæ pag. 44; & 309. Vitam Ven. Ludouici nostri edidit Hieronymus Roman Aug. Vlisypponæ 1518. 8. Hanc tamen Thomæ à Iesu discipuli eius pariter Augustiniani, aliàs de Andrada esse monuit Georgius Cardosus Hagiology Lusitani vol. 2. die 17. Aprilis Lit. D. Tractatum quoque de Vita eiusdem Beati ibidem 1629. 4. emisit in lucem Lusitanicè meus Eduardus Pacheco S. T. Magister. Scripsit:

Tra-

Tractatum de Passione Christi diuisum in VII. discursus per omnes horas Canonicas: qui Liber inter Opera S. Francisci Borgiæ Societatis Iesu alibi suppresso Auctoris nomine diuulgatus est. De hoc distinctè scripsit citatus Aprosius in notato libro.

Sermones de Conceptione B. Mariæ Virginis M. S. vt supra.

Obras de los, que aman Dios; *Nouem Tractatibus*. I. vna Meditacion breue de la partita de N. Sennor. *Hic idem est cum supranotato*. II. Del Santissimo Sacramento. III. De la vnion del Alma con Dios. IV De la Santa Cruz. V. Del Agradecimento de los beneficios de Dios. VI. De dieziseis Obras de amor, que azen los, que aman Dios. VII. Exercicio quotidiano de amor. VIII. Estacion espiritual del Christiano. IX. Doctrina, que el Auctor embiò à vn amigo suio. Vlissipponæ apud Ioannem de Barreira 1563. 8.

144. MARIANVS DE GENAZANO in Latio. Ortus est Parentibus mediocribus, & modicis. Patre defuncto Cardinalis Reatinus ad instantiam Matris, & Auiæ, quæ eiusdem Cardinalis nutrix fuerat, eum alendum suscepit, tradiditque instituendum Magistro Andreæ Tiburtino ex meo Ordine Religioso pijssimo. Mirè in doctrina, & pietate puer Marianus profecit: Ideo in adolescentiæ flore habitum Ordinis sumpsit. Ætatis annorum 16. in Studium Perusinum missus fuit, breuique tantùm valuit, vt anno 1473. Magister studij sit declaratus. Anno 1479. iam erat S.T. M; pluribusque in nostris Italiæ Academijs Regens. In Congregationem Ilicetanam admissus, eam 1484; & 1488. vti Vicarius Generalis rexit, suisque prædicationibus feruidis ad illam amplexandam viros præclarissimos allexit. Inter hos Basilius Monaldi, Hieronymus Bonsignorius, & B. Paraclitus à S. Angelo eluxerunt. Anno 1491. Prior perpetuus S.Galli Florentini Cœnobij, promouente Laurentio Medice, vigore Bullæ Innocentij VIII. illud Congregationi Insubricæ vniuit, in qua extitit quoque Visitator, & Deffinitor, nec non 1493. in Capitulo Florentino concordi Patrum suffragio Vicarius Generalis electus. Demum 1495. instante Anselmo à Monte-Falcone, qui infirmitate, & canitie grauatus onus deponere volebat, ab Alexandro VI. totius Ordinis Vicarius Generalis Apostolicus constitutus. Romæ 1496. coram eodem Pontifice orans, his verbis incepit: *Abscinde, abscinde hoc monstrum ad Ecclesia Dei, Beatissime Pater*. Loquebatur Marianus, vt tradit Iacobus Nardi in Hist. Florentina Lib. 2. sub dicto anno, contra Hieronymum Sauonarolã

Ferra-

Ferrarienſem Florentiæ degentem; cuius infelicem finem, diuerſis hominum iudicijs diſparem, Orbis vniuerſus miratus eſt. Hac de cauſa inſectatur Bzouius To. 10. Annalium anno 1482. n. 32. noſtrum Marianum, quaſi ſola lingua florentem, eaque abutentem in gratiam Mediceorum Familiæ, cui obſtrictus erat. Verùm pro Mariano ſtat fama inconcuſſa, & plures nobiliores Scriptores, quàm illi viginti, quos citat Opus, cuius titulus. *Vulnera diligentis*, aſſeruatum apud Eruditionis pelagum celebratiſſimum Magliabechium, in fauorem Sauonarolæ: Imò pro noſtro Mariano ſtetit Pontificium Oraculum ſummè conſiderandum. De hac re videatur etiam eruditiſſimus de la Haye in Biblia maxima To. p; nempe in Prologomenis cap. 3. pag. 29. ſec. 10. Conuocatis demum Romæ Comitijs Generalibus vnanimi conſenſu die 14. Maij in ſuprema Ordinis Cathedra Patres vocales Marianum repoſuerunt. Tali dignitate illuſtratum Alexander VI. Nuncium deſtinauit ad Piſaurienſem Regulum, cui Lucretiam Filiam ſociauerat, vt amarum ipſius animum dulcificaret, ne coniugem ob ſuſpicionem dimitteret, at per viam à Piſaurienſibus militibus ſpoliatus, re infecta redire coactus fuit. Ab eodem Alexandro miſſus quoque extitit ad Neapolitanum Regem. Factum, & cauſam exprimit Volaterranus Lib. 21. Antropologiæ col. mihi 766. *Marianus à Chinatiano Columnienſium Oppido, Generalis paulò ante ob eloquentiam factus, quem vnum in templis ſermones habentem ingenti adplauſu, ſummaque dulcedine populi gentium omniũ audiebant. Cùm ipſe cæteras animi cupiditates ſuperaſſet gloriam, quæ vltima à perfectis exuitur, ſuperare non valuit. Siquidem miſſus ab Alexandro VI. Pontifice ad Fridericum Regẽ Neapolitanum adfinitatis ineundæ gratia, cùm rebus infectis reuertens neutri ſe parti ſatisfeciſſe animaduerteret, ac ſpem propterea magni honoris amiſiſſet, ex animi dolore Tybure deceſſit*. Verùm non Tybure, ſed Sueſſæ maligno morbo aggrauatus ad aliam vitam properauit menſe Decembris 1498: inibique primò ſepultus; poſtmodum, Ægidio Viterbienſe curante, Ilicetum corpus tranſlatum in ſepulcro marmoreo cum Epithaphio relato ab Herrera, & Landuccio conditum extat. Eius vera effigies prope ianuam Bibl. Carbonariæ in parua icone depicta conſpicitur, ſine nomine tamen. Marianus itaque noſter vir fuit, ſi quis alius, immortali memoria dignus, eminentiſſimus Theologus, Orator facundiſſimus, Eccleſiaſtes omnibus numeris mirabi-

lis; vn-

lis: vnde Sol præfulgidus, nouus Demosthenes, alter Tullius, & meliùs tuba vitæ, & vox Cælorum ab omnibus sui temporis doctis, & indoctis proclamabatur. Suspexit illum admirata Neapolis, audiuit sæpius Florentia, spectauit Bononia, commendauit Mantua, laudauit Ferraria, excepit Mediolanum, probauit locupletissima Venetorum Ciuitas, obstupuit denique Italia. Nulla in ea præclara Vrbs est, ad quam non fuerit summis etiam precibus aduocatus; nulla Prouincia, quæ tam insignem illius famam non proximè acceperit, quin etiã Italiæ fines egressum conspexere illum barbaræ Nationes, & strictum eius mucronem non mediocriter formidarunt; nam cum incredibili Christianæ Religionis dilatandæ desiderio afficeretur, bis Hierosolymam, metropolitanam Iudeæ Vrbem, accessit. Ne tamen aliquis suspicetur me partes declamatoris agere, & in laudem Mariani excedere; sciat eruditus Lector, plura supranarrata desumpta fuisse ex Oratione Funebri à Raphaele Brandolino confecta. Sed vt hæc veritas magis elucescat, exeat ad corroborandum asserta famosissimus Angelus de Ambrosinis Polirianus, quem aliqui nostri Scriptores in testẽ adducunt lib. 4. Epist. 6. ad Tristanum Chalcum. *Scribis Marianum Genazanensem Theologiæ consultum, qui sacras istic ad populum Conciones habet, tanta esse omnium admiratione apud vos, vt eorum facilè fidem, quæ de ipso in Miscellaneis prædicauimus, absoluerit. Iri ad hunc plenis vndique vijs, allici lepore verborũ, suspendi sententiarum grauitate, flecti omni orationis impetu, & viribus. Fatebor, quid mihi vsu venerit, cùm primùm hic apud nos concionari cæpit. Accessi, vt audirem, sic quomodo alios consueueram, explorabundus, & penè (vt verum dicam) contemptim. Sed ut habitum vidi hominis, & statum, quasique indolem quamdam in oculis, & vultu minimè vulgarem, cæpi aliquid expectare, iam quod essem probaturus. Ecce tibi igitur, præfari incepit. Erigo iam tum aures: canora vox, verba electa, grandes sententiæ: denique agnosco incisa, video membra, sentio circumductum, capior numero; iam partiri pergit, attendo, nihil impeditum, nihil inane, nihil ibi, quod caudam traheret. Texit deinde argumentorum nexus, illaqueor; retexit, expedior; inserit alicubi narratiunculam, ducor; modulatur carmen, teneor; iocatur nonnihil, rideo; premit, vrgetque veris, do manus; tentat affectus mitiores, statim mihi per os lacrymæ; clamat iratus, terreor, ac venisse iam nollem. Denique pro re ipsa, quam tractat, & figuras variat, & vocis flexu, &*

xu, & vbique actionem gestu commendat. Mihi verò etiam (vt fatear) crescere in ipso pulpito, nec supra sui modò, sed omnino supra hominis mensuram sæpe est visus: Ac dum sic omnia, quasi singula, contemplor, cessit miraculo iudicium. Putabam fore tamen, vt consumpta postmodum nouitate, minùs in dies me caperet. Caterùm contra accidit, idem enim postridie quasi alius audiebatur, sed illo ipso melior, qui pridie visus est optimus. Nec tu illud corpusculum contempseris, inuictum, infaticabile est, vt non aliundè magis reparare vires, quàm de laboribus ipsis videatur. Quis inde autem tantum vocis, tantum virium, ac laterum speraret? Adde, quò & rusticatus quandoque sum, domique cum ipso familiariter egi, & quidem nihil vidi placidius, nihil tamen etiam cautius. Non eius absterret seueritas, non item corrumpit facilitas. Alij cum se Magistros Ecclesiarum profitentur, credunt sibi ius esse in homines vitæ, & necis; itaque sic intemperanter potestate abutuntur, vt nunquam supercilium, nunquam pedagogi vultum, & verba illa tetrica deponant. Hic autem noster sic modum tenere didicit, vt in ipso tantum pulpito censuram exerceat, cùm descendit, inuicem ciuilitas excipiat. Quare sic à me, sic à Pico tem Mirandula meo (bone Deus quo viro?) frequenter aditur, vt nullo magis, quàm sermone illius, & consuetudine, tristitiam litterati laboris discutiamus. Nam Laurentius ipse Medices elegans ingeniorum spectator, quantum homini tribuat, non modò substructo protinus insigni Cenobio ostendit, sed multò magis assiduitate quadam, cultuque, sic vt vnam cum illo ambulatiunculam omnibus fermè vitæ vrbanæ discursibus anteponat. Itaque te quoque hortor, inspicias hominem (si potes) & explores etiam de proximo, laudabis, & hic Politiani tui iudicium, nec illi molestus vnquam venies, nescit offendi; non enim is est, qui lucem refugiet, & oculos. Puto, quia bona conscientia testibus omnino gaudet, quamuis vtique non desideret. Vale XI. Kal. Aprilis 1489. Testis alius adsit efficaciæ in suadendo, & eloquentiæ nostri Mariani D. Secundus Lancellottus Perusinus Libro Italico *Hoggidì* par. 2. Dising. X. *Cùm Ciuitas Senarum ciuilibus odijs arderet, Marianus de Genazano vocis dolentis, & facundiæ vigore ita commouit Ciues, vt statim omnes ad se amplexandos accurrerent.* Encomiasticè etiam, vt iustitia exigebat, locuti sunt de Mariano, vltra omnes nostros, qui plurimi fuerunt, Ludouicus Dominichi in Facetijs, & Dictis pag. mihi 146. vocans ipsum suorum temporum doctrina, & eloquentia excellentissimum, ac ibidem

narrat

narrat prudens responsum, cuiusdam quæsiti Laurentio Medici datum, quod, licèt notabile, prætereo, ne nimis longus videar: Ideo autem plura in Mariani laudem inserui, vt clariùs insubsistentia Bzouiani asserti agnoscatur; Iouianus Pontanus in Dialogo, qui *Ægidius* inscribitur, Claudius Robertus in Gallia Christiana, Trithemius de Script. Eccl; Posseuinus To. 2. Appar. sacri, Ioannes Petrus Crescentius in Præsidio Romano lib. 3. pag. 102; Gesnerus in Bibl. pag. 497; Frisius pag. 572. vltimòque eruditus Amicus Eques Mandosius in Centuria 8. n. 30. dicens Marianum de Roma, facilè quia Ciuis Romanus declaratus; nam etiam natione Romanum asserunt Trithemius, Gesnerus, & Frisius. Opera sunt.

Fratris Mariani de Genazano humillimi S. Theologiæ professoris Ord. Erem. D. Augustini in sacratissimo Romanæ Ecclesiæ Senatu coram Innocentio VIII. Pont. Maximo Oratio habita Dominica Tertia Aduentus. Incipit: *Etsi quàm multos Christianæ gentis Principes, non minùs item Rempublicarum Optimates, quibus orandi munere, vel notus factus sum, vel carus &c.* Romæ 1487. 14. kal. Ianuarij Pont. Innoc. an. 4. Constat pag. sex in 4. Eam vidi in Musæo eruditi Amici D. Antonij Moraldi Romani.

Sermones varij lib. 1.

Orationes diuersæ lib. 1.

Epistolæ clarissimæ lib. 1.

Sermones de Festis B. Virginis Mariæ ex Marraccio. Aliaque plurima.

Mariani Genazanensis Tractatus varij Philosophici, qui extāt in Bibl. Ciuitatis Perusinæ, non sunt huius, sed alterius iunioris, nā scripti sunt ab eo Senis 1527.

145. Ven. MARTINVS ALPHONSI de Corduba, Religiosus doctus, & vitæ honestate clarissimus, Theologusque insignis, ac concionator egregius, Anno 1420. S. T. Lector in Cordubensi suo Cœnobio instituitur; demum in Salamantino 1424; postmodùm ad instantiam Episcopi Electensis Sacristæ Apostolici ad Lecturam Sententiarum in Vniuersitatem, & Conuentum Tolosanum missus, omnibus suæ doctrinæ splēdorem clarescere fecit. Anno 1453. Vicarius Generalis Monasterij Salmanticensis, deinde 1473. Capituli Hispaniarum Præses, ac 1470. Vicarius Generalis Vallisoletani Cœnobij antea constitutus; quibus in muneribus prudenter, vtiliter, sanctèque operatus est. A Rege Castellæ Henrico IV, expetitus, vt secum in Curia morari placeret, humiliter exorauit Regem, ne id iuberet, asserens, nihil sibi meliùs conuenire,

quàm cellam, & claustrum. Constans etiam est opinio, relata à Pamphilo, & Hieronymo Roman, oblato à Rege Episcopatu Pacensi, illicò dignitatem submisse renuisse. Ex his itaque satis elucet, quanti mundum æstimauerit, qui Regiam familiaritatem, & Prælaturam detrectauit. Ferè toto vitæ suæ tempore ad munus Concionatoris, in quo plurimùm eminebat, egregiè & fructuosè obeundum, omnibus viribus incubuit, quodque sanctę vitę exẽplo tam præclarè illustrabat, vt plus eo, quàm verbis, Auditorum animos ad mundi contemptum, & ad cælestem vitam ambiendam inflammaret. Quo anno ex hoc ergastulo ad æternam libertatem transierit, non constat. Adhuc in terris degebat 1476. Vallisoleti obijt, ibique in Cœnobio Ordinis humatus est. Eum celebrant omnes nostri, inter quos testis magni ponderis eminet Ven. Alphonsus ab Orosco, vocans *Martinum virum sapientem, magnum Prædicatorem, atque insigne exemplar religiosæ vitæ*; Posseuinus in 2. To. Appar. pag. 75; Nicolaus Antonius in Bibl. Hispanica veteri, ac nominatur ab Auctore Fortalitij Fidei Lugduni editi 1525. lib. 3. fol. 223. à tergo, hæc scribente: *Hoc sæpius à pluribus audiui, sed specialiter mihi narrauit R. M. Martinus Cordubensis Ord. S. Augustini, qui asseruit &c.* Opera, quæ pro posteris reliquit, fuerunt:

Super Genesim Liber, qui dicitur Hexameron, seu de Operibus sex dierum.

Super Epistolas D. Pauli Quæstiones, & Commentaria.

In D. Ioannis Apocalypsim Expositio.

Hortus nobilium Virginum ad Isabellam Reginam.

De laude Virginitatis ad Puellas Religiosas.

Logica, & Philosophia, Aliaque multa.

146. MARTINVS DE SIGNA Florentinus, vir pietate, prudentia in rebus agendis, & doctrina insignis; celebris Ioannis Boccaccij de Certaldo à sacris Confessionibus, ac executor Testamentarius, cui idem Boccaccius propriam Bibliothecam egregijs Codicibus ornatam legauit. Is anno 1387. erat Prior Prouincialis Prouinciæ Pisarum, vt in Orbe Augustiniano P. Lubin pag. mihi 95. Huius nobilis Religiosi, ac S. T. Magistri nullus ex nostris Scriptoribus meminit, nec Pocciantius in Bibl. Florentina. Ipsum aliqua edidisse, sed temporis iniuria, vel suorum incuria perijsse putat laudatissimus Magliabechius. Hoc etiam suadet existimatio non vulgaris,

quam

quam de ipso habebat notatus Boccaccius. Verba exponam ex Testamento ipsius edito in principio Operis: *Annotationes ad Decameronem Boccaccij*. Florentiæ apud Iuntas 1574.4; vt aliqualiter appareat, quomodo eum suspexerit: Hæc verba latinè reddere nolui ob venerationem Auctoris, qui inter primos puritatis Linguæ Etruscæ restauratores locatur. *Ancora lascio, che tutti i miei Libri sieno dati, e conceduti ad ogni suo piacere, al Venerabile mio Maestro Martino dell'Ordine de' Frati Eremitani di Santo Agostino, e del Conuento di Santo Spirito di Firenze, li quali esso debba pregare Idio per l'Anima mia, ed oltre ... far copia ad qualunque persona li volesse di quegli Libri, li quali hò composti. Ed ancora, che esso debba con queste medesime conditioni &c.* aliqua deficiunt verba. Porrò in fine sequentia leguntur: *Appresso in Essecutori, e fedeli Commissarij del mio presente Testamento, ouero vltima volontà, eleggo, e priego, che sieno questi, che appresso scriuo: Il Venerabile mio Padre, e Maestro Martino da Signa, dell'Ordine de' Frati Eremitani di Santo Agostino di Firenze. Barduccio di Cherichino. Francesco di Lapo Bonamichi. Agnolo di Torino Bencieueni, ed Iacopo di Boccaccio mio Fratello, a' quali dò piena balia, ed autorità di vendere, ed alienare del mio, ò de miei Beni, quello che conosceranno essere opportuno alla detta execuzzione in loro per me fatta, Ed intendo, che quello, che maggior parte di loro di quegli che allora vivi saranno, si farà, ò adopererà intorno alla detta execuzzione, sia fermo, e rato, eziandio contradicendolo gl'altri, nè si possa per gl'altri mutare. E questo intendo sia il mio Testamento, ed vltima Volontà, da ... à riuocando, ed annullando ogn altro Testamento, il quale sino à questo dì fatto auessi &c.* In Capitulo Cœnobij S. Spiritus, inter alios Religiosos præclaros inibi humatos, cernebatur quoque effigies leuiter in marmore incisa nostri Martini cum inscriptione sequenti, quodammodo obliterata, modò verò reportata in primo Claustro: *Hic iacet Venerabilis Vir Frater Martinus de Signia de Florentia Sacræ Theologiæ Magister Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini, qui obijt* Anno Domini MCCCLXXXVII. Die V. Mensis Iunij. Ad eundem Martinum Epistolam aperientem arcana Eclogarum suarum direxit idem Boccaccius: Istam nunquam antea impressam, & dignam luce iudicatam, sicut mihi transmissa fuit à clarissimo, eruditoque D. Francisco Maria Duccio, hic inserere volo:

Hanc

Hanc, quę ſequitur, Epiſtolam Io. Boccaccij ad R. D. Fr. Martinum de Signa Ord. Eremitarum S. Auguſtini in gratiam Illuſtriſſimi D. Antonij Magliabechj D. mei amantiſſimi, eruditiſſimique viri, tranſcripſi ego Franciſcus Maria Ducci Sacerdos Flor. Laurentianæ Bibliothecæ Expræfectus ex Codice chartaceo M. S. in 4. Plut. 34. n. 29. Qui quidem Codex olim ad vſum Laurentij de Rodulphis, ſcriptus an. M.CCC.LXXIX. habet in fronte depictum ipſum Boccaccium ex Cathedra Ecoglas ſuas Fratribus Eremicolis B. Auguſtini auſcultantibus dictantem, ſeu interpretantem, & à regione depictam pari modo Calliopen Cœlo delapſam, quæ Vatem ſalutat his verbis.

Aue Frater Laureum dignum te concipe Sertum.
Legendum puto *Frater Aue*
Fateor indignum fronde fore tempora tali
Aſt vbi Calliope mandat, quoque proſequar ipſe.
Legendum puto. *Indignum fateor tali fore tempora fronde.*

Ioannis Boccaccij de Certaldo ad Reuerendum in Chriſto Patrem Fratrem Martinum de Signa Ord. Fratrum Erem. Sancti Auguſtini Sacræ Paginæ Profeſſorem.

Theocritus Syracuſanus Poeta, vt ab antiquis accepimus, primus fuit, qui Græco Carmine Buccolicum excogitauit Stylum, verùm nil ſenſit, præter quod cortex verborum demonſtrat. Poſt hunc Latinè ſcripſit Virgilius, ſed ſub cortice nonnullos abſcondit ſenſus, eſto non ſemper voluerit, ſub nominibus colloquentium aliquid ſentiremus. Poſt hunc autem ſcripſerunt & alij, ſed ignobiles, de quibus nil curandum eſt, excepto inclyto Præceptore meo Franciſco Petrarca, qui ſtylum præter ſolitum paululum ſublimauit, & ſecundùm Eclogarum ſuarum materias continuè collocutorum nomina aliquid ſignificantia poſuit. Ex his ego Virgilium ſecutus ſum, quapropter non curaui in omnibus colloquentium nominibus ſenſum abſcondere. Et ob id cum deſideres tam titulorum, quàm etiam nominum colloquentium in Eclogis meis ſenſum, nolo mireris, Magiſter optime, ſi abſque ſignificato nonnulla colloquentium nomina comperies. De titulis non ſic, omnes enim accuratè poſui. Nunc autem ad optatum tuum deueniens dico, de primis duabus Eclogis, ſeu earum titulis, vel Collocutoribus, nolo, cures, nullius enim momenti

menti

menti sunt, & ferè iuueniles lasciuias meas in cortice pandunt. Tertiæ verò Eclogæ titulus est Faunus, nam cum eiusdem causa fuerit Franciscus de Ordelaffis Foroliuij Capitaneus, quem cum summè syluas coleret, & nemora, ob insitam illi venationis delectationem, ego sæpissimè Faunum vocare consueuerim eo, quòd Fauni Syluarum à Poetis nuncupentur Dei, illam Faunum nominaui. Nominibus autem collocutorum nullum significatum volui eo, quòd minimè videretur opportunum. Quartæ Eclogæ titulus est Dorus, hanc ob causam, tractatur enim in ea de fuga Ludouici Regis Siciliæ: & quoniam liquisse proprium Regnum eidem Regi amarissimum credendum est (vt satis in progressu Eclogæ percipitur) ab amaritudine eam denominaui, nam Græcè Doris, amaritudo Latinè sonat. Collocutores autem sunt Dorus, idèst Rex ipse in amaritudine positus, & Montanus, pro quo assumi potes quicumque Vulterranus eo, quòd Vulterræ in Monte positæ sunt, & ipse Rex ad eas deueniens, ab eisdem Vulterranis susceptus est: Tertius est Pithyas, pro quo intelligo magnum Senescalcum, qui nunquam eum deseruit, & Pithyam nuncupo ab integerrima eius amicitia erga eundem Regem, & sumo nominis huius significatum à nomine Pithyæ amici Damonis, de quo Valerius, vbi de amicitia. Quintæ Eclogæ titulus est Sylua cadens eò, quòd in ea tractetur de diminutione, & quemadmodum casu Ciuitatis Neapolitanæ post fugam Regis prædicti, quam Ciuitatem more pastorali loquens, Syluam voco, nam vt in Syluis animalia habitant Bruta, sic in Ciuitatibus homines, quos more prædicto oues, hædos, & aliquando boues nuncupamus. Collocutores duo sunt Calliopus, & Pamphilus, pro Calliopo ego intelligo aliquē recitantem damna desolatæ Ciuitatis; nam Calliopes Græcè, bona sonoritas est Latinè, quæ bona sonoritas in amico esse non potest, nisi debito ordine dicenda dicantur; pro Pamphilo autem accipi potest, quem maluerimus ex Neapolitanis Ciuitatem suam integrè diligentem, cùm Pamphilus Græcè, Latinè totus dicatur amor. Sexta Ecloga Alcestus dicitur eò, quòd de reditu Regis præfati in Regnum proprium loquatur, quem Regem ego hìc Alcestum voco, vt per hoc nomen sentiatur, quoniam circa extremum tempus vitæ suæ, optimi Regis, & virtuosi mores assumpserat, & Alcestus dicitur ab Alce, quod est virtus, & æstus, quod est feruor. Collocutores duo sunt Amyntas, & Melibæus, pro quibus nil penitus sentio. Septima Ecloga titulatur Iurgium eò, quòd iurgia Ciuitatis nostræ, & Imperatorum contineat. Collocutores duo Daphnis, & Florida sunt. Pro Daphni ego intelligo Imperatorem, nam Daphnis, vt in ma-

in maiori volumine Ovidij legitur, filius fuit Mercurij, & primus pastor. Sic Imperator inter Pastores Orbis, idest Reges, consueuit esse primus: Florida Florentia est &c. Octauæ Eclogæ titulus est Midas, fuit enim Midas Rex Phrigiæ auarissimus, & quoniam in Ecloga ista de quodam Domino auarissimo habetur sermo, eundem Midam dicere, & Eclogam titulare placuit. Collocutores duo sunt Damon, & Pithyas, idest duo amicissimi homines, vt illi fuerunt, de quibus Valerius vbi supra. Nonæ Eclogæ titulus est Lipis, in qua ferè per totum de anxietate Ciuitatis nostræ ob coronatum Imperatorem mentio fit, & ideo Lipis dicta est, quia Lipis Græcè, Latinè dicitur anxietas. Collocutores duo sunt Batrachos, & Arcas; Per Batrachos ego intelligo Florentinorum morem, loquacissimi enim sumus, verùm in Bellicis nil valemus, & ideo Batrachos, quia Græcè Batrachos, Latinè Rana sonat, sunt enim loquaces plurimùm Ranæ, & timidissimę. Arcas enim pro quocumque homine extero potest accipi, & ideo nullam nomini significationem propriam volui. Decima Ecloga titulatur Vallis opaca eò, quòd in ea de Infernalibus sermo sit, quos penes nulla vnquam lux est. Collocutores autem duo sunt Lycidas, & Dorilus: pro Lycida ego quemdam olim Tyrannum intelligo, quem Lycidam à Lyco denomino, qui Latinè lupus est, & vti lupus rapacissimum animal, sic & Tyranni rapacissimi sunt homines: Dorilus verò est quidam captiuus in assiduo mærore consistens, dictus à Doris, quod amaritudo sonat, sed ideo Dorilum diminutiuè dixi, ne plebeius homo eodem nomine diceretur cum Rege. Vndecima Ecloga dicitur Pantheon à Pan, quod est totum, & Theos, quod est Deus eò, quòd per totum de Diuinis sit sermo. In hac autem auctor loquitur recitans quædã dicta quorumdam Interloquentium, qui duo sunt Mirilus & Glaucus: Pro Mirilo ego intelligo Ecclesiam Dei, quam à Myrto denomino eò, quòd Myrtus habeat frondes bicolores, nam ex parte inferiori sanguineę sunt, ex superiori virides, vt per hos colores sentiamus persecutiones, & tribulationes à Sanctis hominibus olim habitas, & firmissimam eorum spem circa superiorem mercedem eis à Christo promissam: Pro Glauco autem ego intelligo Petrum Apostolum, fuit enim Glaucus Piscator, & gustata quadam herba repente se proiecit in mare, & inter Deos Maris vnus factus est, sic & Petrus Piscator fuit, & gustata Christi doctrina, se inter fluctus, idest hostium Christiani nominis minas, & terrores se vltrò proiecit, Christi nomen prædicans, ex quo Deus, idest Sanctus inter amicos Dei in Cælis factus est. Duodecima Ecloga titulatur

Sapphos,

Sapphos eò, quòd de hac Sapphu omnis sermo sit Eclogæ, quā ego Sapphon pro Poesi intelligo eò, quòd Sapphon puella quædam Lesbia plurimùm in æuo suo in Poesi valuerit. Collocutores autem duo sunt, Calliopes, & Aristus; Calliopem, vt aliàs dictum, pro bona sonoritate accipio eò, quòd in bona prolatione modulis regulata poeticis omnis videatur Poeticæ ferè vis consistere. Aristeum pro me pono auidum ad poeticam deuenire, & ideo Aristeum me nomino ab Aristeo quodam, qui vsque ad adolescentiam suam linguam adeò impeditam habuit, vt vix posset aliquid satis exprimere plenè, demum solutis linguæ nexibus eloquens factus est. Tertiadecima Ecloga Laurea nuncupatur à Serto Laureo, quod est insigne Poetarum, & hæc ideo sic dicta est, quia in ea plurimùm de honorificentia Poeticæ sermo fiat: Collocutores tres sunt, Daphnis, Stilbon, & Critis. Pro Daphni ego vnumquemque Poetam insignem accipio eò, quòd Poetæ eadem Corona honorentur, scilicet Laurea, qua honorari consueuerunt victores, ac triumphantes Cæsares, qui primi sunt Pastores, vt Daphnis, de quo supra. Stilbon pro quodam Mercatore Ianuense pono, cum quo disceptationem quandam iam dudum Ianuæ habui, de qua in hac Ecloga mentionem plurimam facio, quem Stilbonem vocito à Mercurio Mercatorum Deo, qui & Stilbon dicitur. Critis Græcè Latinè Iudex est; & ponitur hìc à sumpto in Iudicem litigij iam dicti. Quartadecima Ecloga Olympia dicitur ab Olympos Græcè, quod splendidum, seu lucidum Latinè sonat, & in Cælum, & ideo huic Eclogæ attributum est, quoniam in ea plurimùm de qualitate Cælestis regionis habeatur sermo. Collocutores quatuor sunt, Syluius, Camalos, Therapon, & Olympia; pro Syluio me ipsum intelligo, & sic nuncupo eò, quòd in Sylua quadam huius Eclogæ primam cogitationem habuerim: Camalos Græcè, Latinè sonat hebens, vel torpens eò, quòd in eo mostrantur mores torpentis serui. Therapon, huius significatum non pono, quia non memini, nisi iterum reuisam Librum, ex quo de cæteris sumpsi, & ideo ignoscas. Scias hominum memoriam labilem esse, & potissimè senum. Pro Olympia intelligo paruulam filiam meam olim mortuam ea in ætate, in qua morientes cælestes effici ciues credimus: & ideo ex Violante cum viueret, mortuam cęlestem, idèst Olympiam voco. Quintadecima Ecloga dicitur Philostropos eò, quòd in ea tractetur de reuocatione ad amorem cælestium ab amore illecebri terrenorum; nam Philostropos dicitur à Philos, quod est amor, & Tropos, quod est conuersio. Collocutores duo sunt, Philostropus, & Thiplus, pro Philostro-

lostropo ego intelligo gloriosum Praeceptorem meum Franciscum Petrarcam, cuius monitis sæpissimè mihi persuasum est, vt omissa rerum temporalium delectatione mentem ad æterna dirigerem, & sic amores meos, etsi non planè, satis tamen vertit in melius. Thiplus pro me ipso intelligi volo, & pro quocumque alio caligine rerum mortaliũ obfuscato, cùm Thiphos Græcè, Latinè dicatur Orbus. Sextadecima, & vltima Ecloga titulatur Aggelos, quasi nuntia, & præcedentium ductrix, atque oblatrix ad Amicum, ad quem illas mitto; nam Agellos Græcè dicitur, quod nos Angelus nuncupamus, & Angelus etiam Latinè sonat Nuncius. Collocutores duo sunt, Appenninus, & Aggelos: pro Appennino Amicum meum, ad quem mitto, intelligo, quem ideo Appenninum voco, quia in radicibus Appennini montibus natus & altus sit; pro Aggelo, vt dictum est, ipsam Eclogam more nuntij deducentem, atque loquentem intelligo: Et hæc pro nunc dicta sufficiant, quæ quàm breuissimè scripsi de ingenio tuo confidens. Quæso, mi Pater, huic tuæ alligatas communi Domino nostro Episcopo per aliquem Fratrum tuorum mittas quàm citiùs; & sis memor, postquam Vicarium Prouincialem habetis, ne Conuentus S. Geminiani, quod tui Conuentus ius est, occupet. Multum Panis Frater ille Ioannis mendax ex Castro isto in Quadragesima præterita suis misit. Opto, vt diu valeas, & mei memor. Certaldi die quinta Maij festinanter. Tuus Ioannes Boccaccius.

147. MATTHÆVS DE CORWIST, seu Kouetz Germanus S.T.Lector, vir doctus, & facundus, qui anno 1466; vt ex Regestis Ordinis testatur Herrera, fuit designatus Præses tertio loco Prouinciæ Saxoniæ. Memorant hunc Religiosum eruditum Milensius in Alphabeto Germanico pag. 81; Herrera in Alphabeto Aug. pag.93.To.2; Elssius in Encomiastico pag.476; & Torellus in 7.To.sæculorum Augustinensium pag. 106.num.15; sed nil aliud proferunt, nisi notitiam Operum ab eo editorum, quæ asseruantur descripta Fol. in nostro Monachij Cænobio Bauariæ. Vtinam nostri Religiosi clarissimi, scilicet R.P.S.T. Lector Columbanus Humpel, qui edidit sua Problemata ex vniuersa Theologia selecta 1688. 4. Monachij typis Sebastiani Rauch, & pariter S.T.Lector Augustinus Hoefler, qui non solùm Controuersias ex vniuersa Theologia Ægidiano-Thomistica edidit eodem anno, sed eruditum, & fundatum opus, cuius titulus: *Causa de Bonis Religiosorum*

iam

iam tredecim ab hinc sæculis S. P. Augustinum inter, & S. Alipium agitata, varijs quæstionibus exinde deductis illustrata ad mentem &c. Monachij typis Lucæ Straubij 1700.4: Vtinam dico ipsi, vel alij eruditi eorum discipuli, Opera nostri Matthæi è tenebris eruant, & in lucem proferant. Sunt itaque:

De triplici Aduentu Verbi in carnem, in mentem, & iudicium. Liber pergrandis, quem in tres Tractatus, & in 112. distinctiones disposuit. Proemij Thema est: *Et veniat super me misericordia tua Domine. Psal.* 11.

De Corpore Christi Tractatus magnus. Prima verba sunt: *Ad commendationem pretiosissimi.*

De Indulgentiis lib. 1. super Thema Euangelicum. *Quodcumque ligaueris &c.* Matth. cap. 6; eiusque initium: *Duos fines vltimos futuros in fine sæculi &c.*

Expositio Symboli D. Athanasij luculenta, quæ incipit: *Intellectus humanus à rebus sensibilibus.*

Expositio Orationis Dominicæ in Matth. cap. 6. *Sic orabitis &c.* Ac alia.

148. MICHAEL DVRAZINVS de Emporio Etruscus S. T. Professor, vir in habendis Sermonibus ad Populum maximè copiosus, & plurimùm vtilis. Floruit Innocentij VIII. tempore; dicauit enim suum Opus D. Bartholomæo Soderino S. Fridiani de Florentia Priori, & eiusdem Pontificis Cubiculario. Eum nominat Torellus in 7. To. sæculorum pag. 97. n. 16; Elssius in Encomastico pag. 488; & 490. incongruè diuidens; nec non Marraccius in To. 2. Marianę pag. 141. Eius conciones citantur à nostro Talamello in Rationali vtriusque Potestatis, & in Exposit. super Magnificat, etiamque ab Episcopo Gelsomino libro Originis Paniculorum S. Nicolai de Tolentino. Opus ipsius à me pro nostra Aprosiana acquisitum, dum Respondens Studij nostri S. Lucæ Parmæ essem, vocatur: *Opus prædicabile editum per S. Theologiæ Professorem Magistrum Michaelem Durazinum de Emporio Augustinianum. Florentiæ typis Francisci Bonaccursij* 1490.4. In ipso adsunt sermones pro Dominicis Quadrag; Aduentus, variorum Festorum, etiam B. Virginis, de Communi, ac nonnullarum Collationum.

149. MICHAEL de Massa Tuscus, Senensis origine; natum verò Massæ in Senarum confinijs asserit Vgurgerius in Pompis Senensibus. Hic humanis, & diuinis scientijs decoratus eluxit, subtilis ingenij, eruditionis, & doctrinæ singularis, Theologus Scholasticus mirè acutus, & Cōcionator disertissimus. Inter omnes sui temporis viros præclaros non infi-

mum locum obtinebat; quare in Theologia morali, & principaliter in Scripturis Sacris versatissimus cum esset, innumera propè Opera ad posterorum vtilitatem transmisit, quæ olim in nostris Bibliothecis Romæ, Mediolani, Bononiæ, Neapolis seruabantur; sed incautè tam pretiosæ gemmæ conseruatæ, vel malè periere, vel in Scrinia aliena translatæ fuere. Decessit Parisijs adhuc in florida ætate, nam solummodo S.T. Bacc. erat, anno 1337. 20. Maij, sepultusque fuit in Sacello S. Nicolai de Tolentino, sub Sarcophago vtraque manu ostendens subsignata Volumina à se edita. Celebratur ab omnibus nostris Scriptoribus, etiamque à Sabellico Ænneade 9. lib. 8; Sixto Senense lib.8.pag.mihi 279; Posseuino To.2. Appar;Trithemio de Script.Eccles;Gesnero pag. 512; Frisio pag.607;qui tres malè assignant tempus, in quo floruit, & notatus Vgurgerius in Pompis par.1.pag.367. Citatur sæpius à meis B.Alphonso Vargas in 1. Sent; Thoma de Argentina in quatuor, & Gregorio Ariminensi in primo, & secundo; præcisè in Prologo quæst.2.art.4. Scripsit.

Super primum Sententiarum volumen magnum; asseruatur in nostris Bononiæ, & Carbonariæ. fol.

In 2;3;& 4. sent. Volumina 3. Testantur Coranus, Roccha, & Posseuinus.

In omnes libros veteris Testamenti commentaria.

In quatuorEuangelistas comm. lib.4.Extabant olim Patauij, & Mediolani in nostris Bibl.

De Passione Domini ex eiusdem quatuor Euangelistis lib. Adest M.S. in Bodleiana Angliæ, vt Iamesius in Indice pag. 321.

De quatuor virtutibus Cardinalibus lib.2.

De tribus Virtutibus diuinis lib.1.

De meritis, & efficacia bonorum operum lib.1.

De Vita Christi lib.1.

Sermones varios lib. 1.

Notabilia quoque, ac Quæstiones, plurimaque alia.

150. NICOLAVS BARIANVS Placentinus, Congregationis Insubricæ nobilis Alumnus, vt testatur ipsemet in dedicatoria sui Quadragesimalis Herculi Estensi Ferrariæ Duci, vbi inter alia hæc adsunt verba: *Liber ipse tui nominis splendore fulgeat, ac meam, imò totius nostræ Congregationis in te fidem, atque obseruantiam toto Orbe protestetur, non enim te gratis amat, colit, & plurimùm veneratur ipsa nostra Congregatio, nam &c.* Corrigendus itaque Torellus aliter scribens. Hic Theologus celeberrimus, ac Iuris Pontificij consultissimus suo tempore emicuit. Ideo orta controuersia inter Minores, & meos Augusti-

gustinianos de præcedentia; primùm accerrimè disputauit, deinde fundatissimè scripsit, suamque doctrinam munierunt subscribentes primi Iurisconsulti illius temporis, videlicet Iason, Decius, Felinus, alijque. Postmodùm obtenta sententia ab Iacobo de Schitijs Apostolico delegato; Opus edidit cum hoc titulo: *Causa Vitaliana*, dicauitque Cardinali Raphaeli Riario Ordinis Protectori. Floruit ab anno 1477.vsque ad 1501. inclusiuè. Laudatur ab omnibus nostris; ac etiam vltimò ab Henrico Vuarthon in Addit.ad opus Caue pag. 121; & à Roberto Gerio in 2.To. eiusdem Caue pag. 314; inaduertenter Barsanum, locò Barianum dicens. Opera eius sunt.

Causa Vitaliana, seu de Præcedentia Eremitarum, & Minorum. Cremonæ per Carolum Deolerium 1500.4.

Quadragesimale Quodlibet.77. Quæstionum prædicabilium editum per clarissimum S. T. Doctorem Nicolaum Barianum de Placentia Ord. Erem. S.Aug. Bononiæ per Io. Antonium Platonidē 1501. 4.

De Montibus impietatis Libellus ad Georgium Card.Albanensem. Cremonæ 1496; Lipsiæ 1670.typis Bauarianis ad calcem de Montibus pietatis Romanensibus in 4.

Sanctuarium, Agiologus dictus, seu conciones in Festis Sanctorum, meminit ipse in fine literæ ad Prædicatorem sui Qadrag; & in quæst.62. de peccato originali.

Commentaria super Logicam Pauli Veneti citantur ab ipso pag. 19.de montibus impietatis.

151. NICOLAVS DE BYART S.T. Baccalaureus, Concionator eruditus, ac in Scripturis Sacris apprimè versatus, composuit hunc Librum: *Distinctiones exemplorum noui, & veteris Testamenti Fratris Nicolai de Byart*, & in principio Tabulæ, seu Indicis ante librum, sic exprimitur: *Capitula Distinctionum Fratris Nicolai de Biart Augustiniani, in membrana 8. charactere antiquo.* Adest apud Amicum P.Bacc.Danielem Banderium Senensem iam S.Augustini Priorem: Deficit tamen liber à litt.T. vsque ad finem. Hic liber est idemmet, vt bene obseruaui, cum sequente. Fr.B.Alemanus edidit librum prælo traditum in Oppido Meminguen per Albertum Kunne de Durdestat anno 1485; cui titulus est: *Incipiunt Distinctiones exemplorum veteris, & noui Testamenti abbreuiatæ, & reductæ ad diuersas materias secundùm ordinem alphabeti per Fratrem B. Ordinis Sancti Augustini*. Floruit 1485. Meminit huius viri eruditi Fr. Hieronymus Roman in M.S; Herrera Lit. B.Alphabeti pag.113; Philippus Elssius in Encomiastico pag.106;& 515; ac Pos-

ac Posseuinus in 2.To.Appar; qui asserit dictum Opus extare M.S.in nostra Cremonensi. Adest quoque in Bodleiana, vt testatur Thomas Iames Anglus pag.70. simul cum M.S.sequenti. *Sermones Quadragesimales eiusdem P. Nicolai de Biart.* Ex quo opere facilè aliæ notitiæ hauriri possent. Memorat etiam Frisius pag.121;& Torellus To.VII.pag.345.n.11.putans vocatum Bernardum &c. Citatus Frisius pag. 620. scribit. *Nicolaus Byardt Anglus scripsit Distinctionum Theologicarum librum vnum, Sermones de Tempore, & de Sanctis, Placita Theologica. Claruisse fertur anno Domini* 1410. Idem videtur cum supranotato: Qui, si idem est, malè à Pitsæo vocatur Dominicanus, nam contra ipsum reclamat Opus impressum, & M.S.Senense à me, ac Cremonense à Posseuino viso.

152. NICOLAVS DVNCKELSPVEL Germanus in Prouincia Sueuiæ natus (Dunckelspuel enim parua Ciuitas Sueuiæ est) Theologiæ Doctor celebris, & S.Paginæ Professor. Anno 1400.in antiquissimo Vindobonensi Archigymnasio vnus ex quatuor primis Theologis publicis Lectoribus. Ad Constantiense Concilium 1416. Academiæ Legatus, ab eodem Concilio electus fuit vnus ex sex viris Germanicæ nationis, qui simul cum 24. alijs nationum Italiæ, Galliæ, Hispaniæ, & Angliæ, ac 24.Cardinalibus in eodem Concilio existentibus conclaue ingressis anno 1417.die 11.Nouembris, scilicet quarta die post introitum, omnes vnanimi consensu elegerunt in Summum Pontificem Oddonem Columnam Romanum Card.Diaconum S.Georgij ad Vellum aureum, qui Martinus V.nuncupatus extitit. Noster porrò Dunckelspuel anno 1425. Alberto II.Cæsari Archiduci Austriæ à sacris Confessionibus erat, necnon Vniuersitatis Vindobonensis Rector magnificus. Decessit benemeritus senex circa annum Domini 1433; vt testatur eruditus Canonicus Ludouicus Schonleben pag.15.n.7. libri à me iam notati in Henrico de Hassia. Hic,cum viderit Posseuinum proferentem Nicolaum nostrum Augustinianum esse, & nihil contradixerit, vt in Henrico fecit, tacitè se approbare demonstrauit, nam adest tritum Prouerbium: *Qui silet, consentit.* Posseuinus itaque pag.160. 2.To. Apparatus Augustinianum dixit, quia ita vocatum obseruauit in M. S.super quatuor sententiarum Patauij asseruato, quodque confirmauit Hieronymus Roman ex alio M.S.in nostra Ratisponensi inuento. Celebrarunt Dunckelspuel plurimi viri præclarissimi, quorum

aliquos

aliquos exponam, vt egregiæ illius dotes aliqualiter resplendeant. Primus igitur sit, qui Primatum in Christiano Orbe tenuit, Pius II; tunc Æneas Siluius Piccolomineus in epist. 165. *Duos hic, nempe Viennæ claruisse compertum habeo præstantes Theologos, Henricum de Hassia, qui Parisijs edoctus, huc in principio Vniuersitatis aduolauit, primusque Cathedram rexit, ac plurima Volumina notatu digna conscripsit. Alter fuit Nicolaus de DincKelspuel Sueuus, vita bona, & doctrina multa clarus; cuius sermones hodie auidè à doctis leguntur.* Ioannes Trithemius de Scriptoribus Ecclesiasticis notauit: *Vir in Scripturis Sacris doctissimus, ingenio clarus. sermone scholasticus, vita, & conuersatione insignis.* Ioannes Vimphelingius Scelestatensis epistola in fine Operis Dunckelspuel editi 1516. subsignati, hæc inter alia: *De Nicolao iustè gaudet florentissimum Viennense Gymnasium Præceptore, & Patrono. Gaudet non indignè nobilissima Germania de tam præclaro Gentili. Gaudet haud immeritò laudata Sueuia de tam excellenti Conciue, qui Viennam doctam reddidit, Germaniam decorauit, Sueuiam extulit, Sacrosancto Concilio Constantiensi pondus, & auctoritatem adiecit.* Sed vt breuiùs scribam, laudarunt Nicolaum nostrum Sixtus Senensis in Bibl. sancta lib. 4. pag. 280; Gesnerus pag. 519; Frisius pag. 623; Draudius in Bibl. Classica, Guillelmus Eijsengrenius ad an. 1415. pag. 157; meiq; Herrera, Gratianus, Elssius, ac Torellus, vltimòque Henricus Vvarthon. in Appen. pag. 68. Opera ab ipso exarata sunt:

Io: Nicolai DuncKelspuel I.V; ac S. Theologiæ Doctoris Studij Viennensis Australis profundissimi de dilectione Dei, & Proximi Serm. XI. 2. De Præceptis Decalogi. 3. De Oratione Dominica. 4. De tribus partibus Pænitentiæ. 5. De octo Beatitudinibus. 6. De septem peccatis mortalibus, & virtutibus oppositis. 7. Confessionale. 8. De quinque sensibus. Argentinæ apud Io: Schotum 3. Kal Septembris 1516. Fol. Vidi in Bibl. Ciuitatis Perusiæ.

Concordantia in Passionem Domini impr. Sæculo impressionis Fol, vt testatur Reiserus in Bibl. Augustanæ Indice pag. 110; sed nil aliud exprimit.

Nicolai de DeincKelspuhel Theologi Viennensis Alberti V. Austriæ Ducis (mox 1422. generi Sigismundi Cæsaris, & postremo Imperatoris) ad Concilium Costantiense Legati Oratio ad Sigismundum Imperatorem in Concilij exordio habita. Est impr. To. II. Par. VII. Rerum eiusdem Concilij pag. 182.

Tractatus de Donis Spiritus Sancti; De gratitudine, & ingratitudine, De Communione Sacramentali in eadem Bibl. M.S. fol; vt ex pag. 44.

Quæ-

Quæstiones in quatuor Sententiarum M.S.4. memb.ibidem pag. 74.

Quæstiones Magistrales de hæresibus, & virtutibus Catholicis M.S.Viennæ in Bibl. Cæsarea.

Sermones de Sanctis. Eucharistia olim in nostra Patauina.

Sermones de Tempore extabāt in supradicta ex Posseuino.

Commentaria in D. Matthæum M.S. vidit in nostra Ratisponensi meus Roman Hispanus.

Super Sententias lib. quatuor ex Trith;Gesnero, & Roccha.

Commentaria in Epistolas ad Cor. extant in Bibl. Collegij Archiducalis ex Schonleben.

Sermones de Sanctis, & de Beatissima Virgine extare in eadē innuere videtur dictus Schonleben.

De peccatis Linguæ, incipit. *Consequenter dicendum est*.Ex Trithemio, & Gesnero.

Commentationes in Isaiam, vt asserit Draudius in Bibl. Classica Tom.1. libri Theologici pag. 249.

Commentaria in Psalmos Dauidicos ex Draudio pag. 530. To. 1; ac ex Posseuino To. 1. Appar. pag.385.

Sermones morales, aliaque varia.

Si Schonleben aperuisset ea,quæ in dicto Collegio M. S. extant, certè tam huius præclarissimi viri, quàm Henrici de Hassia Operum Index copiosus extitisset.

153 NICOLAVS FORESIVS Aquapendentanus, egregia doctrina ornatus, insignisque Theologus. In Studio Perusino Cursor extabat 1469;& S.Theologiæ Doctor 1479. Deinde suæ Romanæ Prouinciæ Moderator effectus, eam prudenter gubernauit 1487;88;89. Defuncto Zacharia Sauonensi, & Ventura Episcopo Massensi in Sacristæ munus intruso renunciante,Sacrarij Apostolici Præfecturæ cura demandata fuit nostro Foresio. Secreto in Concistorio die Lunæ prima Septembris 1505.Iulius II. eum ad Archiepiscopatūm Dyrachiensem promouit. In Funeralibus nostri Cardinalis Gurgensis Viterbij in nostra Sanctissimæ Trinitatis Ecclesia factis, Foresius, quanquam nondum Archiepiscopus consecratus, tamen ex speciali dispensatione Pontificis, qui tunc ibidem cum Curia degebat, Sacrum solemniter celebrauit. Die 21. Octobris eiusdem anni inter Assistentes cooptatus extitit. Is Nicolaus tanta erat lenitate, & affabilitate illustratus, vt omnium sibi animos deuinciret, seque omnibus charissimum redderet. Parum tamen in Sacrarij dignitate permansit, nam decessit, vt fundatè ex Diarijs Paridis de Grassis Cæremoniarum Magistri obseruauit noster Herrera die 15.Octobris 1507; non 1511; vt inaduertenter Pamphilus, & Roccha, quod etiam patet expressè ex Successoris Gabrielis Mascioli prouisione,sepultusque fuit

fuit in Cænobio S.Augustini suæ Aquæpendentis patriæ. Laudatur ab omnibus nostris Pamphilo posterioribus, & præcisè ab Angelo Roccha in Chronistoria Apostolici Sacrarij pag.80; eum memorat quoque Marraccius in 2. To.pag. 157. Alter Nicolaus in Aquapendentano nostro Cœnobio floruit, Religiosus doctus, & diuini Verbi dispensator eximius, qui,vt protulerunt mei Ambrosius Coranus, & Bergomas, etiamque Frisius in Gesneriana, eadem numero opera, quæ à Pamphilo, Roccha, & Elssio tribuuntur Nicolao Foresio, composuit, & post se reliquit; quique obijt 1454; vnde verendum est, ne tres isti Scriptores perperam Foresio adscripserint, quod primo Nicolao debetur. Hanc suspicionem habuerunt quoque Herrera, & Torellus. Quidquid verò sit: En Opera Foresio assignata.

De Baptismo lib. 1.
De peccato Originali lib. 1.
De pœnitentia lib. 1.
De Limbo, Inferno, & Purgatorio lib. 3.
De Mercatura, & negotiatione lib. 1.
De Sortilegijs, & vanis persuasionibus lib. 1.
De Ingratitudine euitanda lib. 1.
De festis SS. Sermones lib. 1.
Quadragesimale lib. 1.
Sermonum variorum lib. 1.

154. NICOLAVS SCVTELLIVS Tridentinus ex perantiqua, & nobili Familia, S.T.Doctor, triũ Linguarũ Hebrææ, Grecæ, & Latinæ peritissimus, ac Religiosus probus eloquens, copiosusque in scribendo, sed in differendo ita timidus, vt nihil scire iudicaretur. Gabrielis Veneti Generalis anno 1531. Secretarius declaratus; eius Regesta virum fuisse vera elegantia, & eloquentia ornatum ostendunt. Ab eodem Gabriele missus fuit Viterbium, vt Cardinalem Ægidium ibidem Episcopum adiuuaret in his, quæ impressioni tradere meditabatur. Verùm Ægidio ad superos euolante, Scutellius Romam regressus est. Ad instantiam Consiliariorum Cardinalis Principis Tridentini concessa fuit facultas Nicolao, vt in obsequium eiusdem Principis permaneret. Anno 1538; & 1539. Prouinciam Venetam, ad quam tunc Tridentinum Monasterium (nunc verò ad Mediolanensem) spectabat, summa cum laude gubernauit. Anno 1540. in Germaniæ Prouincijs Visitatoris Generalis munus non sine fructu administrauit. Demum bonis operibus, & virtutibus illustris 1542. 28. Aprilis piè in Domino obdormiuit, sepultusque fuit in nostra S. Marci Tridentina Ecclesia.

Plurima eius Opera in Arcem Tridentinam, Principe iubente, deportata fuere. Laudatur ob omnibus Ordinis Scriptoribus, qui post Pamphilum scripserunt. A meo clarissimo, & docto S.T.Prof. Vigilio Ruffino, olim Magistro, dum Parmæ Respondentis munere fungebar, doceri expectabam, quænam essent Opera in Arce Principis asseruata, vt extensiorem Indicem exponere valerem; sed ob Bellorum motus adhuc responsum accipere non potui. Memorat etiam Frisius in Gesneriana pag.632.Interim edita sunt sequentia.

Nicolaus Scutellius Tridentinus Doctor Theologus interpretatus est, & in linguam latinam transtulit Iamblicum de Mysterijs Ægyptiorum. Romæ apud Antonium Bladum 1556. 4; dicauitque Christophoro Madruccio postea Cardinali, Episcopoque Tridentino, & Brixiensi Administratori.

Idem edidit Vitam Pythagoræ ex Iamblieo collectam cum Symbolis, & Mathematis eiusdem Pythagoræ. Ibidem 1556. 4.

Tractatum composuit de *Vnitate*, quod symbolum erat præclarissimi illius Episcopi, Principisque Tridentini, ac S.R. E. Card; & Cæsareæ Aulę Cancellarij Bernardi Clesij, de cuius laudibus elegantem quoque Orationem aliam Nicolaus noster posteris reliquit.

De Passione Domini Tractatus, & Oratio funebris in obitu Cardinalis Tridentini Impressioni eos libros fuisse traditos asserunt Pamphilus pag. 112;& Posseuinus in 2.To. Apparatus.

155. NICOLAVS SVPERANTIVS Patritius Venetus, excellentissimus Philosophus, Theologusque famosus. Plurimas Cathedras Theologicas in Religione ornauit, ac munus Prioris, & suæ Venetæ Prouinciæ Moderatoris non sine laude peregit. Anno 1501.iam erat S.Theologiæ Doctor, vt testatur Opus infra notandum ab eo editum, dicatumque Patri M.Valerio Genuensi viro celeberrimo ex mea Congregatione. Anno 1520. edidit Opus Menghi Fauentini super Logicam Pauli Veneti Philosophorum Monarchæ. Anno 1544. Monasterij S.Stephani regimini præerat tunc septuagenarius pro 2. vice (nam primùm fuit Prior 1521.) eo enim tempore simul cum duobus alijs Magistris Sanuto Veneto, & Marco Patauino promotor extitit, vt Senatus Venetus quoddam Decretum promulgaret in præiudicium auctoritatis Superiorum Regularium, quod tamen Seripando Generali instante, & Soranzo, ac duobus alijs errorem recognoscentibus, reuocatum fuit. Mortalem vestem exuit noster Nicolaus 1546. ante diem 20. Nouembris ætatis 70. Commendant hunc nobilem virtute, &

origi-

origine Religiosum, non solùm mei Herrera, Elssius, ac Torellus Ordinis Historici, sed etiam Sansouinus lib.13. Historiæ Venetæ pag.393; Iacobus Albericus ex mea Religione in Scriptoribus Venetis lit.N. pag.68; Augustinus Superbus Conuentualis in Triumpho illustrium Venetorum lib. 3.pag. 14; & seq; ac meliùs de eo, vt & de alijs nostris Viris egregijs Venetis, præclarissimus Doctor D.Apostolus Zenus in Bibliotheca Veneta quamprimùm edenda. Scripsit igitur.

De immortalitate Animæ contra Petrum Pomponatium, opus in lucem editum, vti tres supranotati testantur.

Guillelmi Hentisberi de sensu composito, & diuiso edidit Magister Nicolaus Venetus. Venetiis per Iacobum Pensium de Leuco 1501.4.

Logicam paruam Pauli Veneti per Lucam Antonium Iuntam, correxit, & illustrauit idem Nicolaus 1520.fol.

156. ONVPHRIVS PANVINIVS Veronensis. Verona Cenomanorum Vrbs antiqua, & ampla, quæ inter alias excellentias, mater præstantissimorum ingeniorum omni sæculo effulsit (nam nostro etiam tempore genuit Eminentissimum doctrina, & dignitate Fr. Henricum Norisium S. R. Ecclesiæ Cardinalem, verum gloriæ Panuinianæ suis in Operibus reparatorem, & successorem) Onuphrium Panuinium Historiarũ lucem, & ducem anno 1529. procreauit. A duodecimo ætatis anno scribere exorsus, & Historicorum antiquorum Volumina euoluere, tam egregiè intima veterum secreta penetrauit, vt postea *Antiquitatis helluo, verus Pater principalis Historiæ, & Fastorum, ac omnium Romanarum, & Ecclesiasticarum rerũ Eruderator solertissimus* à viris eruditissimis proclamatus, & agnitus fuerit. Generosæ, & antiquæ Familiæ nostri Onuphrij stirps ante quadringentos annos dicitur Cremona Veronam migrasse. Viget & in Tridentina ditione nobilis Panuinia Familia, ex qua, scilicet Veronam deriuata, Onuphriũ nostrum oriundum fuisse, Cæsareo quoque Diplomate comprobatur. Postquam in Ordine professionem emisit, à sapientissimo Generali Seripando nobilissimorum ingeniorum cognitore, Romanum in Studium accersitus fuit. Ibi cùm facundi, & multùm prompti ingenij specimen præbuisset à Christophoro Patauino anno 1553. 25. Decembris S. T. Bacc; & in eodem Romuleo Lycæo Magister Studij constituitur; ac 1554. Lector in Florentino Cœnobio designatur. Verùm cùm

Panuinij genius eum ad anteactorum temporum abdita rimã-da potiùs, quàm ad speculatiuas scientias terendas impelleret, eodem anno petijt, & obtinuit licentiam extra Ordinem permanendi, quam 1556. Generalis protogauit, hanc exprimens causam: *Quia non sine magno fructu tempus elapsum consumpserat, & quia illum agnoscebat studio bonarum artium, & præsertim historiarum inquirendarum addictissimum*. Apud viros Principes, Reges, Imperatores, & Pontifices summo semper in pretio fuit, ac ab ipsis varijs muneribus locupletatus. Magna quoque pars,& præcipua extitit gloriosæ illius Academię, ex qua olim viri primarijs in Orbe dignitatibus fulgentes prodiere, quæ quidem celeberrima nostri Panuinij laus foret, si nulla alia extaret. Cùm sæpius Auctorum præsentia contemptui esse soleat, in nostro Onuphrio è contra accidit: Nemo enim eum vidit, quin pluris, quàm antea, fecerit; nemo propiùs, fixiùsque contemplatus est, quin magis suspexerit. Hinc necessariò monendum iudico, solum Curtium meum in Elogijs Antuerpiæ impressis apud Cnobbarum veram Panuinij effigiem expressisse, cæteros, vt in principio Operum de Ludis Circensibus, & antiquitatum Veronensium, nequaquam. Eum perbenignè adamauit Marcellus Ceruinus Cardinalis, Ordinis nostri amantissimus Protector, ob ipsius præclaram eruditionem, & præcisè ob morum candorem, & vitæ honestatem; qui postea Pontifex Maximus sub nomine Marcelli II. creatus, ad præaltas spes Panuinium excitauerat, erexissetque munificè, nisi intra 22. dies excessisset è vita. Acceptissimus itidem vixit in contubernio Alexandri Farnesij Purpurati munificentissimi, qui nihil nisi ingenio perfectum,, virtuteque absolutum approbare consueuerat. Hunc dum ille sequitur in Siciliam proficiscentem lęthali febre, ex animi dolore concepta ob incongruam reprehensionem ipsi factam, quæ causa quoque extitit, vt Roma discederet, sauciatus 18. Kal. Aprilis 1568. ætatis suæ tantummodò inchoato anno 39. Panormi placidè in Domino requieuit. Causam obitus nostri Panuinij, viri Ecclesiæ Dei tam neccessarij, aperit Franciscus Sansouinus contemporaneus in Libro 15. Chron. Bergomensis, ab ipso Italicè edito par. 3. pag. 141. Profectò etiam viri pij homines erant, dum in Mundo, & humanis passionibus obnoxij. Romæ in nostro S. Augustini Templo corpus è Sicilia translatum humatum fuit apposito Epithaphio, quod Amici

mici studijs coniunctissimi formauerant. Supra 65. diffusa, erudita, laboriosaque exarauit Volumina, ex quibus plura typis cum Italicis, tum Vltramontanis incredibili omnium commẽdatione excussa sunt; aliqua malè perierunt, alia verò alieno nomine falsò insignita circumferuntur. Inter Panuinij non infima encomia enumerandum est, quod plurimi eruditi proferunt, nempe Tomos duos Annalium priores, quos magno cum Ecclesiæ fructu, atque ornamento præscripsit Cæsar Baronius, nostrum Onuphrium antea delineasse, & primam eorum Graphidem posuisse, quos deinde Cardinalis poliuerit, euulgaueritque. Sunt enim, qui viderunt Tomum primum, vel saltem magnam illius partem, paucis immutatis, Onuphrij manuscriptum. Difficillimum est recensere omnes, qui Panuinium summis laudibus extulerunt; nam ferè nullus Annalista, seu Historicus est vel profanus, vel sacer eo viuente, vel mortuo, qui aliqua in præclarissimæ Panuinianæ eruditionis encomium non protulerit, quorum paucos exponere libet. Primus itaque sit idemmet Pãuinius de se ipso loquens in libro de Vrbis Veronæ viris doctrina, & bellica virtute illustribus pag. 48; ex quibus verbis apparebit, an bene eius annorum seriem quodomnes non fecere, direxerim: *Non incongruum esse visum est, & me ipsum inter historiæ professores nouissimum Veronensium omnium collocare, quippe qui huic studio, ad huc puer, neque ætatis duodecimũ excedens annum impensissimè vacare cæperim: eo ipso tempore, quo Sancti Augustinianorum instituti vestẽ Veronæ assumpsi; à quo ad annum Christi M. D. LIX; qui est ætatis meæ xxx; hæc ferè conscripsi*. Lelius Bisciola To. 1. Horarum subsceciuarum Lib. 19. cap. 14. *Sacræ, & profanæ historiæ peritissimus fuit Onuphrius Panuinius Veronensis, quem Romæ adolescens cognoui, & multa præclarè ad vtramque illustrandam conscripsit &c.* Latinus Latinius Viterbiensis in Epistolis pag. mihi 308. scribens iussu Sixti V. de quæstione Cathedræ S. Petri Antiochenæ, & Romanæ protulit: *Hæc Honuphrij coniectura, si quis, ut ego sentio, diligenter consideret rem, de qua agitur, non absurda, non leuis, sed maximè consentanea, atque probabilis censeatur necesse est &c. Sed ad multa quoque historiæ Ecclesiasticæ capita vsque ad Traiani Imperium valdè impedita, & controuersa, examinanda, & expedienda, consulere eiusdem Honuphrij historiam Ecclesiasticã vsque ad id tempus, & vltra, vt audio, absolutam quæ cum plurimis eius scriptis penes Iacobum Cardinalem Sabellum seruatur.*

tur. Thomas Dempsterus Scotus in Antiquitatum Romanarum corpus absolutissimum Elencho Auctorum, reposuit: *Onufrius Panuinius Monachus optimè de re antiquaria meritus, Fastis collatis vetustis marmoribus erutis passim*. Eminentissimus Princeps Cardinalis Bona in notitia Auctorum Harmonia Psallentis Ecclesiæ: *Onuphrius Panuinius Veronensis, vir ingentis lectionis rei antiquariæ sacræ, & profanæ peritissimus*. Famianus Nardinus in Libro Italico, *Roma antiqua* lib. 2. cap. 5. pag. 68. inter alia: *Verè nimis acerba, & Reipublicæ Litterariæ nimis damnosa extitit mors magni illius monstri eruditionis solummodò ætatis 39. annorum, qui in tot, & tam pretiosis fructibus doctrinæ; & ingenij, quos in illo annorum flore ediderat, thesaurorum specimen dedit, quos grauiori, & exercitatiori in ætate produxisset*. Clarissimus Abbas Baluzius in Vitis Pap. Auen. pag. 751; & pag. 1302. scribit: *Ego sanè scio Onuphrium Panuininum sæpe errasse in Opere suo de Pontificibus Romanis, & Cardinalibus (quia primus omnium hanc materiam eructauit, cui defuere multa adiumenta &c.) & tamen non facilè ab eius opinionibus discedo, quando mihi testimonia non suppetunt aduersùs ea, quæ ab illo tractantur. Puto enim deberi magnā viro doctissimo reuerentiam*. Iacobus Gaddus nobilis Florentinus vir eruditus, quem nimis ardenter, ac indebitè pupugit Labbæus prudentum virorum iudicio, hæc de Panuinio To. 2. de Script. non Eccl. *Non multis annis Opera tot Onuphrius scripsit, vt nihil legere potuisse, tot aliena legit, vt nihil scribere potuisse videatur*. Vltimus deinde sit postremus Scriptor Guillelmus Caue in Præfatione 2. To. suorum Eccl. Scriptorum pag. 3. *Onuphrius Panuinius Augustinianus, vir longè doctissimus, in antiquitatibus sacris, & profanis egregiè exercitatus, qui Annales Ecclesiasticos aggressus est, neque leuem in ijs progressum fecit, verùm affectos tantùm post se reliquit, quorum ingentes aliquot Tomi M.S. in Bibliotheca Vaticana hodie asseruantur &c.* Plura de Panuinio profert Thomas Pope Blaunt Anglus in cēsura celeb. Authorum pag. mihi 731. Sicuti difficillimum censui notitiam proferre omnium Panuinium laudantium, ita quoque iudico Indicem Operum tam Impressorum, quàm Manuscriptorum eiusdem Onuphrij texere; ni agere velimus vt Editores Operum de Ludis Circensibus, & de Antiquitatibus Veronæ Vrbis, qui ex Cornelio Curtio meo tam Indicem, quàm Elogium accepere, & nec verbum quidem de Curtio dixere.

Igitur

Igitur multa addam, & plura ex Curtio proferam; nam etiã aliqua in texendo Elogio ex clarissimo Bernardo Bruscho Canonico Regulari delibaui. Indicem verò Librorum Panuinij Curtius meus desumpsit ex Opere illustrium virorum insignia Hieronymi Ruscelli Viterbiẽsis Panuinio coæui pag. mihi 466; qui etiam ibidem plurimùm commendat nobilitatem stirpis, ingenij, & eruditionis Onuphrij.

1. Epitome Pontificum Romanorum à S. Petro vsque ad Paulum IV. Gestorum, videlicet, electionisque singulorum, & Conclavium compendiaria narratio. Cardinalium item nomina, dignitatum tituli, legationes, insignia, patria, & obitus. Venetijs impensis Iacobi Stradæ Mantuani 1557. fol. Deinde apud Tramesinum 1567. 4. Editio correctior, & auctior ab eodem Auctore procurata, qui in Præfatione de prima Editione conqueritur, vtpote surrepta, & edita ante &c. Coloniæ 1574. apud Cholinum fol; ac ibidem 1624. 4.

2. Vigintiseptem Pontificum Romanorum Elogia, & imagines accuratissimè ad viuum æneis typis delineatæ. Romæ Antonij Lafrerij formis 1568. fol.

3. De Episcopatibus, Titulis, & Diaconijs Cardinalium. Venetijs apud Tramesinum 1567. 4. Parisijs apud H. Droilart 1609. 4.

4. Chronicon Ecclesiasticum à C. Iulij Cæsaris tempore vsque ad Imperatorem Maximilianum II. Augustum. Coloniæ apud Maternum Cholinum 1568. fol. Louanij 1573. fol; ac Venetijs apud Abundium Menafolium Italicè 1674. 4.

5. Platina de Vitis Pontificum restitutus, cum 60. ad eas adnotationibus, & additione Pontificum à Sixto IV. vsque ad Pium IV. Louanij apud Io. Bogardum 1571. 4. Coloniæ apud Petrum Cholinum fol. 1574; & ibidem 1610. 4; ac alibi pluries etiam Italicè, præcisè Venetijs apud Menafolium 1674. 4.

6. De Primatu Petri, & Apostolicæ Sedis Potestate Libri tres contra Centuriarum Auctores. Veronæ apud Hieronymum Discipulum 1589. 4. Venetijs apud Franciscum Francisium 1591. 4; vltimòque Romæ in Bibl. Max. Pontificia To. 17. fol.

7. De præcipuis Vrbis Romæ sanctioribus Basilicis, quas septẽ Ecclesias vulgò vocant. Romæ apud H. Antonij Bladi 1570. 8. Coloniæ 1584. 8; alibique.

8. De Baptismate Paschali, origine, & ritu consecrandi Agnus Dei Liber. Romæ apud Bladum 1560. 4; ac ibidem 1630. 8.

9. Augustiniani Ordinis Chronicon per annorum seriem digestũ à S. P. Augustino ad annum 1510; & creationem Iulij Papæ III. Liber excussus Romæ apud Bladum eodem anno 4. Hoc Chronicon putarunt à Panuinio surripuisse nostrum Pamphilum eruditi Rossotus; & Oldoinus, sed non bene, vt in Pamphilo ostendam, & iam scripsi in Indice Biblioth. Max. Pontificiæ, in quo laboraui.

10. De ritu sepeliendi Mortuos

apud

apud veteres Christianos, & eorum Cœmeterijs. Romæ & Louanij 1581; & lingua Gallica Parisijs 1613. 8.

11. De Sybillis, & Carminibus Sybillinis. Venetijs 1567; & Haidelbergæ 1588. fol; ac Parisijs apud Societatem Typographicam 1607. 8.

12. Interpretatio multarum Ecclesiasticarum vocum, quæ obscuræ, vel barbaræ videntur lib. 1. De Stationibus Vrbis Romæ lib. 1. Louanij apud Io. Bogardũ 1571. 4. Coloniæ 1600. 4; vt ex Bodleiana.

13. Fasti, & Triumphi Romanorum à Romulo vsque ad Carolum V. Imperatorem, additis Imper. Orientalium Iconibus impensis Iacobi Stradæ. Venetijs 1557; & 1573. fol. Demum cum commentarijs in lib. quinque. Haidelbergæ 1588. fol. *Exactum Fastorum nostri Panuinij defensionem concinnaui, quam alia occasione publicabo*, ait Eminentiss. Norisius in fine Adden. ad Hist. Pelagianam.

14. In Fastos Consulares Appẽdix, in qua continentur ordinariorum Fasti à Cæsare Dictatore vsque ad Iustinianum, Marci Verrij Filuci Consularia, & Triumphalia Fragmenta; Cassiodori, Prosperi Aquitanici, incerti Auctoris, & Marcellini Comitis Chronica. Haidelbergæ 1588. fol.

15. Libri duo de Ludis Sæcularibus, & antiquis Romanorum nominibus. Ibidem 1588. fol. Etiamque omnes notati Libri, nempe à Fastis inferiùs. Venetijs in Erasmiana Valgrisij 1558. fol; ac cum Libro de Ludis sæcularibus.

16. Bibliotheca Pontificis Vaticana. Ex M. S. Panuinij edidit Ioannes Baptista Cardona Dertusanus Episcopus. Tarraconæ apud Philippum Mey 1587. 4.

17 De Republica Romana Libri tres, quorum primus descriptionem veteris Romæ continet. Venetijs apud Valgrisium 1518. 8. Frãcofurti apud H. Andreæ Vecchelij 1597. fol. Et primus Liber etiam Parisijs apud Gillios 1587. 8; & Francofurti ad Menum in Ioannis Boisardi opere 1627. fol.

18. De Triumpho Commentarius. Venetijs apud Michaelem Tramezinum in fol. regali 1573. Parisijs apud Ægidium Corbinũ 1575. 8.

19. Descriptio Triumphi Romanorum amplissimi ex lapidum monumentis desumpti. Antuerpiæ 1556. in forma oblonga.

20. De Ludis Circensibus Libri duo, & de Triumpho lib. 1; quibus vniuersa ferè Romanorum veterum sacra, ritusque declarãtur. Venetijs apud Io. Baptistã Ciottum 1600. fol; nec non cum notis Ioannis Argolij, & additamentis Nicolai Pinelli. Patauij apud Paulum Frambottum 1642. fol. regali, etiam Parisijs 1601. 8.

21. Libri viij. de antiquitate, & Viris illustribus Veronæ suæ Patriæ. Patauij apud Frambottum 1648. fol. Etiamque de viris illustribus suæ Patriæ seorsim. Veronæ apud Angelum Tanum 1621. 4.

22. Vigintiquatuor Romanorũ Imperatorum imagines, qui à Iulio Cæsare extiterunt. Romæ 1578. fol.

23. Vitæ Patriarcharũ quatuor primarum Sedium. Romæ editum opus testatur Verderius, ac Draudius To. p. pag. 1082.

24. Romanorum Principum, & eorum, quorum maxima in Italia Imperia fuere Libri jv. Basileę apud Henricum Petrum 1558. fol.

25. De Comitijs, & Potestate Imperatoris cum institutione vij. Electorum Imperij Libri tres hactenus inediti, cum Præfatione ad Imperatorem Maximilianum II. data Romæ Kal. Nouemb. 1563. cuius principium: *Scripseram olim, magnanime Rex, tantùm ad vsum meum paruũ de Comitijs Imperatorum Librum, quo carptim, quæ ad id argumentum pertinebant, annotaueram, eum, cùm aliquot annis iacuisset, vbi primùm audiui Te Regem Romanorum feliciter electum esse, iterum in manus sumpsi, cursim legi, & multa in ipso valde scitu digna deesse animaduerti. Maximo igitur in Maiestatem tuam, cuius eximijs in omni genere laudibus omnium aures personat, studio incensus, facere non potui, quin eumdem Librum, ita multis rebus notitia dignis auctum, & lucupletatum, vt in tres Libros diuidi oportuerit, sub Maiestatis Tuę nomine in lucem ederem. Multa enim erant, quæ me, vt id consilij caperem &c.* Autographum huius Libri est in Bibliot. Cæsarea inter Codices M. S. Historicos 206; quem edendum susceperat famosus Petrus Lambecius, vt ipse testatur in Catalogo Librorum à se editorum impress. Vindobonæ 1672. 4. pag. 63; & 64. An editurus sit dignissimus Successor Daniel Nessellius, ignoro. Paruus ille de Comitijs Imperatorijs Liber editus primò est in fine Librorũ quatuor de Romanis Principibus. Basileæ typis Henrici Petri 1558. fol. Idem quoque postea separatim Argentorati sumptibus Lazari Zetzeneri 1613. 8.

26. De antiqua apud Gentes Religione, vel potiùs superstitione, videlicet de Sacrificijs, augurijs, aruspicinis, sortibus, sacris epulis, ludis scenicis, gladiatorijs, & ferijs lib. 12. editi sunt Romæ, vt asseruit Verderius.

27. De varia Creatione Papæ, siue Romanorum Pontificum Libri v; in quibus ea omnia exarantur, quæ inter infirmitatem, & mortem vnius Papæ, & creationẽ, & coronationem alterius acciderunt, cum legibus super his emanatis à S. Petro vsque ad Pium IV. Opus editum Romæ ex Verderio. Verùm vt M. S. citatur à Victorello in Addit. ad Ciacconium, præcisè in vita Adriani I. pag. mihi 209; qui dicit constare tantùm lib. 4. Et noster Sanmartinus Tolosanus in Tractatibus moralibus pag. 531. ait asseruari M. S. in nostra Bibl. Tolosæ.

Libri, qui prodierunt manuscripti.

28. Gregorij VII. celeberrimi Pontificis vita quinque Libris digesta, testatur ipse Panuinius, & Victorellus in Addit. ad Ciacconium, vbi de eodem Gregorio.

29. De Cardinalium origine, dignitate, officio, habitu &c. Liber iam perfectus, & impressioni paratus, meminit ipse Panuinius

in Libro impreſſo de eorum Epiſcop; & titulis &c.

30. De Eccleſia, Baptiſterio, & Patriarchio Lateranenſi M. S. in Cimelio Equitis Caroli Antonij de Puteo. Laudatur ab amatiſs. olim, & doctiſs. D. Ioanne Ciampinio, & ab Alpharano apud ipſum pag. 4; & 63. de ſacris Ædificijs &c.

31. Hiſtoria Familiæ Frangipaniæ Libri quatuor ſunt Nemis in Palatio Dominorum eiuſdem Proſapiæ.

32. Hiſtoria Familiæ Sabellæ lib. 4.

33. Hiſtoria Familiæ Maximorum lib. 2.

34. Hiſtoria Familiæ Cenciorum lib. 2.

35. Hiſtoria Familiæ Matthæorum lib. 1. ſunt apud nobiliſſimos Hæredes.

Libri abſoluti, ſed in lucem non emiſſi.

36. Collecta è viginti Libris ſpiritualibus, ſiue Cæremonialibus de Sacrificio Miſſæ à Chriſti Domini tempore vſque ad annum 1300. vnà cum pleriſque declarationibus rerum Eccleſiaſticarum, Stationum, Indulgentiarum, ſiue Condonationum, interpretatione quoque rerum, ſeu verborũ à Scriptoribus Eccleſiaſticis vſurpatorum.

37. Chronicon Eccleſiaſticum Summorum Pontificum, Imperatorum, Patriarcharum, Conciliorum, ac Virorum ſanctitate, & Doctrina illuſtrium. Etſi opus diuerſum proferat eſſe noſter Curtius ſecutus ab alijs, tamen idem exiſtimo cum iam ſupranotato edito.

38. Vitæ Romanorum Pontificum à Libro edito diuerſæ. In Barberina.

39. Hiſtoria Eccleſiaſtica contra Centuriatores Magdeburgenſes M. S. extabat in Bibl. Card. Sabelli, vt ſupranotaui ex Latinio, nunc in Vaticana, ex qua Baronius &c.

40. De antiquis, & recentioribus Eccleſijs, Monaſterijs, Cœmeterijs, & alijs locis pijs Vrbis Romæ lib. 10.

41. Bibliothecam, ſeu compendium vitarum, & iudicium de Hiſtoricis antiquis Latinis, & Græcis.

42. De Porticibus vnà cum tribus millibus Inſcript. Romanorũ.

43. De origine ſeptem ſacrorum Ordinum lib. 1.

Libri partim abſoluti, ſed non recogniti, partim ſemiabſoluti, & partim delineati.

44. Vitæ Archiepiſcoporum, & Primatum primarum Eccleſiarum Occidentalium, Aquileiæ, Gradenſis, Rauennæ, Mediolani, Moguntiæ, Treuiris, Coloniæ, Toleti, Conturbery, Senonenſis, Lugduni, Carthaginis, & huiuſmodi alia.

45. Hiſtoria Ordinis Eremitarũ, & de origine aliorum Ordinum Religioſorum, qui ſunt apud Chriſtianos.

46. Breuiarium Imperij Romani, cum ijs, quæ pace, belloue geſta ſunt Romæ, & foris à Romulo vſque ad Iuſtinianum Imperatorem.

47. De

47. De antiquis institutis, ritibus, Cæremonijs, & Ecclesiæ Romanæ vsibus.

48. De antiquis officijs, & Magistratibus Vrbis Romæ.

49. Breuis collectio Conciliorum Generalium, & Prouincialium. Historia Ecclesiastica Vniuersalis.

50. Volumen, quo vniuersus Mundi status describitur, tam de ijs, quæ ad Religionem, quàm, quæ ad Politiā spectant. Itaque & de sectis, hæresibus, Ethnica superstitione; De vera Religione imprimis, mox de falsis, seu abolitis, Iudaica, Mahometana, & alijs. Deinde de Imperijs, Regnis, Rebuspublicis, Bellis inter eas, Opibus, dependentijs, vt vocant, & origine vnius cuiusque Principatus.

Reuera Panuinius, vir vsquequaq; doctissimus, vt eū dixit Labbeus, propè infinita Volum inacomposuit; vnde Horatius Bladus in dedic. Operis de septem Vrbis Ecclesijs Cardinali Alexādro Farnesio scripsit: *Nullus erat dies, quo non aliquod suæ lucubrationis monumentum litteris mandaret; quo non veterum rerum antiquitates in tenebris iacentes suarum litterarum lumine ad lucem clarissimam vocaret, atque ab interitu vindicaret.*

157. ONVPHRIVS STECVTVS, seu de Vicedominis, Florentinus S. T. Doctor, Diuini verbi declamator feruidus, vndecumque doctissimus, ac omnium Litterarum eruditione eximius. Ob præclara gesta pro Apostolica Sede ab Vrbano VI; cuius fuit Nuncius in partibus Tusciæ, & Insubriæ anno 1384. die 28. Martij ad Infulam Volaterranam regendam præficitur. Ea ecclesia per annos sex perfectè administrata, ad insigniorem suæ Florentinæ Patriæ Cathedram decorandam translatus fuit anno 1390. pridie Kal. Februarij. Sui Præsulatus tempore, nempe 1392. in Castro Empoli Florentinæ Diœcesis accidit notabile miraculum. Duo milites simul ad Taxillos ludebant; cùm alter eorum omnem pecuniam perdidisset, præter Grossum argenteum monetæ Pisanæ, in quo Beatissimæ Virginis imago cernebatur insculpta; post plures blasphemias in Christum, & Matrem iniuriosè iaculatas, nūmum, imaginemque percussit gladio, cùm ecce ex ipso statim sanguis exiuit &c. Quare postmodùm cruentatum nummum ad nostrum Onuphrium delatum, ipse cum Clero, & Populo ad Augustinianam S. Spiritus Ecclesiā Dominica V. Quadragesimæ deportauit, in Sacrarioque reposuit, Indulgentiam quadragenariam quot annis visitantibus elargitus. Deinde 1395. Bonifacius Nonus, vel quia ipsi non placebat, quod O-

 nuphrius

nuphrius Giuibus suis impensè faueret, vel alia de causa, quæ Pontificis animum exacerbabat, eum [à sua sede Florentina remouere voluit, & ad ignobiliorem Clomachi Insulam demãdare. Sed instante amantissima Florentina [Republica duabus epistolis ad Pontificem missis, aliaque ad Cardinalium Collegium, Pontifex delinitus fuit, mansitque Onuphrius in gubernio per aliud quinquennium. Inter alia præclara, quæ in Episcopi laudem dictis in epistolis, ab Vghello, & Torello relatis, extant, hæc placuit adnectere. *Vtinam omnes alij* (protulit Senatus) *tã Clerici, quàm Prælati pari diligentia per omnẽ Christianitatis ambitum se gessissent, & scirent, & vellent in his omnibus operari. Indignamur autem, quòd aliqui tententur ore sacrilego tam falsa continere, vel si de veritate sunt conscij, quæ bene gesta sunt, tam turpiter deprauare.* At denuo cùm Æmuli sæpiùs apud Pontificem vrgerent; eum tandem an. 1400. à sede remouit nõ omnino inuitũ; cõtentus tamẽ, vt in suũ Cœnobiũ se reciperet. Ibi solummodò spiritualibus vacans, ad cælestem patriam anhelans 1403. animam Creatori reddidit, sepultusque est in Capitulo dicti S. Spiritus Cœnobij, vbi marmorea eius effigies leuiter incisa cum hac inscriptione, nunc in primo Claustro reportata, conspicitur: *Hic iacet Reuerendissimus D. Magister Fr. Honophrius magnus Theologus, Episcopus Florentinus Anno Domini* 1403. Laudatur condignè ab omnibus nostris, inter quos etiam elucescunt Iacobus Philippus Forestus Bergomas in Chronicis, & Iouannellus in Chronistoria Volaterranæ Ciuitatis pag. 165. Externi verò celebrantes sunt Claudius Robertus in Appendice Galliæ Christianæ pag. 34; Michael Pocciantius in Florentinis script. pag. 81; Vghellus in p. To. Italiæ Sacræ, & in 4. col. 209; & seq; Marraccius in 2, To. Marianæ Bibl. pag. 192; ac Frisius pag. 460. Opera ab ipso edita, quæ olim asseruabantur in nostra Perusina, vt testatur Pamphilus in Chronicis, sed hodie ampliùs non adsunt, sequentia sunt:

Commentaria acuta, & subtilia super primum Sententiarum asseruãtur Romæ in Angelica. fol.

Super quatuor Euangelistas expositio lib. 4.

In acta Apostolorum expositio.

Harmonia Euangelistarum.

Sermones ad Populum.

Aliaque plura.

159. PAV-

159. PAVLVS LVLMEVS Bergomensis. Fausta proles Prosapiæ de Vlmis Bergomi Paulus in Mundum exiuit anno 1414. Iuuenis à Parentibus sacrorum Altarium ministerio destinatur. E patria egressus ad legum studia in Patauinam Vniuersitatem excolenda se contulit. Post non multum temporis vtriusque Iuris Lauream adeptus, in patriam reuersus, non solùm Doctor creatus, vt plerique faciunt, sed præstantissimæ doctrinæ corona illustratus, quod rariùs euenire solet, ab omnibus admirabatur. Nullum Ecclesiasticũ Concilium, nec congregatio, vel congressus instituebatur, in quibus Paulus non adesset, ac eius eminens doctrina difficultates non enodaret. Ideo vacante vna ex primarijs Canonicorum Cathedralium sedibus, ne eius præclara merita sine præmio manerent, hæc illicò ipsi collata fuit. Non diu tamen in ea dignitate permanere voluit Pauli humilitas, nam Augustinensiũ Fratrum obseruantium vita allectus, anno 1449. per manus B. Ioannis de Nouaria sui Patrij Cęnobij Prioris habitum mei Ordinis sumpsit. In Religione, non tantùm, quod potissimum est, omnibus virtutibus ornatum apparere studuit, sed etiam tum prædicando, tum scribendo, tum gubernando, in vinea Domini indefessè laboravit. Tam altè enim in Pergamis eius doctrina emicuit, vt primus inter alios suæ Congregationis Concionatores extiterit, ac vsque ad finem vitæ primarijs in Locis trigintatres continuatos Quadragesimales cursus gloriosè, & vtiliter confecerit. Gubernia Ordinis demum tam egregiè tractauit, vt ferè semper in ipsis occupatus fuerit. Rexit itaque vti Prior nostra Cœnobia Sauonæ 1462; Alexandriæ, Genuæ, Mediolani, Mantuæ, Ferrariæ, Brixiæ, Bergomi, Cremonæ, & Romæ S. Mariæ de Populo. Pluries munus Visitatoris, & Deffinitoris laudabiliter gessit, ac septies Capitulorum Præsidis, totiesque Vicarij Generalis ab anno 1465. vsque ad 1483. dignitatem in sua Congregatione meritissimè obtinuit. Denique suis in scriptis, & Operibus editis tam mirè refulsit, vt ob hoc meritò à Iacobo Philippo conterraneo, & ab Herrera erudito proclamatus fuerit. *Congregationis Lombardiæ grande decus, & illustre ornamentum, in Libris antiquorum Patrum versatus, disciplinæque iuris Pontificij eruditissimus*. Cùm peruenisset ad annum septuagesimũ, cilicio, ieiunijs, & indefessis orationibus, ac laboribus potiùs, quàm ætate consumptus die 12. Iunij anno 1484. suauiter ani-

ter animam exalauit, post se relinquens optimam suæ vitæ famam. Laudatur ab omnibus nostris, & præcisè à Donato Caluo Bergomensi in memorijs suæ Congr.referente ad viuum effigiem ipsius pag. 93; & seq; & in Scena Litteraria Bergomẽsi pag. 428; & seq. Externi memorantes sunt Trithemius de Script. Eccl; Posseuinus in 2. Tom. Apparatus, Gerardus Ioãnes Vossius de Historicis Latinis lib. 3. pag. 601; Frisius in Gesneriana pag. 657; vltimòque Papebrochius in To. 3. Maij. Ideo Paulum Lulmeum vocavi, quia ita se nominat in Præfatione Operis de Potestate Ecclesiastica B. Augustini de Ancona ab ipso editi, vt iam notaui suo loco. Opera igitur sunt:

Apologia pro Eremitis contra Dominicum Taruisinum Canonicum Regularem &c. Dicauit Cardinali Guillelmo de Estouteuilla Rothomag. Episcopo Ostiensi, et Ordinis Protectori amantissimo. Romæ in domo nobilis viri Francisci de Cinquinis 1479. 4; et etiã 1604. 4.

Vita S. Matris Monicæ dicata Ioanni Senensi Episcopo Massano D. Papę Sacristæ. Ibidem apud eundem in 4.

Vita B. Magdalenæ de Como. Ibidem, et apud Papebrochium To. 3. Maij.

De Floribus Eremiticis simul cũ Apologia Ordinis. Romæ 1604; vt testatur Emmanuel Leal Opere sæpius citato.

Viridarium Sponsarum Christi Italicè.

De Laudibus præsentis vitæ per Dialogum lib. 1.

De Vita, et miraculis B.Mariæ de Genua. lib. 1.

De Vita, et miraculis B. Helenæ de Vtino. lib. 1.

De spirituali ascensu ad Deum lib. 1. Ad Christophorum Maurum Venetiarum Ducem. Hæc omnia edita esse asserunt Forestus, & Caluus; facilè, vti puto, ibidem apud eundem Cinquinum.

159. PAVLVS NICOLETTVS Vtinensis, Venetus ob longum domicilium dictus. Hic Cœnobij Venetiarum conspicuus alumnus omnium Dialecticorum, Philosophorum, & Theologorum sui temporis Princeps à pluribus agnoscentibus proclamatus extitit. In celebri Oxoniensi Angliæ Academia sacris litteris operam dabat anno 1390. His perceptis in Italiam regressus tali doctrina, concionandi gloria, & lucidis moribus illustratus cernebatur, vt circa annum 1412. deficiente supremo Ordinis Præsule à Gregorio XII. in Religionis regimen suffectus fuerit, Quantum in sacra Theologica sapiẽtia enituerit, testes fuere famigeratæ Vniuersitates Parisiensis, Senarum, Parmæ, Perusij, Bononiæ, ac Patauij, in quibus eamdem facultatem publicè docuit, & qualiter humanis, & diui-

& diuinis litteris excelleret, palam aperuit. Bis in Prouincialem Marchiæ Taruisinæ electus, primùm Ferrariæ, deinde Mãtuæ 1421. ab Ordinis Generali confirmatus fuit. Anno 1427. cùm publicus in Vniuersitate Lector Perusij degeret, Ordinis Moderator Priorem Sancti Augustini eiusdem Ciuitatis eligendi facultatem concessit; instituitque Visitatorem simul cum Vallispoletano Prouinciali vtriusque Tudertini Cœnobij. Principalis gloria nostri Pauli extitit triumphus, quem, dum Senis permanebat, de obstinato hæretico Francisco Porcario reportauit: Hunc, vt expressiùs appareat, alieno scalpro hìc incidere volo: *Quis nostris temporibus* (calamus est Coriolani contemporanei) *Græcis, Bohemis, & Fraticellis de opinione conflictum dedit disputando? Quis Franciscum Porcarium Senensem, qui iam non modò Ciuitatem Virginis, sed penè totum agrum Tusciæ suis hæresibus infecerat, igne cremauit? Egregij Doctoris Pauli Veneti acerrima disputatio*. Hæc supradictus Coriolanus in 50. Commentario super regulam; quodque extensiùs confirmauit in Chronicis Ordinis, atque roboratur ab antiquo epigrãmate in Claustro Perusino. Ille demum, qui Orationem habuit in eius funere, hæc reposuit: *Illud in religioso homine dignissimum facinus fuit, cùm Franciscum Porcarium Senensem Christianæ, Catholicæque Fidei rebellem, hæresis damnatum, seuera, atque constanti oppugnatione comburendum fecit sententiari. De cuius hæresibus, non eius publica morte contentus, singularem in Scriptis tradidit perscrutationem, ne vllo vnquam tempore in Ecclesia Dei pullulare possent.* Hoc præclarum facinus nostri Pauli, vt aliquo signo distinctiuo, & præmio cohonestaretur, Senatus Venetus eum inter Patritios adnumerauit. Testatur eloquentissimus olim Amicus Magister Iacobus Florellus ex meo Ordine in Dictis, & Factis memorabilibus Venetis lingua Italica pag. 35. In famosissimo Theatro Venetiarum Ciuitatis, vbi virtus gloriosa triumphat, honores Paulo non defuere, imò tam laudatum, & æstimatum fuit eius sublime ingenium, vt Patres conscripti ipsi elargiti sint Patritium Birretum, signum, & trophæum insignioris Europæ Nobilitatis, vt Persona tam singularis virtutis secerneretur ab alijs, sicut Nobilitas segregatur à Vulgo. Nec fuit hoc sufficiens liberalitati Senatus, qui erga doctos semper propensus eluxit, quia, vt memoria viri tam pręclari viua remaneret, etiam ad alios Augustinianos in Venetiarum Regia degentium idem priuilegium

gium perpetuum extendi voluit. Quod Florellus noster asseruit, ex antiquo manuscripto Bibliothecæ Cornaræ desumpsit. Quia dignitates Ecclesiasticas noster Paulus humiliter renuebat, aliud quoque priuilegium à Summo Pontifice ipsi donatum audiui à citato Florello, vt quoad viueret, memoria suæ illustris victoriæ remaneret, quod, quia aliqualiter exprimitur ab altero nostro insigni Veneto Paulo Ciera Episcopo Vestano in principio sui primi Sententiarum Elencho Auctorũ impressi Romæ 1633.4, ideo exponam: *Paulus Venetus Theologorum omnium, & Philosophorum sui temporis sine dubio Princeps, in Patauino Gymnasio nomine publico ductus per multos annos summa cum laude, & gloria docuit, ex disputationibus, concurrentijs, congressibus nunquam victus exiuit, catholicæ veritatis perpetuus propugnator extitit. Ferunt ex priuilegio in testimoniũ suæ singularis doctrinæ Capuccium ex serico villoso gestare solitum &c.* An Venetijs, vel Patauij obierit, non est certum. Corpus tamen in nostro Patauino Cœnobio extare certum est ex apposito Epithaphio, quod etiam plures Scriptores, inter quos vltimus Thomasinus in Patauinis Inscriptionibus pag. 150. protulerunt. Auctores etiam variant in assignando anno mortis, sed standum esse iudico Patauino Epithaphio, videlicet. *Hic iacet S. Theologiæ Doctor clarissimus, & Philosophorum Monarcha Magister Paulus de Venetijs Ordinis Eremitarum S. Augustini, qui obijt anno Domini* 1428. *die* 15. *Mensis Iunij; cuius anima requiescat in pace.* Extat alibi aliud Epithaphium relatum à Ioanne Marcanoua:

Vir Pataui perit, hic Vtinum tulit, iuit ad Vrbem
Adriacam puer, hinc nomine Paulus habet.
Doctus Aristotelis dubios exponere sensus
Audet, & Ægidium carpit vbique potens.

Non solùm supradicta inscriptio Vtinensem asseruit nostrum Paulum, sed etiam Leander Albertus in Descript. Italiæ Regione 18. Ducatus Forum-Iulij pag. mihi 480. Henricus à Pfleumern Germanus in Mercurio Italico Lugduni 1628. pag. 86; mei eruditiss. Amici Abbas Crescimbenius in Historia Vulgaris Poesis pag. 298; & Abbas Iustus Fontaninus Eminentissimi Imperialis Bibliothecarius in Foro-Iuliensibus Scriptoribus edendis. Hoc loco coarguenda venit, imò despicienda ineruditio Canonici Regularis Io: Baptistę Melegarij, qui cùm non vidisset impressum, nisi paruum Libellum Summularum

Pauli

Pauli Veneti in suo Libro Venetijs edito 1648.4;deridere ausus sit eruditissimum Ludouicum Cellotium Iesuitam, qui in Libro de Hierarchia, & Hierarchis vocauit nostrum Paulum Monarcham Philosophorum. Quàm meritò Cellotius hoc dixerit, cernere poterat ex pluribus Scriptoribus ante ipsum, ex frontispicio Operum impressorum eiusdem Pauli, si vidisset, & ex Indice apposito, si viueret, agnoscere quoque posset, quàm multa Philosophica, Astronomica, & Mathematica ediderit. Comprobatur etiam ex eo, quòd in ipsius encomium digessit Auctor Addit.ad Speculum Historiale Belluacensis cap.64.pag.476. à tergo: *Paulus Venetus Herem. D.Augustini, & ipse Theologus, & Philosophorum Princeps, nec non & disputator accerrimus hoc ipso anno in vniuersa Italia nominatissimus habitus est eò, quòd cunctos dialecticos, Philosophos, & suæ ætatis Theologos sine controuersia superauerit, ac etiam tanquam alter Apollo post se futuros Philosophos sua sapientiæ lacte nutriuerit, qui nisi immatura morte praeuentus fuisset, omnes antecessores suos ingenio, suisque scriptis superasset.* Vltra supranotatos celebrarunt nostrum Paulum Marcus Antonius Coccius Sabellicus Ænne. 7. Lib.9. pag.mihi 136; Trithemius de Scriptoribus Ecclesiasticis, Posseuinus in Appar. sacro To. 2; Arthamannus Schedelius in Chronicis, Gesnerus pag. 541; Frisius pag.660; Albericus in Scrip.Venetis pag.70; Superbusin triumpho pag. 14; Io: Petrus Crescentius satis bene in Præsidio Romano lib. 3. pag. 101; Curtius noster in Elogijs proferens ad viuum eius effigiem, plurimique alij. Quando decessit, erat ætatis annorum 60. Opera, quæ edidit, sunt sequentia.

Logica parua, seu summulæ. Venetijs apud Scotum 1524. 8; apud Iunctam 1535; apud eũdem Scotum 1536; apud Iunctam 1544; apud Bonadeum 1585. 8; etiamq; pluries. Super easdem summulas scripserunt Menghus Fauentinus, Iacobus Riccius, & Manfredus de Medicis, quorum opus simul editum est, correctione, & industria nostrorum Magist. Nicolai. Veneti, & Ambrosij de Padua, Venetijs impensis Lucæ Antonij de Iũcta 1520. fol. At primò Comment. solius Menghi editum est Venetijs typis Ioannis Leouuiler de Hall 1488. 4; in nostra Bibl. Sanctissimi Crucifixi Promontorij Genuæ vidi.

Principis Logicorum, Philosophorumque Pauli Veneti super Vniuersalia Porphirij, & artem Veterem Aristotelis, cura, & industria P.M.Iacobi de Bonaguisis de Mantua Aug. Venetijs per Locatellum fol. 1494; Parisijsque 1514. fol.

Eiusdem Logica magna corre-

cta à duobus Minoritis Fratre Francisco Maceratense, & Iacobo Fossanense. Venetijs 1499. per Scotum Fol. Demum ibidem cum annot. marginalibus, tabulis, & figuris diligentissimè 1565. 8.

Super libros Posteriorum. Venetijs 1481. arte, & impensa Ioannis Herbort Alemani fol. Est in nostra Promontorij. Ibidem per Guillelmum de Monteferrato Tridinensem 1486. Fol. Denuo 1491; & 1495. per Locatellum fol; & 1499. per Simonem Papiensem fol; ac 1518; & 1521. ambæ editiones emendatæ à nostro Augustino Montefalconio per Lucam de Iuncta fol.

Excellentissimi Theologorum, Philosophorumque Monarchæ Pauli Veneti Augustin; in octo libros Physicorum Commentaria, cura, & correctione M. Iacobi Baptistæ Alouisiani, qui in Præfatione vocat Paulum Venetum summum Christianæ Fidei vindicem. Venetijs per Greg. de Gregorijs 1499. fol.

Diui Pauli Veneti, Theologi clarissimi, Philosophi summi, & Astronomi maximi Aug. libellus aureus de compositione Mundi cum figuris, edidit Alouisianus notatus. Venetijs per Locatellum 1498. fol.

Eiusdem expositio super libros de Generatione, & corruptione. Ibidem 1498. fol.

Clarissimi omnium Philosophiæ Aristotelis elucidatorum præcipui Pauli Veneti de Anima, opera medicinæ Doctoris Iacobi Suriani. Venetijs 1504; & 1524. per Locatellum fol.

Summa naturalis Philosophiæ per famosissimum S. T. Professorē Paulum Venetum. Venetijs in fol. magno, 1477. edita, & correcta per S. T. P. Fratrem Valentinū de Camerino Ord. Præd. vidi in nostra Bibl. Conuentus Corani in Latio. Primo editam tamen vidi in nostra Sauonę Consolationis. Mediolani per Christophorum Valderfer Ratisponensem 1476. fol Etiam Venetiis impensis Ioannis de Colonia an. 1476. fol. Ibidem industria nostri P. M. Pauli de Genazano per Locatellum 1502. fol; ac Lugduni in ædibus Antonij de Rij 1525. fol. paruo.

Aurea Sophismata acutissimi, diuinique ingenii, & subtilissimi Loici, nec non & Sophistæ perspicacissimi, Doctoris eximii tam Theologiæ; quā Phylosophiæ M. Pauli Veneti correcta, & emēdata per Magistrum Secundum Contarenum Patritium Venetum. Venetiis per Locatellum 1493. fol. Primùm verò Papiæ per Nicolaum de Girardenghis 1482. fol.

Eiusdem Opus aureum, quod Quadratura inscribitur, emendatum per eundem M. Contarenum Aug. Venetiis per Locatellum 1493. Fol; ac Parisiis 1514. fol.

De Conceptione B. Virginis Mariæ lib. 1. citatur ab Andrea de Peruzzinis Minorita Obseru. in suo opere *Analysis immaculatæ Conceptionis* edito Venetijs 1634. 4. pag. 99; à meo Sammartino Tolosano in Libello supplici pag. 333, à Petro de Alua in Bibl. Concept. col. 1137; ac ab alijs

Eiusdem de Gustabili descriptus 1428. sumptibus Matthæi de Ripalta; Breuis summa in libros Physicorum; Conclusiones super

libros

libros de Anima; & de Futuris contingentibus,sunt in Bibl.Patauina S. Ioannis in Viridario ex Thomasino.

In duodecim Metaphysicorum scriptus 1434.fol.memb. in nostra Patauina, ex eodem in 4.

Summa naturalium scripta 1435.Mense Maij, cuius frontispicium cum miniaturis elegantissimis in nostra Patauina. Irrepsit tamen error in Thomasini Indice dicente Ord. Prædicatorum.

Explicatio Dantis Aligeri Poëtæ Florentini in Bibl. de Candis Pataüij. Si verum est, quod asseritur à Crescimbenio loco supracitato, scilicet opus manuscriptum fuisse 1410;manifestè apparet esse nostri Pauli, non alterius Ordinis Seruorum.

Super Sent.lib.quatuor; contra Iudæos lib. 1; Sermones de Tempore lib. 1; Sermones de Sanctis lib.1;Sermones Quadragesimales lib.1.De notitia Dei lib. 1. De condendo Christiano Testamento. lib.1.De ortu, & progressu nostri Ordinis lib 1. De Incarnatione Dei lib. 1. De excellentia Verbi Dei lib. 1. Super consequentijs Strodij lib. 1. Atque ad compendium redegit doctas Ioannis de Ripa Doctoris in Magistrum Sententiarum Explicationes; aliaque

De notitia Dei; De condendo Christiano Testamento; De ortu, & progressu Ordinis, ac explicatio Dantis Florentini meus Albericus, & Superbus attribuunt hæc Paulo Veneto Ord. Seruorum, qui floruit 1476;at Posseuinus nostro. Quibus credendum, iudicare non possum.

160. PAVLVS ZABARELLA Patritius Patauinus, cognomenta Bonus, humanarum, diuinarumque litterarum Doctor egregius, in concionando præsertim omnes sui temporis antecelluit. Cœnobium Patauinum ædibus, & porticibus speciosissimis auxit, ac exornauit. Anno 1491. Marchiæ Taruisinæ Prouincialis euasit. Sui gubernij tempore simul cum P. Magistro Paulo Tridentino impetrarunt ab Alexandro VI.Bullam sub datum Romæ 1493.die 22.Iunij, in qua præcipiebatur Festum S.P.Augustini ad instar Apostolorum Festiuitatum ab omnibus coli debere. In Congressu generali Romæ 1497. celebrato Patres eum elegerunt totius Italiæ Visitatorem Generalem. Deinde 1499. Præses Capituli suæ Prouinciæ fuit constitutus, & 1504. 20.Martij ad Infulam titularem Argolicensem promotus; qua relicta, Archiepiscopus Pariensis, simulque Propræsul, Locumtenens Generalis in spiritualibus, & temporalibus Cardinali Marco Cornelio Episcopo Patauino inseruiuit. Eo in munere optimè, strenuèque se gessit: Præcisè cùm Procancellarius quoque Patauinæ Academiæ extitisset, in elargiendis insignibus omni genere candidatis, tanto eloquentiæ flumine exundabat etiam in extemporaneis sermo-

nibus, vt oratio eius mele suauior, aureaque ab omnibus suspiceretur. Denique anno 1525. 25. Iulij humanis spolijs exutus ad vestem immortalem, quam nulla tinea corrumpit, induendam transijt. Encomiasticè de Zabarella locuti sunt omnes Scriptores Ordinis, specialiter Herrera pag. 267; & 268. To. 2. Alphabeti Aug; & Paulus de Sclauis de Genazano, qui ipsi Zabarellæ dicauit Summam Philosophiæ Pauli Veneti, inter alia exprimens: *Tu enim excellentissimus Theologus omnium studiosorum es refugium, omnium bonorum asilum: Neque etiam alius, aut rarissimus in Religione nostra reperitur, de quo maiora, & meliora desiderari, & expectari possint &c.* Meliùs tamen de suo Gentili locutus est Comes Iacobus Zabarella in suo libro Impresso Patauij 1670. 4; cuius titulus: *Aula Zabarella* à pag. 124. vsque ad 128. exponens veram Imaginem nostri Pauli, in qua apparet obijsse Annorum ætatis 54; cùm hoc epigrammate ad pedes:

Moribus ingenuis dignus, qui vixit eremo;
Par calamo, cui vox conscia, mensque Dei;
Argolicis, Parijsque simul pia semina sparsit,
Rore salutifero, quantus & ipse patet.

Vghellus in Italia Sacra loquens de Card. Cornelio Episc. Patauino To. V. col. 441; inter alia hæc profert: *Habuit suffraganeum in Ecclesia Patauina eximium virum nobilitate generis, & scientiarum omnium claritudine illustrem Paulum Zabarellam Episcopum Argolicensem, & Archiepiscopum Pariensem &c.* Ioannes Gualterus Belga in Bibl. Bibliothecarum libro de diebus emortualibus pag. 1275. *Paulus Zabarella Episcopus Argolicensis, in concionando inter omnes sui Ordinis, suæque ætatis eloquentissimus obijt 15. Iulij 1522.* Errat in assignando anno, & die mortis. Sepultus fuit in Ouetariorum Sacello nostri Templi hoc appositoEpithaphio à Francisco Sauonarola composito:

Doctus adit Cælum facundo carmine Flaccus,
Et Stella Euganei lumen vterque Soli.
Nomen ad Æthereum Pataui lux mittit Olimpum;
Romanæ Princeps Liuius historiæ.
Paulus in eloquio, Corneli, numine Cœlum
Possidet, Aonias hinc sacer transit aquas.
Quantum alijs igitur numeris, aut ore soluto
Antenor debet, tam Zabarella tibi.

Ope-

Opera ipsius sunt: *De reformatione Ecclesiæ ad Clementem VII; extat M.S.in Vaticana à Pamphilo lectum. Elegantes Orationes omnis generis. Enunciatio in septem Psalmos Pænitentiales, Aliaque.*

161. PEREGRINVS NASELLVS Patauinus S.T. Doctor insignis, qui in pluribus Academijs Ordinis humanas, & sacras scientias cum plausu, & discipulorum vtilitate docuit. Is,cùm viueret illis luctuosis temporibus, quibus hæresum hydra capita venenosa extollebat, plurima volumina, veluti tela acuminata vibrauit contra ipsa; vt ea obtruncaret. Opera exarata aspexit Pamphilus, vt ipse fatetur, sed vbinam essent asseruata, non expresit. Non decessit, vti putauit idem, [& Portenarius in Felicitate Patauina lib.9.cap.27.pag.455;videlicet 1556;quia ex Ordinis Regestis patet illum adhuc in terris deambulasse ann.1557. 20.Nouembris, & 1559.30.Augusti, vt exponit Herrera. Eum memorant cum laude, sed parum de ipso narrant, citati Scriptores, etiamque Gratianus in Anastasi pag.151; Elssius pag.558; Crusenius par.3. cap.3; ac Torellus in octauo To.sæculorum pag.415. Notatus Gratianus in ipsius laudem reponit hoc Disticon:

Iste licèt Pataui Peregrinus in Vrbe Nasellus,
Perfricuit nasum, Saxo Luthere, tuum.

Viginti sex Assertiones, & dubia quædam obscura explicuit, & respondit aduersùs 41. impios Articulos Lutheri.

De Operibus exterioribus octo conclusionibus quædam complexus est, in quibus hæreticorum nodos, apud eos obscuros, & insolubiles, soluit, & in lucem promit.

De fide implicita, & de informi, & formata, & de eius origine, causaque efficiente,& quomodò exaltet fideles, & reddat eos sapientes, & iuuet, & roboret.

De Legibus humanis, quantùm, & quomodò obligent lib.1.

De Potestate Summi Pontificis lib.2.

De Concilij comparatione ad inuicem &c.lib.1.

162. PETRVS AMELII de Brenaco Gallus, Monasterij Limosi Narbonensis Diœcesis filius, Religiosus eruditus, ac S.T.Doctor. Circa finem Vrbani V. Pontificatus, loco D. Fratris Raymundi de Acono defuncto successit in Sacristæ, Confessarij, & Pontificij Bibliothecarij muneribus. Deinde Episcopus Senogalliensis, ac Archiepiscopus primò Hydruntinus, & post annum ad Infulam Archiepiscopalem pariter Tarantinam,denique Patriarcha Gradensis, quo relicto. Pa-

triarcha Alexandrinus, & Administrator Ecclesiæ Aquensis in Vasconia institutus fuit. Obseruatione, & correctione, meo quidem iudicio, dignum est, quod scripsit Vghellus sua in Italia Sacra de nostro Petro Amelio. Primùm in 2. Tom.col; 966. conatur ostendere eum non fuisse Episcopum Senogalliensem; & tamen ipsemet Amelius se extitisse testatur, vt infra patebit. In To.9. col.191. pastea protulit: *Putarim fuisse illum Episcopum titularem Singulienſem in partibus, non Senogallienſem, deinde Archiepiscopum Hydruntinum, & Tarantinum. In monumentis Tarantinæ Ecclesiæ nulla mentio de Petro Amelio; fortassis numquam resedit &c.* Demum inter Patriarchas Gradenses To.5. nullam mentionem fecit nostri Petri. Quod de Archiepiscopatu Hydruntino asseruit, nihil contradico, sed de Episcopatu Senogalliense, & Patriarchatu Gradensi tam claré patet, vt mirum sit Vghellum in Regestis Vaticanis nihil inuenisse. Exponam illud, quod obseruarunt ex eius libro, cuius titulus *Ordo Romanus*, sapientissimi Abbas Mabillon, & Socius Germain in 2. To. Italici Itineris pag.443. impr. Parisijs apud Martin. 1689.4; vt veritas magis clarificetur: *Etsi in veteri codice, quem nobis pro sua beneuolentia concessit Eminentis. Cardinalis Casanata, nullum auctoris nomen sequenti libro sit præfixum, ex varijs tamen eiusdem libri locis constat eum esse Petrum Amelij Gallum Electensem, ex Eremita Augustiniano Vrbani V. Sacristam, dein Gregorij XI. Pænitentiarium, & Bibliothecarium, postea Senogalliensem Episcopum, Archiepiscopum Tarantinum, tum Patriarcham Gradensem, & Alexandrinum, atque Ecclesiæ Aquensis administratorem. Is nimirum se ipse prodit in lib.cap.79. Ita vidi ego Fr.* Petrus *Amelij Senogalliensis Episcopus obseruari. Item in cap.*141. *Augustinum patrem nostrum vocat. Idemque in cap.*90.*testatur se Sacristam, & Episcopum Senogalliensem agnos Dei (vt vocant) confecisse anno* 1378. *Ad hæc in capite* 158 *ait, se Gradensem Patriarcham vnà cum Patriarcha C.P. processus in criminosos Feria V. in Cœna Domini pronunciasse anno* 1393. *Denique in viuis erat ad annum* 1398. *instante obitu Bonifacij noni ex cap.* 165. *Falluntur itaque, qui eum anno* 1368. *obijsse ferunt, cùm post annos decem agnos Dei confecerit Sacrista, & Episcopus Senogalliensis. Sedit, vt Patriarcha, inter Cardinales Episcopos anno* 1391. *ex cap.*153. *Iter Gregorij XI. Auenione Romam versibus cecinit, cuius operis memoria in sequenti capite* 142. *Quære in itinerario meo de Domino Papa Gregorio* XI. *&c.* Est

igitur

igitur ex supradictis clarè ostensum, Petrum fuisse Episcopum Senogalliensem, & Gradensem Patriarcham. Immò de Patriarchatu Gradensi testantur etiam Ordinis Regesta ad annum 1389.16. Augusti, & 1392. 11. Ianuarij, quibus in locis Patriarcha Gradensis, & SS.D.N.Papæ Confessor appellatur. Hic noster Amelius fuit ille Episcopus Tarantinus, qui cum Vrbano VI; & alijs simul S. Petrum in aere aspexerunt anno 1387. Succesum enarrat Abraham Bzouius in Annalibus ad notatum annum n.1. pag. 130. *Roma ad dexteram relicta, Tibur ferebatur Vrbanus. Aliquis Eremita secundùm Visionem admonitus hortabatur Pontificem, vt Romam accederet. Qua exhortatione perculsus, cùm dubius expenderet, quid faceret, nondum satis ad profectionem animatus, vidit B. Petrum in sublimi ad eam partem, quæ Romam ducit. Nec ipse tantùm Vrbanus, sed cum eo videre plurimi. Sed ille imperauit, ne cuiquam visionem viuente se dicerent. Post eius obitum Episcopus Tarantinus, qui Vrbano à Confessionibus fuerat, pro concione publica palam dixit ad populum, se cum Pontifice, & multis alijs tum in ea effigie vidisse B. Petrum in sublimi, qua sculptus adstat ad porticum Basilicæ Vaticanæ* De hoc Petro Senogalliensi Episcopo putat noster Herrera intelligendum esse id, quod Bartholomæus Gauantus in Thesauro Sacrorum Rituum Romæ edito 1632. sect.7. cap.7. pag. 154; & meæ editionis Venetæ 1668. pag. 120. *Alij in Breuiario Veneto 1521. authorem faciunt Petrum Episcopum Singalensem approbante Gregorio XI*; videlicet ipsum fuisse auctorem Officij Inuentionis S.Crucis: Tempore enim dicti Gregorij floruit noster Petrus, facilè per errorem impressoris dictus Singalensis, loco Senogalliensis. Turpiter errauit noster Elssius, etenim quod Herrera protulit de Officio Inuentionis S.Crucis, ipse putauit auctorem fuisse totius Breuiarij Venetijs editi 1521. Denique noster Amelius postquàm per plures annos egregiè suum officium peregit, & quatuor Pontificibus accuratè inseruiuit, nempe Vrbano V; Gregorio XI; Vrbano VI; & Bonifacio IX; piè in Domino obdormiuit in principio anni 1404; quia die 19. Maij eiusdem 1404. Bonifacius Nonus duobus Commissarijs per Bullam institutis iniunxit, vt è Conuentu Limosi Bibliothecam, & ornamenta Fratris Petri de Brenaco Sacristæ Pontificij, tamquam ad Sedem Apostolicam pertinentia, exigerent. Hinc quoque aduertendum indico me nullum Scriptorem obseruasse, qui asserat nostrum Amelium

obijsse

obijsse 1368; vti scripserunt doctissimi citati Monachi, sed vel 1378; vel 1388. Sicuti quod protulerunt ex cap. 165. de instante obitu Bonifacij Noni 1398; intelligendum esse de aliquo periculo obitus existimo: Bonifacius enim obijt 1404. die 1. Octobris, non 1398. Opera à nostro Petro Amelio post se relicta, sunt duo sequentia, alia adhuc latent. De ipso loquuntur non solùm supracitati, & omnes nostri, sed etiam S. Antoninus par. 3. tit. 22. cap. 2; & 13; Theodoricus Lib. 1. cap. vltimo, Krant. lib. 10. Metropol. cap. 20; Claudius Robertus, & Sammarthani in Gallia Christiana, alijque.

Itinerarium Gregorij XI. ex Auenione ad Vrbem, atque ab Vrbe ad Anagniam, inceptum 1376. 13. Septembris; constat versiculis Latinis, qui quamuis nulla pedum, aut syllabarum mensura sint ordinati, tamen versiculorum vltimæ syllabæ sunt similiter cadentes, vti Rythmi vulgares &c. Edidit Papirius Massonus in vita dicti Gregorij, etiamque Ciacconius, & Bzouius in Annalibus in eadem vita, ac Franciscus Duchesne in 2. To. de Cardinalibus Gallis pag. 437; & seq; qui omnes commendant diligentiam nostri Petri in eodem Itinere describendo.

Ordo Romanus in Ordine XV; constat pag. 50. Incipit enim à pag. 443; & desinit in pag. 544. Operis citati præclariss. Abbatum Mabillon, & Germain, qui illum ediderunt.

163. PETRVS AVRELIVS SANVTVS, Patritius Venetus, Aloysij quondam Lunardi Senatoris grauissimi, Reipublicæ Consiliarij, & Lucretiæ Triuisanæ Filius, vir præstanti pollens ingenio, ac in Philosophicis, litterisque sacris perfectè versatus. Is, cùm audisset fructus vberes, quos in Imperijs Peruuij, Mexici, & Sinarum producere faciebant ex aridis primò arboribus Gentilibus illarum Regionum diligentes cultores Cænobitæ Augustiniani, Fidei zelo, & martyrij ardore incensus illuc transmeare concupiuit; sed cùm à Superioribus facultatem consuetam obtinere non potuisset, quia eius delicatam complexionem ad idmunus insufficientem prospiciebant; ideo ad Christi Domini Passionem contemplandam in Eremum Sanctissimi Crucifixi Pouesiæ paruæ Maris Insulæ se recepit, diuque in illa permansit. Denuo tamen superioribus præcipientibus ad Religioni inseruiendum reuersus est. Anno 1533; & ni fallor, etiam 1522. iam erat S. T. Doctor; atque 1542. suæ Marchiæ Taruisinæ Prouinciæ moderator; & 1550. S. Stephani Venetiarum Prior; quibus in gu-

bernijs

bernijs eluxerunt eius prudentia, æquitas, & vitæ sanctitas. Fundatè igitur Magister Archangelus Riccius Venetus ex meo Ordine in epistola dedicatoria Summæ Prædicantium Fr. Io: Bromiardi Dominicani, quam correxit, & impressioni tradidit, ad Mathæum Sanutum Patritium Venetum Episcopum Concordiensem hæc scripsit in encomium eiusdem Aurelij: *Nec silentio inuoluendum esse duco Petrum Aurelium Sanutum, verum profectò, ac vicinum spendidissimum tuæ familiæ florem, & mei Augustinensium Eremitarum Instituti ornamentum, & decus. Qui vir maximo, & altissimo ingenio, subtilissimus Dialecticus, admirabilis Philosophus; & Theologus incomparabilis, post innumeras in Aristotelis Philosophia lucubrationes, aduersus hæreses eruditum volumen emisit; & anno suæ ætatis 60. propter singularem morum, & doctrinæ præstantiam (nisi quanto citiùs à nobis mors infesta surripuisset) non solùm nostri Ordinis Magister Generalis electus, sed etiam in administrationem Ecclesiæ Patriarchalis Venetæ à Senatoribus meritò assumptus fuisset. Ad quod Patriarchatus onus communi omnium ore, & votis passim vocabatur.* Decessit Sanutus ann. 1553. ante 26. Augusti. *Fuit Philosophus, & Theologus doctissimus, moribus Angelicis, & sanctis ornatus, scripsit librum contra Lutheranos magnæ existimationis.* Comes Zabarella in Genealogia Serenissimæ Prosapiæ Sanutæ Venetæ, ostendens ex Tito Liuio historico famosissimo originem ducere. Opus impr. Patauij 1669. 4. pag. 67. Celebrarunt eundem, vltra Frisium memorantem in Gesneriana pag. 666; nostri Pamphilus pag. 117; Crusenius part. 3. cap. 37; & 38: Herrera Tom. 2. pag. 285; Elssius, Gratianus, & Torellus in 8. To; nec non Albericus in Scrip. Venetis pag. 73; Superbus Conuentualis pag. 15. par. 3; Florellus in Dictis, & Factis memorab. Venetis pag. 201; ac Zilius Maurocenus, & Seraphinus Schimberna in fine Compendij gloriæ S. Cinguli pag. 371. Prçter varia Manuscripta supranominata à Riccio, in lucem emisit.

Soli Deo honor, & gloria. Recens Lutheranorum oppugnatio per M. Petrum Aurelium Sanutum Venetum Augustinianum. Venetijs apud Aldi Filios 1543. 4. Parisiis excudebat Ioannes Gemet via ad Diuum Iacobum 1549. 8. Ibidem apud Ioannem Faucher 1550. 8.

Logicam clarissimi Doctoris Alberti de Saxonia dicauit 1518. M. Cypriano Morello Veneto Augustiniano, edidit que Venetiis 1522. Fol.

164. PETRVS BRVNIQVELLVS Gallus, quem Coriolanus Doctorem egregium, & Ven. Alphonsus ab Orosco sanctitate, & scientia clarum appellarunt. Hunc virum praeclarissimum omnes Scriptores (Herrera excepto, qui etiam de Sede Episcopali, quandonam obtenta, & quando decesserit assequi non valuit) malè agnouere. Fuit itaque S.T. Magister, in sacris Biblijs versatissimus, & vt apparet ex fine eius operis infra notandi, illius nomen erat Fr. Petrus de Rupemaura cognomento de Bruniquello. Ob egregias animi dotes à Clemente Quinto Episcopus Ciuitatis nouae in Istria 1311. institutus. Reuera ille fuit, qui, vt refert Lucas Castellini Dominicanus de Canonizatione Sanctorum in quodam diplomate Indulgentiarum, quod Auenione concesserunt plures Episcopi anno 1317; inter alios se subscripsit sic: *Petrus Ciuitatis-Nouae Episcopus*; nam durauit in Sede (in qua, vti suspicor, nunquam personaliter sedit, permanebat enim in Auenionensi Curia Pontificia) vsque ad annum 1328; eo enim tempore Vghellus To. V. col. 223. assignat Fridianum successorem: Cum laude meminerunt omnes nostri, etiamque Trithemius de Script. Eccl; Posseuinus in Appar. Tom. 2; Sixtus Senensis lib. 4. Bibl. sanctae pag. 295; Gesnerus in vniuersali pag. 550. vocans Librum super historijs Bibliae Opus insigne, Frisius in sua Bibl. pag. 668; & 674. diuidens Petrum Bruniquellum à Petro Ciuitatis-Nouae Episcopo, Andreas Victorellus apud Ciacconium in vita Ioannis XXII; alijque. En ipsius Opera.

Liber super historijs noui, & veteris Testamenti iuxta ordinem alphabeti ordinatus, in cuius fine haec verba conspiciuntur: Explicit Liber super historijs Bibliae secundùm ordinem &c. editum à Fr. Petro de Rupemaura aliàs cognomento de Bruniquello Ord. Erem. S. Aug. Dei & Apostolicae Sedis gratia Episcopo Ciuitatis-Nouae. Completus fuit iste Liber anno Domini 1319. die martis, post diem Dominicum Carnisprivij. Est in nostra Vintimilij M.S. in 4. constat pag. 530; etiamque Romae, & Cremonae pariter in nostris, & Viennae in Imperiali, alibique.

Commentaria in Mag. Sent. lib. 4.

Commentaria in Prouerbia lib. 1.

Commentaria in Ecclesiastem lib. 1.

Comment. egregia in Cantica Cantic. lib. 1.

Commentaria quoque illustria in vniuersa ferè Biblia, testantur Posseuinus, Draudius. in Bibliot. Classica, Fabianus Iustinianus, Sixtus Senensis, & meus Roccha.

165. PETRVS DONATVS de Aretio Etruſcus, S.T. Doctor excellens, Concionator celeberrimus, profunda doctrina, & feruida eloquentia decoratus. Pamphilus, & Cruſenius eum reponunt ſub anno 1355; Herrera verò ex Regeſtis, & ipſius ſequaces Torellus, & Elſſius floruiſſe narrant anno 1388; & 1389. Memorant igitur ſupradicti, etiamque Amici eruditi Oldoinus, & Torellus in Scriptoribus Etruriæ M. S. Scripſit noſter Donatus ſequentia.

Quadrageſimale, ſeu ſuper Euangelia Quadrageſimæ, Opus mirè eruditum vocatur à Pamphilo, quod in Angelica vidit.

Sermones Funebres, in quibus multa piè, doctèque de arte bene moriendi, & cæleſti vita pertractat. Ibidem M. S.

166. PETRVS HISPANVS ſeu meliùs Luſitanus, Vlyſſipponenſis. De hoc viro præclariſſimo ſcripſit meus Antonius à Purificatione Luſitanus ſequentia: *Ioannes Vigeſimus, ab alijs dictus Vigeſimuſprimus, antea Petrus Hiſpanus vocatus, natus eſt Lisbonæ in Parochia S. Iulianæ. Puer docilitate ingenij æquales longè ſuperans Aſtrologiæ, & Medicinæ Operam dedit, in quibus facultatibus ſe ſe per aliquot annos, non ſinè magna nominis comparatione, exercuit. Sed cùm cæpiſſet vanitatès ſæculi faſtidire, Religionem elegit Eremitarum S. Auguſtini, cui inter Donatos adſcribi voluit in Cęnobio Lisbonenſi, inde ad primatialem Sedem Bracharenſem eductus eſt. Quam cùm religioſiſſimè rexiſſet, ad Pōtificatum Romanum ſublimatus eſt anno Domini* 1276. *&c. Cùm ergo ſediſſet menſes octo, & dies tres, obijt Viterbij die* 20. *Maij, ſepultuſque eſt in Eccleſia Cathedrali &c. Auctor ſecundæ Partis Examinis Antiquitatum cap.* 23; *Ludouicus ab Angelis in Chron. S. Auguſtini M. S. par.* 2. *cap.* 17. *Ita Antonius à Purificatione de Viris illuſtribus antiquiſſimæ Prouinciæ Luſitaniæ lib.* 1. *cap.* 18. *Opus editum eſt Vlyſſipponæ ex Officina Dominici Lopez Roſa* 1641. 4. Si quis fortè ſuſpicaretur de veritate aſſertionis ſupranotatæ, nempe: An reverà Petrus Vlyſſipponenſis oblatus Auguſtinianus fuerit, quia apud Vitarum Pontificum Scriptores non ſpecificatur? Reſpondere poſſem ſuſpicionem non eſſe fundatam; nam dictos Scriptores plurima alia latuerunt magis neceſſaria, quàm citata notitia parui momenti. Secundò: Teſtes aſſerentes erant non ſolùm nationales, ſed & conciues, vnde aſſertum haurire potuerunt è Scripturis antiquis vel Monaſterij Gratiarum, vel Vlyſſipponenſis Ciuitatis. Vltimò obſeruo, quòd noſter Antonius à Purificatione, qui hoc

 in ſuo

in suo citato Opere inseruit, habuit eruditos Antagonistas; qui contra ipsum scripserunt, videlicet Antonium Iepes Benedictinum, & Nicolaum à S. Maria Canonicum Regularem Conimbricensem, & tamen aduersùs supradictum assertum nihil opposuere. Non incongruè igitur repono Petrum Hispanum inter Augustinianos Scriptores. Sciant prætereà Lectores, quòd etiamsi Lusitana Prouincia hanc radiantem Stellam non produxisset, quod dicendum non puto, nihilominùs semper fulgida eminuit. Duobus enim præsertim vltimis sæculis procreauit penè innumerabiles viros excellentissimos. Memorantur quidem ab anno 1422. vsque ad 1672. (Testatur Emmanuel Leal suo in Opere, cuius tituli: *Conflatorium purificatiuum ad defensam Chronici Antonij à Purificatione*, edito, vt iam notaui, Vlyssipponæ apud Antonium Rodriguez 1674. fol. pag. 140.) duodecim Apostolici Legati, & Missionarij Euangelici; Vicereges, Gubernatores, & Nuncij ad potentissimos Monarchas ferè viginti; Concionatores Regij, & Principum Regalis domus vltra vigintiquinque; Cappellani maiores, & Confessarij Regis Lusitaniæ, Principumque magistri 16; Præsidentes, Consiliarij, & Deputati S. Officij Tribunalis &c. etiam 16; Cathedratici publici 24. Scriptores eminentes tam Theologi, quàm Politici, Ascetici, Morales, Oeconomici &c. vltra centum; Episcopi, & Archiepiscopi plures quadraginta; Religiosi, qui decesserant cum notabili fama sanctitatis, vltra centumviginti; Martyres nobilissimi (non tamen adhuc ab Ecclesia declarati, licèt processus iam sint ab Ordinarijs confecti) qui innumerabiles Infideles ad verum Fidei lumen adduxere ferè sexaginta. Nostris etiam temporibus, vltra plurimos alios, viuunt (& vtinam ad multos annos) Illustrissimi Infulati, nobilissimique Theologi, & Concionatores, Domini Petrus, & Antonius de Foyos, Fratres Germani Excellentissimi D. Mendi de Foyos Regis Lusitaniæ Status à Secretis, quibus 1696. dicaui Opusculum de Cardinalibus Augustinianis. Ad Petrum verò reuertendo, seu meliùs ad summum Pontificem Ioannem XXI. dico, innumeros esse, qui eum celebrarunt, etiamque plures, qui eum incautè pupugerunt, vtpotè ad Pontificatus regimen insufficientem, quod tędiosum esset recensere, ideo prætermitto. Aliqui eum vocarunt Io. Petrum Iuliani. En ipsius Opera.

Summu-

Summulæ Logicales, seu parua Logica, cum interpretatione variarum &c. Lugduni typis Iaunot de Campis 1509. fol. Venetijs, alibique.

Tractatus sex Logici, cũ copulatis elucidatorijs &c. Coloniæ apud Ioannem Quentel 1503. 4.

Commentarij in Isaacum de Dietis Vniuersalibus, & particularibus, & eiusdem de Vrinis, simul cum operibus Isaaci. Lugduni apud Bartholom. Trot 1515. fol.

Thesaurus Pauperum, seu de medendis humani corporis morbis per experimenta, euporista, simplicia, & particularia; Liber empiricus ex omni genere auctorum, & experientia propria congestus. Lugduni apud Iacobum Myr 1525. Parisijs apud Iacobum Du Rys 1577. 16. cum Thesauro sanitatis Ioannis Liebaultij. Francofurti apud Egenolphum 1578. 8.

Dialectica eiusdem M.S. Patauij in Bibl. S. Ioannis in Viridario.

In Physiognomiam Aristotelis Commentaria Cantabrigiæ M. S. in Bibl. S. Petri.

In Hypocratem Glossas de natura Puerorum M.S. Patauij apud Lateranenses.

Epistolarum Volumen in Vaticana.

Sermones prædicabiles M.S. in nostra Augustiniana Cremonæ. Aliaque varia, quæ videri possũt apud Nicolaum Antonium in Bibliotheca Hispanica veteri, & apud Oldoinum in Athenæo Romano pag. 429.

167. Petrus de Rubeis, vel de Rossis Senensis, Philosophus acutus, ac Theologus magnus. Postquam Generalis Coriolanus virum perfectæ sanctitatis, & doctrinæ illustris proclamauit, subiunxit: *Gratis pro Deo libenter docebat, imò pauperibus Studentibus è suo subueniebat patrimonio. Diuinis operibus semper intentus, plenus dierum, & sanctarum actionum migrauit ad Dominum*. Illum vixisse 1471. asserit Bergomas, & Pamphilus 1477. Hac occasione prçterire nolo, nullum ex nostris Scriptoribus meminisse clarissimi S. T. Magistri Leonardi Senensis Augustiniani, Episcopi Nicopolensis, qui anno 1376. ordinauit, de licentia Diæcesani Senarum, in Subdiaconum Fratrem Ludouicum Petri Senensem, vt ex M. S. D. Sestegiani n. 100. Huius nostri Rubei meminit etiam Frisius pag. 683. Scripsit itaque.

Commentaria in Libros Posteriorum M. S. in Bibl. S. Mariæ de Populo.

Commentaria in S. P. Augustini Opus de Ciuitate Dei. In aliqua Ord. Bibl; vt asserunt nostri.

Commentaria in Sac. Scripturam.

Commentaria in Magistrum Sententiarum.

Annotationes multas super Libros Logicales, & Philosophicos Aristotelis. 168. PE-

168. PETRVS DE SPIRA Theutonicus S. T. Doctor, in diuinis Scripturis studiosus, & eruditus, in Philosophia sæculari magnificè doctus, ingenio præstans, & clarus eloquio, in tractandis ad populum Sermonibus celeberrimæ famæ. Anno 1386. Rheni, & Sueuiæ Prouinciæ Rector. Ad posteros nomen suum transmisit quibusdam editis operibus. Eum memorant omnes nostri encomiasticè; ac etiam Trithemius de Scrip. Eccl; Posseuinus in 2. To. Appar; Gesnerus in Bibl. pag. 553; Frisius in eadem pag. 683; meus Milensius in Alphabeto Germanico pag. 226; Marraccius in 2. To. Marianæ pag. 276; ac Iacobus Gaddus de Scriptor. non Ecclesiast. To. 1. pag. 49. Scripsit.

Sermones de Tempore lib. 1.
Sermones de Sanctis lib. 1.
Super Libros Ethicorum lib. 10.
Aliaque varia.

169. PETRVS DE VENA Gallus, Tolosæ Vrbis celeberrimæ natus, S. T. Doctor clarissimus, Canonista, Philosophus, & Historicus accuratus. Is tempore schismatis, cùm iam fuisset suæ Aquitanæ Prouinciæ moderator, Ordinem vltra montes vti Generalis rexit: In serie enim Concilij Pisani, in quo Alexander V. ad Summum Pontificatum eleuatus fuit anno 1409; subsignatus inuenitur hoc modo: *R. P. Sacræ Theologiæ Magister Petrus de Vena Generalis Fratrum Eremitarum S. Augustini*. Licèt postea ipsius acta ante adeptũ totius Ordinis consensu Generalatum, in Capitulo Astensi anno 1419. post eiusdem obitus rescissa fuerint. Itaque anno 1412. 22. Maij vniuersis acclamantibus, ac iam Nicolao Saraceno à Cassia Generali absoluto ad Infulam Recinetensem destinato, legitimo Religionis gubernio noster Petrus præficitur. Concilio Constantiensi vnà cum quinque Episcopis, plurimisque Theologis ex nostro Ordine 1414. interfuit, in eoque doctrinæ, pietatis, maximique ingenij vestigia reliquit. In Capitulo Auenionensi 1415; quamquam à Concilio discedere non potuisset, quia eius præsentia valde vtilis erat, nihilominùs in officio fuit confirmatus. Denique postquam pluribus annis egregiè Ordinem rexisset, piè decessit 1419. Celebratur ab omnibus nostris Scriptoribus, etiamque à Nicolao Beltrando de Gestis Tolosanorum, Posseuino To. 2. Appar; & Frisio pag. 685; qui non bene refert illum claruisse 1370. Quod supranotaui de Pisano Concilio, cernitur in Vghello To. 3. Italiæ Sacræ col. 556. Scripsit:

De

De origine Ordinis nostri. Opus editum est (vti testatur Emmanuel Leal Lusitanus Libro in Petro Hispano iam citato pag. 368.) Parisijs 1515.
Super Ethicam Aristotelis l. 10.
Quodlibeta Tolosana lib. 1.
Expositionem Decretalium lib. 1.
De perfectione hominis lib. 1.
De quadruplici instinctu lib. 1.
Aliaque varia.

170. PHILIBERTVS HARESCHE Gallus, Parisiensis Vrbis, & magni Cœnobij nobile germen, S. T. Doctor excellens. Anno 1526. Gabriel Venetus Generalis die 20. Augusti Priorem sui Parisiensis Monasterij iam electum confirmauit. Cum Magistro Claudio Viueneti Regij Principis Confessario, Inquisitor, & Iudex hæreticæ prauitatis in toto Galliarum Regno constitutus fuit. Tam fulgidæ exciterunt morales virtutes, & sapientia nostri Philiberti, vt anno 1537. 5. Octobris ad eum scribens Generalis Ordinis Ioannes Antonius Aprutinus vocauerit virum maximæ doctrinæ, & grauitatis; ac famosissimus Seripandus 20. Iunij 1543. sic ad eundem expresserit: *Cùm ætas tua, & sancti labores, in quibus consenuisti, à nobis omnia suo iure postulare videantur, nisi ingrati, & immemores tuæ probitatis videri velimus, negare tibi non poterimus, quod humiliter postulasti &c. Nobis enim tuis meritis, virtutibus, studijs hæc parva videntur, qui tuo exemplo adolescentes omnes ad virtutum præmia excitare magno cum Reipublicæ nostræ vtilitate impensè cupimus.* Decessit anno 1545. 21. Augusti, vti Pamphilus asseruit, Prior tamen Parisiensis tunc non erat, quod bene aduertit Herrera. Condignis encomijs eum cohonestarunt Scriptores Ordinis, etiamque Sixtus Senensis lib. 4. Bibl. sanctæ pag. 293; Petrus de Alua in Bibl. Concep. col. 1202; Frisius pag. 688; alijque. Edidit *Commentarios breues, ac dilucidos in Epistolam D. Pauli ad Romanos, in quibus post exactam expositionem Apostolicæ mentis definitiones quoque vocum difficiliorum, & diuersarum significationum acceptiones, auctoritates item veteris testamenti, siue 70. Interpretum, siue Hebraicæ veritatis, quas interdum sequitur Apostolus, lucidissimis annotationibus explicauit. Parisijs apud Ioannem paruum* 1536. 8.

171. PHILIPPVS GROPPANTES Florentinus, Theologus insignis, ac Concionator magni nominis. Die 6. Iulij 1458. Regens sui Patrij Cænobij institutus; ac anno 1460. tertio loco Præses suæ Prouinciæ destinatus fuit. Miratur Her-

rera

rera, quòd superuixerit vsque ad annum 1495; & tamen in Regestis Ordinis nulla de eo mentio habeatur, præcipuè cùm fuerit Generalis Ordinis Magister Guillelmus Becchius Florentinus ab anno 1460. vsque ad annum 1470. Sed si vidisset sequens M. S. Opus, quod in nostra Cortonensi Bibliotheca asseruatur, profectò aliter expressisset. *Thomæ de Argentina super quatuor sententiarum Opus scriptum per Magistrum Philippum Groppantes de Florentia Neapoli in Conuentu S. Ioannis de Carboneto 1467. 11. Iunij fol.* Ex hoc igitur M. S. viso suspicor M. Philippum Groppantes cum Reuerendissimo Becchio (tametsi compatriotæ essent, quod causa amoris esse debuerat) non bene fortè conuenisse, ideoque in Congregationem Carbonariæ se recepisse, quamobrem in Regestis Ordinis ab anno 1460. ampliùs non memoratur. Demum transacto Generalatu Becchij, in Patriam reuersus, seniòque confectus 1495. ad aliam vitam migrauit die 20. Nouembris, ac sepultus in Capitulo Cœnobij Florentini inter alios viros illustres, marmoreo Tumulo decoratus. Celebrarunt omnes Ordinis Scriptores, nihil verò Pocciantius in Florentinis, quod immeritò factum iudico, cùm Pocciantius viderit nostrum Pamphilum illum inter viros Ordinis celebres collocantem. Defectum supplebit Amicus Cinellus in suis Scriptoribus Etruscis edendis. Opus ipsius vidi in Bibliotheca Monasterij S. Oliuæ de Core in Latio Ordinis nostri M. S. memb. fol; cuius titulus: *Incipiunt Sermones prædicabiles ex Flosculis diuersorum Doctorum ordinati per Magistrum Philippum Groppantes de Florentia Ord. Fratrum Erem. S. Augustini*. Deficit verò finis Libri, nempe Sermo vltimus in 3. die Paschatis, & in festo S. Cæciliæ, vt innuit ipse in fine dedicatoriæ. Primus Sermo est in Festo S. Philippi eius aduocati, posteà sequuntur Aduentus, & Quadragesimale, vnà cum Concionibus per totam Hebdomadam Sanctam, ac in Sabbatis, etiamque Festorum à die Circumcisionis vsque ad quinquagesimam inclusiuè, ordine sicut inferiùs reponam. Dedicatoria sic incipit: *Spectabili, ac ingenioso Viro Ioanni Brunecto Brunecti Filio ex nobili Florentinorum progenie, necnon circa lectionem verbi Dei feruentissimo auditori Fr. Philippus Groppantes de Florentia Ord. Fratrum Erem. S. Augustini in Domino salutem dicit*. Post exordium S. Philippi cernuntur hæc verba: *Hunc ordinem sermocinandi secundùm numerum ternarium in omnibus Sermonibus meis tenere intendo, tum propter capacitatem legentium*

gentium, tum & audientium, vt fructum aliquem habere possint: Quoniam iudicani in multis diuisionibus potiùs mentis confusionem, quàm profectum esse, nec omnia, quæ tangi possunt, super vnam differentiam occurrentem dicenda sunt eò, quòd Sermo prædicabilis debet vna hora finita terminari, ne populus tędio afficiatur. Ex his patet, quòd modus nũc vsitatus concionandi è Gallia in Italiã introductus est ferè idem, ac antiquus; nam auctor iste multis efficacibus argumentis ex veteribus Theologis, & sanctis Patribus excerptis probat suum assumptum, & pene semper concludit cum D. P. Augustini auctoritatibus desumptis ex epistolis eiusdem. Hic antiquus Scriptor fuit in fauorem Conceptionis immaculatæ Beatissimæ Virginis; scripsit enim in Sermone 2. de Annunciatione pag. 125. à tergo ex Isaia: *Implebo splendoribus animam tuam in Conceptione, & eris quasi hortus irriguus*: Et infra: *Fuit in ea gratia benedictionis, quia inter omnes mulieres fuit benedicta, fuit enim ipsa à maledictionibus præseruata, quoniam propter peccata primorum parentum generaliter homines, & mulieres fuerunt maledictionibus suppositi.* Hæc inserere volui, vt eruditissimo genio Illustrissimi, & amantissimi D. Antonij Magliabechj occurrerem, ipse enim assiduè propriæ patriæ gloriam quærit, & præcisè curat, vt Opera præclarissimorum Virorum, quos semper Florentia aluit, è tenebris eruantur.

172. PHILIPPVS de Mantua cognomento Longobardus S.T.Doctor insignis, quem Pamphilus floruisse narrat 1511. Hunc noster Herrera asserit eundem esse, ac illum, de quo loquitur Sabellicus Ænneade 10. lib. 8. pag. mihi 329. editionis Ascentianæ 1528.fol. At Labbeus in 1.To. de Scriptoribus Ecclesiasticis pag.492. vult Sabellicum inibi memorare Iacobum Philippum Bergomensem. Ego potiùs assentiendum puto nostro Herreræ; difficile enim est creditu Sabellicum qui viderat Opus impressum nostri Bergomensis, vbi Iacobus Philippus vocatur, nomen dimidiare voluisse, & solùm Philippum appellare. Vlteriùs obseruo, quòd ex vita Iacobi Philippi non constat ipsum Mediolani de Familia degisse. Proferam verba Sabellici, vt eruditus lector meliùs iudicet: *Philippus Eremitanus per idem tempus Mediolani clarum nomen adeptus ob ea, quæ scripsit, in qua eloquentiæ defectum industria compensamus. Et hi quidem* (nam inibi de alijs viris præclaris loquitur) *Sixto*

Pontifice aut clarum erant nomen adepti, aut clarescere cæperunt: Siluester Meucius de Castilione Aretino, qui edidit ipsius Opus super Apocalypsim, in epistola præliminari ad Cardinalem Ægidium Viterbiensem hæc inter alia reposuit: *Magister Philippus de Mantua ita clarè, doctèque dixit, vt ei parem viderim neminem*. Eius meminerunt cum laude mei Pamphilus, Crusenius, Gratianus, Elssius, & Torellus, ac Frisius in Gesneriana pag. 691. Opus ipsius est: *Lectura perlucida in Apocalypsim R. Magistri Philippi de Mãtua Augustinianæ, Eremiticaque Familiæ Doctoris clarissimi. Paduæ* 1516.4. *Venetijs in Calcographia Francisci Bindoni, & Maphai Patiyni* 1527. 4. Aliaque scripsisse puto, sed non edita.

173. PROSPER de Regio, Prouinciæ Romandiolæ excellens alumnus, S.T. Doctor Parisiensis, sanctitate, & meritis clarus, & B. Iordani de Saxonia Magister. Hic vir insignis floruit anno 1318; eo enim tempore Studentium Italiæ examinator constitutus fuit in Congressu Generali Ariminensi. Ipsius notabilem humilitatem B. Iordanus commendauit his verbis: *Item exemplum experimentaliter cognoui de Venerabili viro in Ordine, scilicet M. Prospero de Regio, Sacræ Theologiæ professore, cuius studens fui olim Bononiæ. Ipse enim hanc virtutem habuit, quòd si aliquando verbum durum dixisset alicui fratri, quantumcumque paruum, ipse semper antequam dormiret, mittebat pro fratre illo, & sibi humiliter petebat indulgeri. Quam etiam humilitatem mihi indigno sæpe exhibuit*. Habebat certè vir pius inscultum cordi Paulinum præceptum ad Ephes. 4. *Sol non occidat super iracundiam vestram*. Ideo quamquam in eminenti Cathedra Regentis Studiorum sederet, animum verè religiosum, nempe submissum gerebat. Quia in Opusculo infranotando edito, & forsan etiam in M.S. sententiarum ipsius, à quo desumptum fuit, vocatur Ordinis Generalis, & tamen in serie Generalium Religionis non inuenitur, suspicatur noster Herrera, Prosperum in aliquo interregno tanquam Vicarium Generalem Ordinem gubernasse. Quidquid verò sit, laudatur vti vir egregius à citato B. Iordano in Vitis Fratrum lib. 2. cap. 6. pag. 78; ac ab alijs nostris Scriptoribus subsequentibus. *In quatuor sententiarum Commentaria scripsisse*, testatur Angelus in Bibliot. Scholastica, & non obscurè colligitur ex Opusculo sequenti.

Quæstio dignissima, & vtilissima de Sensibus interioribus *Reue-*

Reuerendissimi & eximij Doctoris M. Prosperi de Regio Ordinis Fratrum Eremit. S. Augustini, eiusdemque Ordinis Generalis meritissimi, sumpta ex quaestionibus ab eo Parisijs disputatis supra Prologum Libri Magistri Senten. Bononiae ex Officina Iacobi de Benedictis 1503. 4. Caesennae 1626. promouente Magistro Angelo Vantio &c.

174. RAYMVNDVS PERAVLDVS Gallus, Surgerijs in Xantonibus natus. Meam Augustinianam Religionem in minoribus professus est, vt clarè ostendunt Torellus, Hieronymus Roman, & Herrera; sed antequam Nuncius in Germaniam mitteretur, vel Pontifice dispensante, vt supradicti putant, vel alia de forma, ab Ordine egressus est. Quòd ipse reuerà aliquando Religiosus noster extiterit, patet expressè ex quodam textu Regestorum Ordinis, in quo Generalis Gratianus Fulginatensis die 25. Nouembris 1499. sic exprimit: *Dedimus litteras commissionis exigendarum collectarum à Prouincia Narbonensi Magistro Gerardo de Cussat Capellano Cardinalis Gurgensis, qui fuit olim de Ordine nostro.* Hoc assertum intelligi debere de Cardinali Raymundo, non de Magistro Gerardo, clarè detegitur; tunc enim Magister Gerardus adhuc in Ordine perseuerabat. Nuncius Apostolicus apud Maximilianum Caesarem, & per totam Germaniam Pauli II; Sixti IV; ac Innocentij VIII. Pontificum euasit. Ab Alexandro VI. Borgia, eodem Caesare Maximiliano instante, Purpura decoratus fuit 20. Septembris 1493. creatione duodecim Cardinalium, tituloque S. Vitalis, postea SS. Ioannis, & Pauli, deinque Panmachij assignato. Iulius II. Legatione Ciuitatis Viterbij, Patrimonij Sedis, eum cohonestauit. Inibi suauitate morum, dulcedine verborum, ac splendida liberalitate corda omnium ad se ipsum summè venerandum attraxit. Demum 1505. mense Septembris in eadem Vrbe naturae debitum soluit; sepultusque fuit in nostra Sanctissimae Trinitatis Ecclesia in D. Virginis Mariae Liberatricis Capella, cum Epithaphio infra apposito. Cùm Pontifex, & Curia tunc Viterbij degerent, in exequijs eiusdem sacrum solemniter celebrauit P. Magister Nicolaus Foresius Aquapendentanus, & Archiepiscopus Dirrachyensis, quamquam adhuc consecratus non extitisset. Odoricus Raynaldus in Annalibus Ecclesiasticis, loquens de nostro Card. Gurgensi, affert, quod expressit Auctor Chronicae Span-

heimensis: *Vir moribus, & vita sanctissimus, & omni integritate conspicuus: Magnus Trithemij Abbatis nostri Amicus, & bonorum simul, ac diuitiarum Mundi contemptor omnium constantissimus, cui similem non habebat ætas nostra*; Ornauit Infulas Gurgensem, & Xantonensem. Eius meminerunt non sine laude plerique nostri, etiamque Panuinius, ac Ciacconius in Vitis Pontificum, Sammarthani in Gallia Christiana, Frisius in Gesneriana pag. 718; Ludouicus Donius de Attichij in Floribus Hist. S.R.E. Cardinalium To. 2. pag. 420; Oldoinus in Atheneo Romano, alijque. In Vita B. Columbæ Reatinæ cap. 20. memoratur cum encomio; tunc enim erat Perusiæ Legatus de latere, vt in Actis Sanctorum apud Bol. To. quinto Maij pag. 379. En inscriptio Sepulcralis: *Raymundus Perauldi Patria sua Xantonensis Episcopus, ac S. R. E. Card. Gurgensis, proque ea Legatus, adeò opulentiæ contemptor, vt elargiendo nihil sibi relinqueret. Ab Iulio tamen II. P. Max. ditatus, dum Patrimonij Legatione fungeretur, Viterbij obijt Anno sal. MDV. Non. Septembris; vtique à Iulio tradita solùm retinere occeperat, sic monumentum hoc haud quæsitum, reuerentia sua approbare credendum est. Vixit An. LXX.* Opera, quæ in sui memoriam reliquit, sunt:

De dignitate Sacerdotali super omnes Reges terræ, Opus excussum in Germania absque Libri titulo, & Typographi nomine; Testatur Frisius vbi supra.

De Actis suis Lubici in Dacia Libelli varij, etiam in Germania excussi.

Bulla de Confraternitate Rosarij Beatæ Mariæ Virginis à se euulgata. Ibidem.

Epistolæ plures ad Germanos proceres, & Heluetios, vt illos ad Bellum contra Turcas excitaret. Vna ex Epistolis ipsius impressa est in principio Operis nostri P. M. Paltz, scilicet suppl. Celifodinæ, est enim in laudem ipsius P. Magistri.

175. REINHARDVS de Laudemburgh Germanus S. T. Doctor, Religiosus pius, ac Concionator celebris, & deuotus, claruit 1500. Memoratur à Pamphilo, Gratiano, & Elssio nostris, etiamque à Frisio in Gesneriana pag. 720; sed nil singulariter proferunt, nisi ipsum edidisse,

Sermones de Passione Domini accõmodatos ad formam Quadragesimalis. Nurimbergæ 1501. 4.

176. S. RI-

176. S. RICHARDVS ROLLVS Hampolitanus. *A nonnullis Pampolitanus malè appellatus, vero cognomine Rollus, gente Anglus, Patria Eboracensis, Theologiæ Doctor, Ordinis Sancti Augustini Eremita, propè Cœnobium Sanctimonialium Hampolense, quatuor miliaribus à Duncastro in agro Eboracensi dissitum vitam egit eremiticam. Claruit anno 1340. Obijt anno 1349. in Festo S. Michaelis, in Monasterio Hampolensi sepultus. Sancti titulum apud populares suos post obitum sortitus videtur. Habetur enim M.S. in Bibliotheca Cottoniana sub effigie Tiberij A. 25. Officium S. Richardi Hampolæ Eremitæ, in quo de vita, & miraculis eius agitur.* Hucusque eruditus Henricus Vvarthon in Appendice ad Guillelmi Caue Opus de Scrip. pag. mihi 24. Quia Balæus pag. 431; & Ioannes Pitsæus pag. 465. in Catalogo Scriptorum Angliæ, licèt S. Richardum Eremitam dixerint, tamen non addiderunt Ordinis S. Augustini, ideo noster Herrera hæsitauit de ipsius professione, hac de causa verba integra Henrici Vvarthon inserere volui: Cùm enim viderit Officium dicti Sancti in Bibl. Cottoniana, super eiusdem auctoritatem iudico assertum fundasse, eapropter similis hæsitatio modò cessare debet. Scripsit multa egregia Opera, solidam doctrinam pietatem, & christianam professionem redolentia, quæ & eruditionem sapiunt, & spiritus miram dulcedinem spirant. Vltra omnes Scriptores Ordinis post Pamphilum, laudarunt eum iure merito supradicti, alijque Historici Angli, etiamque Posseuinus in 2. To. Apparatus, Marraccius To. 2. Marianæ pag. 327; Frisius pag. 724; Verderius in supplemento pag. 47; alijque. Scripsit igitur.

In Psalterium Dauidicum enarrationes. In Psalmum 20. Tractatum peculiarem. In aliquot sanctorum veteris Testamenti pia Cantica Exegesen. In aliquot capita Iob. Threnos Ieremiæ, Orationem Dominicam, Symbolũ Athanasij enarrationes. De incendio amoris opusculum. De amore summo, eodemque singulari Opusculum aliud. De emendatione peccatoris aliud. Omnia hæc simul Coloniæ à Melchiore Nouesiano 1536. fol. Plura etiã ex dictis in Bibl. veterum Patrum To. 26. pag. 609; ac de emendatione Peccatoris, & de regula bene viuendi Parisijs 4. 1510; ex Bodleiana etiam Londini 1510.

Annotationes in Apocalypsim, & Tractatus de vita actiua, & contemplatiua M. S. in Bibl. Cottoniana.

Stimulus conscientiæ opus versu Anglico concinnatum, & in VIII. partes distributum M.S. in Bibl. Lambetana Angliæ.

De pænitentia. Incipit. *Pænitemini, vt deleantur &c.*

Melodi-

Melodiam Amoris. *Admirabat ampliùs, quàm enarrare.*

De excellentia contemplationis lib. I. *O dulce lumen, Deus, illumina.*

Meditationem sui ex scripturis lib. I. *Memento, miser homo.*

De Arte moriendi lib. I. *Quia mortis præsagium.*

In Lectiones, quæ ad suffragia mortuorum leguntur x. *Parce mihi.*

Super Salue Regina lib. I. *Ad salutandam Virginem gloriosam.*

Meditationes ex S. P. Augustino lib. I. *Augustinus sanctus Doctor.*

Eulogium, seu de veneratione nominis Iesu lib. I. *Oleum effusum nomen tuum, Domine.*

Officium nominis Iesu lib. I. *Salutem mentis, & corporis.*

Regula bene viuendi lib. I. *Initio, & fine bonorum operum.*

Horologium sapientiæ lib. I. *Quoniam ita res habet, quod mors.*

De bello spirituali lib. I. *Frater, qui desideras.*

De non iudicando proximo lib. I. *Iudica me Deus, & discerne.*

De virtutibus reuelatis lib. I. *Da pauperibus meis vnum.*

Contra amatores mundi lib. I. *Quoniam mundanorum insania.*

Commendationem vitæ Eremiticæ lib. I. *Extiterunt antiqui, & adhuc fortè.*

Super Mulierem fortem lib. I. *Nemo ambigit humanæ, diuinæque.*

Sermones Quadragesimales li. I. *Puluis es, & in puluerem reuerteris.*

De stimulo conscientiæ Latinè lib. I. *Ab æterno, & ante tempora fuit.*

De Spiritualibus Ascensionibus lib. I. *Beatus vir.*

De Glorificatione Sanctorum lib. I.

Super quatuor Libros Sentent. lib. 4.

Meditationes diuini Amoris lib. I.

De reparatione Lapsi lib. I.

De timore Dei, & contemptu mundi lib. I.

De Mysterijs rerum, quæ sunt in Ecclesia lib. I.

Formulam componendi Sermones lib. I.

Scalam mundi lib. I.

Vehiculum Vitæ lib. I.

Aliaque varia.

177. ROBERTVS VALDEBIVS Anglus, vir ingeniosus, doctus, & eloquens, ac pietate, eruditioneque conspicuus. Cum Eduardo Nigello Principe fortunatissimo ex Anglia in partes transmarinas nauigauit. Tolosæ in Vrbe clarissima Narbonensis Prouinciæ sacris litteris operam dedit, in eaque Vniuersitate Theologiæ Doctor, & Professor publicus creatus breui linguarum peritia, & eloquentia ita insignis emicuit, vt Litteratorum primas, & Concionatorum princeps ab omnibus haberetur. Hæ virtutes egregiæ nostri Roberti primò illum extulerunt ad Cathedram Episcopalem Adurensem in Vasconia, deinde ad Archiepiscopalem Dublinensem in Hibernia 1390.

1390; vt ex Annalibus Hiberniæ, & ex Vaticano Regesto euidenter, contra opinionem Varæi, & Balæi, qui eius electionem assignant anno 1387; vel 1388; ostendit meus Herrera. Anno 1392. à Richardo II. Angliæ Rege totius Hiberniæ Regni Cancellarius constitutus fuit; ac anno 1395. ad insignem Infulam Cicestriensem in Anglia translatus; demum anno 1396. ad Archiepiscopalem Eboracensem eleuatus. In ea tamen nobili Metropolitana parum sedit Robertus, nam, vti Varæus ex Francisco Goduvino scripsit, anno sequenti, scilicet 1397. die 29. Maij, vel 29. Decembris, vt asseruit Pitsæus, decessit, sepultusque fuit in medio Capellæ S. Edmundi Vvest Monasterij, marmoreo conditus tumulo, cum hoc Epithaphio rudi:

Præsul Adurensis, post hac Archos Dublinensis;
Hinc Cicestriensis, tandem Primas Eboracensis.
Hic fuit expertus quonis in iure Robertus,
De Vvalbi dictus, nunc est sub marmore strictus;
Sacræ Scripturæ Doctor fuit, & genituræ
Ingenuus Medicus, & plebis.

Memorant cum encomio omnes Scriptores nostri, necnō Thomas Colbius, Thomas Vvalsinghamus, Nicolaus Harpsfeldius in Annalibus, & Hist. Angliæ, Balæus, & Pitsæus in Catalogo Scriptorum eiusdem, primus pag. 499; & secundus pag. 567; Claudius Robertus in Gallia Christiana, Posseuinus in 2. To. Appar; Frisius pag. 731; alijque. Opera ipsius, partim Anglico, & partim Latino Sermone exarata, sunt.

Expositiones morales in Symbolum Apostolorum lib. 1. *Cùm in hoc loco sacro.*

Homiliæ quinque super quinque verba salutationis Angelicæ lib. 1. *Vas electionis Paulus Doctor gentium.*

In Orationem Dominicam lib. 1. *Septies in die laudem dixi tibi.*

Sermones duodecim lib. 1. *Credo Domine, adiuua &c.*

De Sacramento Eucharistiæ lib. 1. *Ratione solemnitatis iam inst.*

Lecturæ sacrarum Scripturarū lib. 1.

Contra septem peccata mortalia lib. 1.

Super Magistrum sent. lib. 4.

Lecturæ Theologicæ lib. 1.

Sermones ad Clerum lib. 1.

Sermones ad Populum lib. 1.

Quæstiones ordinariæ lib. 1.

Itinerarium salutis lib. 1.

Placita Theologica lib. 1.

Determinationes Oxonienses lib. 1.

Quodlibeta varia lib. 1.

Contra Vviclephitas lib. 1.

178. RO-

178. ROBERTVS WERSOP Anglus natus in comitatu Eboracẽsi, Religiosus Augustinianus effectus in Ticulliẽsis pagi Cœnobio non longè ad Oppido Duncastri. Hic tam sacris, quàm profanis litteris egregiè instructus, ad Lauream Doctoralem euectus, tandem in Episcopali dignitate constitutus fuit, quam non benè Pamphilus Eboracensem fuisse assignat. Cùm rectè munus suum obijsset, & Verbum Dei populis sibi creditis disseminasset, postmodum in suum Monasterium se recipiens obijt, inibique sepultus fuit anno 1350. Celebrarunt eum Ioannes Lelandus, Pitsæus, & Balæus, etiamque Frisius pag. 731; ac nostri omnes Pamphilum sequentes. Scripsit. *Introitum Sententiarum lib.* 1. *Scholasticas Quæstiones lib.* 1. *Sermones populares lib.* 1.

179. RODERICVS de S. Cruce Lusitanus, Conuentus S. Mariæ Gratiarum Vlysipponensis illustris proles. Vir fuit in omni doctrinarum genere eruditus, summaque religione præditus; quem Emmanuel Lusitaniæ Rex plurimùm venerabatur, ideoque à Consilijs sibi statuit, ac publicum professorem Philosophiæ primùm, deinde Theologiæ in Vniuersitate eiusdem Vrbis Vlysipponensis instituit. De eo Dominicus Gravina in voce Turturis Lib. 2. cap. 12. pag. 319. scripsit. *Fulsit in Lusitaniæ Regno Fr. Rodericus de S. Cruce Vlyssipponensis, vir grandis pænitentiæ, & humilitatis ergò plurimi, & in veneratione habitus à Regibus Ioanne II; & Emmanuele.* Eius meminerunt, vltra Scriptores Ordinis, etiam Valerius Andreas Taxander in Catalogo clarorum Hisp. pag. 101; ac Nicolaus Antonius in 2. To. Bibl. Hispanicæ pag. 218. Hi asserunt scripsisse *Lectiones in Aristotelem, & Magistrum Sententiarum*; quæ asseruantur in nostra Vlysipponensi. Antonius verò à Purificatione testatur, edidisse duo Opera, sed quæ fuerint, non exprimit. Decessit anno 1509.

180. ROGERVS GLACTONVS Anglus in Hutingtonensi Comitatu ortus; iam ætate maturus Augustinense institutum amplexus est. Hic sanctimonia, & doctrina clarus, eloquens Concionator, & ad persuadendum efficax, nec non in cultioribus disciplinis egregiè versatus effulsit. In Cantabrigiensi Academia Theologiæ Doctor primò creatus, deinde totius Angliæ Prouincialis constitutus. Roberto Salisburiensi Episcopo,

copo, & S. R. E. Cardinali fuit arctissima familiaritate coniunctus, quare Pitsæus ætate 14. de eo scribens reposuit: *Argumenta eruditionis huius Roberti hæc habeo, quòd Rogerum Glastonum Ord. Erem. S. Augustini in Anglia Prouincialem, pium & eruditum virum impensè amauerit, & frequenter in elegantibus epistolis suis eum à doctrina plurimùm laudauerit, & quòd vicissim Rogerus illi pluraque sua scripta nuncupauerit, denique quòd præter mutuas ad se inuicem salutationis causa familiares epistolas Robertus ad eum scripserit super grauissimis Ecclesiæ negotijs.* Obijt tandem Rogerus valde senex Hutingtoniæ 1340. Celebrarunt nostri, ac etiam Balæus, & Frisius pag. 736. Scripsit.

Epistolarum Sacrarum lib. 1.
Sermonum per annum lib. 1.
Lecturarum lib. 1.
Quæstionum lib. 1.

181. SILVESTER de BALNEOREGIO Etruscus, litteris, doctrina, & vitæ probitate celebris. Degebat anno 1459. in studio Senensi, & 1466. Perusiæ iam erat S. T. Baccalaureus. Deinde 1469. Regens Collegij S. Augustini Senarum; ac anno 1472. Regens Romanus, etiamque 1477. suæ Romanæ Prouinciæ Rector; postea 1483. Ordinis Procurator generalis institutus. Eo tempore 24. Ianuarij in exequijs Cardinalis Rothomagensis Guillelmi de Estoutvilla viri præclarissimi, & Religionis nostræ Protectoris munificentissimi Sermonem habuit luculentum. Demum 1485. defuncto Ambrosio Corano, ab Innocentio VIII. die 17. Maij Vicarius Gen. Ord. declaratus, dieque 13. Septembris mortalitatis vestem exuit. Facilè, vt putat Herrera, in patria decessit, quia ex Regestis Ordinis apparet 1486. Generalem Anselmum dimisisse Balneoregiensi Cœnobio collectam propter expensas factas in Funeralibus Magistri Siluestri Vicarij Ordinis. Memoratur encomiasticè ab omnibus nostris, inter quos narrat Torellus Siluestrum Conciones Quadragesimales Tridenti habuisse eodem anno, scilicet 1475; quo B. Simon Puer die 24. Martij à Iudæis sæuissimè trucidatus fuit, ac multis miraculis coruscauit; inibique disputasse egregiè in ipsius præclarissimi martyrij fauorem, ex qua disputatione magnum honorem obtinuit. Sic Torellus ad dictum annum To. 7. pag. 237; & 238; Posseuinus Siluestrum nominat in 2. To. Appar. Opera eius sunt:

De Canonizatione B. Simonis Pueri Tridentini. Extabat olim Patauij in nostra Bibliotheca.

De Passione Christi Discursus M. S. fol. in Bibliotheca Augustana ex Reisero pag. 58.

Quæstiones Theologicæ. Patauij in nostra Bibl.

De nobilitate intellectus, & voluntatis.

De potentia generandi in Diuinis.

De subiecto Theologiæ. Aliaque.

182. SILVESTER MEVCIVS de Castilione Aretino, S.T. Doctor clarissimus. Venetijs præcipuè in concionibus populo gratissimus apparuit, ac Litteratorum sui temporis summus venerator. Anno 1516. degebat in Cœnobio S. Christophori à Pace in stagnis Murianum versùs; eo enim anno dicauit Opus Abbatis Ioachim infra notandum nostro Card. Ægidio Viterbiensi, ac in eodem Monasterio obijt 1535. die 20. Martij. De ipso, vltra nostros, etiam Posseuinus in 2. Tom. Appar. Edidit.

Interpretationem perpulchram in Ieremiam, vbi luce clariùs ostenditur Ecclesiam carnalem (quæ noua Babylon nuncupatur) fore percutiendam triplici gladio, scilicet amissione ab Alemanorum Imperio; 2. hæresi à Patarinis, de quorum secta erit mysticus Antichristus; 3. ab Infidelibus. Colouiæ apud Ludouicum Atect, & hæredes Iacobi Soleris 1527. 4.

Abbatis Ioachim expositionem in Apocalypsim B. Ioannis Apostoli, adiecta Epistola nuncupatoria ad Card. Ægidium Viterbiensem Aug. Paduæ 1616. 4; ac Venetijs apud Franciscum Bindonum, & Socios 1527. 4.

Concordias noui, & veteris Testamenti.

Super Isaiam de oneribus in Orbem Vniuersum.

183. SIMON BARINGVEDVS Tolosanus, vir probus, & eruditus, ac S. T. Doctor Parisinus, in qua Vniuersitate anno 1373. in summa veneratione erat. *Hic profectò vas scientiarum extitit* (testatur Nicolaus Beltrandus de Gestis Tolosanorum) *acerrimus disputator, memoriosus valde, Ægidianæ disciplinæ defensor, subtilis multùm, & copiosus*. Is nullum doctrinæ genus Christianis neccessarium magis putauit, quàm id, quod Ioannes Apostolus Ecclesijs post Christum proposuerat. Illud ergo tanquam Christianæ Theologiæ compendium magno labore exponendum suscepit, vt infra. Laudatur ab Ordinis Scriptoribus, etiamque à Posseuino To. 2. Apparatus, à Frisio pag. 755. Opera, quæ edidit, sunt:

In Apo-

In Apocalypsim præclara Cōmentaria. Incipiunt: *Scio tribulationem tuam*.

Opera quædam S. P. Augustini in Conclusiones reduxit.

In Priora, & Posteriora Aristotelis Commentaria lib. 2.

De Trinitate lib. 1.

De Viribus animæ lib. 1.

De Attributis lib. 1.

184. SIMON Bononiensis S. T. Doctor, virtutibus, & doctrina celebris, Concionator feruidus, ac in Scripturis sacris fundatus. Floruit circa annum 1320. vsque ad annum 1333. Cùm enim dicauerit suum Opus Ingiranno Stellæ, natione Prouinciali, Archiepiscopo Capuano, Regnique Siciliæ Cancellario, qui à Roberto Rege, cui charissimus erat, fuit declaratus Cancellarius 1320; & idem è vita migrauerit anno 1333; asserere igitur debemus dictis annis floruisse, & non 1378; vt Pamphilus, & alij nostri. Memoratur cum laude ab ijsdem nostris, ac scripsit.

De nouo mundo in decē Tractatus diuisus, dicatus dicto Cancellario. Incipit: *Dixit, qui sedebat in Throno, ecce noua facio omnia*. M. S. in nostris Romana, Bononiensi, & Patauina ex Thomasino pag. 76.

De nouo Rege Salomone in nostra Patauina ex supradicto. An eiusdem, non exprimit.

185. VEN. SIMON de Camerino, splendidissimum mei Augustinensis Ordinis Iubar, Religiosus celeberrimæ famæ, ac diuini verbi Declamator eximius, imò sui temporis Concionatorum corona, ortus est Camerini 1392. Quid egerit in sæculo, & ex quanam Familia originem duxerit, nullus Scriptor aperuit. Prima eius memoria in Ordinis Regestis apparet anno 1426; & 1434. aderat in Generali Capitulo Mantuæ celebrato. Deinde anno 1436. 10. Aprilis Vicarius Generalis institutus fuit super Cœnobium S. Mariæ de Monte Ortono in Patauino territorio, ac tres alios Conuentus S. Mariæ de Campo-sancto, de Cittadella, & S. Christophori de Murano. Eo itaque anno initium sumpsit Congregatio Montis Ortoni, ac à S. Laurentio Iustiniano Patriarcha Veneto, vt ab Eugenio IV. ad hoc specialiter delegato, primam confirmationem obtinuit, quam postmodum corroborauit Nicolaus V. anno 1452. cum suo Breue expedito apud S. Petrum quartodecimo Kal. Maij. Principaliter noster Simon eluxit in verbo Dei disseminando, in quo tantùm valuit, vt quocumque pergeret, auditores in spiritu abundanter fructificarent. Etenim methodus

ipsius facilis, & suauis, atque charitas feruida vitia eradicabant, christianas virtutes plantabant, etiamque dissensiones, & iurgia intestina tali dexteritate, & attentione sedabant, vt à Populis verus Pacificator proclamaretur. Summus tamen ipsius valor in bellicis turbinibus ad tranquillam serenitatem deducendis Orbi vniuerso effulsit anno 1454. Factum præclarissimum propalat Io. Baptista Egnatius lib. 2. Exemplorum illustrium virorum &c. *Decertarant longo, difficilique inter se bello Veneti, & Franciscus Sfortia Mediolanensium Dux, quos ad ineundam pacem neque Pontificis Maximi auctoritas, neque Regũ, Principumque Italiæ preces flectere vnquam potuere, cùm Simonetus Camerinas ex Eremitica Familia, Sfortiæ Duci familiaris, & notus, & Venetijs quandoque commoratus, negotium hoc suscepit. Erat autem hic, propter vitæ sanctitatem in summo cultu, & veneratione. Venetijs igitur soluens, Mediolanumque profectus, tentato priùs Sfortiæ Ducis animo, cui ille negare nihil est ausus, statim Venetias rediţt: Principe igitur, & Patribus ipsis facilè persuasis, pax inter eos inita est, vnde hodie Cœnobium in stagnis Murianum petentibus extat Diuo Christophoro dicatum, perpetuoque pacis nomine dictum, tantùm recta religio, veræque pietatis cultus in mortalium animis sæpe valet.* Ob hoc præclarum opus egregiè terminatum, à pluribus Historicis coæuis, & subsequentibus ad posteros memorabilis eius fama transmissa fuit, quos in fine recensebo. Cùm denuo (post pacem confectam die 5. Aprilis in Ciuitate Laudensi, & die 14. publicatam) aliqua nouæ discordiæ semina inter Venetos, & prædictum Mediolani Ducem repullulare cæpissent; Franciscus Foschari Venetiarum Dux litteris suis datis 22. Maij eodem anno, hortatus est V. Simonem, vt iterum Mediolanum ad res componendas pergeret; ac in ipsis præcipuè cernuntur verba: *Quia pacis conclusæ inter nos, & Mediolanensem Ducem promotor fuistis, ideo grauis non sit illos labores assumere, qui ad magis confirmandam, & consolidandam sunt necessarij &c. Ac vestra prudentia consueta, & modis, quibus vti scitis &c.* Post Pacis fœdera gloriosè, & feliciter stabilita, anno 1459. B. Alexander Oliua Generalis Simonem Vicarium Generalem instituit suæ Congregationis Montis Ortoni, vt ea sodalitas cresceret, floreret, & fruges vberrimas in agro Dominico produceret. Procurauit demum Simon Congregationem suam cum Insubrica vnire, sed tamen irrito conatu, quia Fr. Modestus de

Vene-

Venetijs, alijque viriliter se opposuere: Dolebant enim Congregationem suam extinctam fore antequam natam. Plurima alia facinora nobilia peregit V. Simon, inter quæ enitet (vt Auctor Historiæ Firmanæ Vrbis asseruit) ipsum fuisse causam, dum inibi concionaretur, quòd Hebræi ferre deberent in capite signum à Christianis distinctiuum; hoc postea alij in Vrbibus executioni mandatum fuit. Non solùm denique in virilitate, & senectute, sed etiam in decrepita ætate nullum finem fecit verbum Dei annunciandi incredibili populorum vtilitate; ac vsque in hodiernum diem asseruatur Christi Domini crucifixi effigies, quam semper, dum prædicabat, gerebat in manibus. Tandem meritis clarus, & lucidis virtutibus ornatus anno 1478. die 12. Martij, summa cum veneratione receptis Ecclesiæ Sacramentis, adhortatis Fratribus ad veram vnionem, & mutuam charitatem, suauiter in Domino obdormiuit, ętatis annorum 86. Post ipsius obitum promulgatum, magnus accursus Ciuium Patauinorum, & populorum ad venerandum corpus factus est, quare per plures dies insepultum remansit. Discipulorum suorum pietas supra sepulcrum incidi fecit illius venerandam imaginem cum hac Epigraphe: *Ossa Venerandi Patris Fratris Simonis de Camerino, Ordinis Eremitarum S. Augustini, qui fuit temporibus suis corona Prædicatorum*. Eius vitæ sanctitas à plurimis commendatur Auctoribus, & inter Beatos Augustinianos à multis adnumeratur. Ipsius quoque aspectus decore, & maiestate illustris, ac longa, & spissa barba, à senectute candida effecta ornatus, cum altitudine corporis coniuncta, in aspicientium cordibus amorem, & venerationem gignebant. Ideo iure meritò miratur vitæ ipsius scriptor de his, qui eum Simonetum, quasi paruæ staturæ vir fuisset, nominant. Scriptores, qui celebrarunt Ven. Simonem ob Pacem confectam, numerosissimi fuere, quorum plurimos, vt supra spopondi, annotabo. Primus itaque sit supremus Pontifex Pius II; ipse in descriptione Europæ cap. 49. pag. 440. vocauit Simonem *probatæ, & integræ vitæ Monachum*. Bernardinus Corius Mediolanensis in Hist. Mediol. parte 6. fol. 405. *Hominem valde practicum, & diligentem, Senatui Veneto acceptum, & Duci Mediolanensi longa amicitia familiarem*. Iosephus Ripamontius lib. 13. Hist. Eccl. Mediol. pag. 832. *Quod neque Pontifex Maximus auctoritate sua, neque Principum aliorum legationes in id missa assequi potuerant, vnius Religiosi dexteritate perfectum est,*

ctum est, attonitis, & erubescentibus; pudoreque confusis, vt credere licet, quicunque trepidantem in aula, cursitantemque Monachum elato supercilio antea despiciebant, siue cauillabantur. Baptista Fulgosus contemporaneus, Dux enim erat Genuensis Reipublicæ anno 1463; lib. 2. cap. 5. de maiestate, scilicet in dictis, & Factis memorabilibus, scripsit: *Cùm multi Christiani Principes discordias componere frustra tentassent, Symonettus Camertinas heremita suscepto negotio, quod propter vitæ bonitatem nullo pretio putabatur adduci posse, vt magis ad alteram inclinaret partem, ad pacem ambos redegit, quæ ei postea cognomentum peperit.* Ioannes Simonettus in Vita Francisci Sfortiæ lib. 24. pag. mihi 337. eum nominauit *Virum non multæ doctrinæ, sed plenum fide, & charitate, ac Ducis Mediolani familiarem.* Iacobus Cardinalis Papiensis epist. 618. ad Sacromorum pag. mihi 857. *Quod olim Nicolaus V; quod tot Oratores inter Franciscum Sfortiam, & Venetos non potuere, potuit occulta diligentia Eremita barbatus.* Bonauentura Angeli Ferrariensis in Histor. Parmæ lib. 4. pag. 392. vocauit *Simonem Concionatorem excellentissimum.* Orlandus Malauolta 3. par. Hist. Senensis. *Hominem sanctæ vitæ reputatum.* Io. Petrus Crescentius in Præsidio Romano lib. 3. pag. 99. *Virum sanctum, qui prædicatione innumerabilem populorum turbam ad Deum conuertit.* Vt verò compendiosiùs scribam, eum celebrarunt Abraham Bzouius in Annal. Eccl. To. 17. ad annum 1454. pag. 128; Raphael Volaterranus lib. 22. Antropologiæ col. 815; Ludouicus Dominichi in Dictis, & Factis memorabilibus lib. 8. pag. 418; Paulus Maurocenus Senator Venetus in Hist. suæ Reipublicæ lib. 24. pag. 537; Petrus Matthæi, (seu veriùs sub dicto nomine famosus Antonius Perez, olim à Socretis Philippi II; vt testatur Paulus Piranus Pisauriensis super Artem Historicam Mascardi pag. 86; & 87.) in Hist. Henrici IV. lib. 1; Franciscus Sansouinus in Venetiarum descrip; vbi de S. Christophori Ecclesia Fidelis Onofri in Chronologia Veneta de eadem Ecclesia pag. mihi 188; Antonius Lauredanus Senator Venetus in Vita V. Gratiæ Catharini ex meo Ordine pag. 10; & vltra omnes Scriptores Augustinianos, fusiùs proferens ad viuum effigiem venerandam, Illustrissimus Episcopus Thomasinus in Historia Beatissimæ Virginis Montis Ortoni impr. Patauij 1634. 4. à pag. 134. vsque ad 155; Papebrochius, & Socij To. 2. Martij pag. 2; non obijt verò V. Simon, vt ipsi ex Herrera, & Iacobillo asserunt, die 9.

Mar-

Martij, sed die 12;vt Episcopus Thomasinus. Etiam memorant cum laude Pandulphus Collenuccius in Hist. Neapolitana lib. 6. pag. 199; ac Iacobillus in Vmbriæ Scriptoribus, qui ait: *Scripsit nonnullos Sermones super festiuitates annuas*. Iudico quoque illum scripsisse Quadragesimale, Aduentum, aliasque Conciones, sed facilè in incendio Monasterij memorato à Thomasino malè perierunt. Corrigendi sunt Augustinus Florentinus in hist. Camaldulensium lib. 1. cap. 70. pag. 248; ac Paulus Morigia in Summario Chronologico lib. 6. pag. 200. collocantes initium Congregationis Montis Ortoni sub anno 1460. Corrigendi quoque Nicolaus Doglionus in Europæ Amphiteatro pag. mihi 895; vbi loquens de famigerata, & miraculosa imagine D. Virginis Montis Ortoni protulit: *Ibi habitant Eremitæ Excalceati*, quod falsum est, nam mei Augustiniani ibidem degunt: Etiam Franciscus Scotus par. 1. sui Itinerarij Italici pag. mihi 65. eadem falsò proferens, ac Doglionus; nec non Leander Albertus cap. de Marchia Taruisina pag. mihi 472. Fusius de V. Simone scripsi in gratiam clarissimorum, & doctorum Amicorum Abbatum D. Venantij Sauini pluries Vic. Generalis, ac D. Alexandri Cruciani Auditoris Eminentissimi Galeatij Mariscotti Camerinen. Patriciorum.

186. VEN. SIMON Cremonensis, Vir in diuinis scripturis eruditus, & liberalium artium peritus, ingenio præstans, & clarus eloquio, ac in habendis Sermonibus ad populum Declamator egregius; quippequi Venetijs multo tempore huic insudarit sacro ministerio; quasi enim alter Paulus suspiciebatur, nam verbo, & exemplo plurimos erudiuit. Illum floruisse posteriorem æuo assignato à Pamphilo, & Ludouico Cauitellio in Annalibus Cremonæ pag. 130; videlicet 1348; ex Regestis Ordinis expressè patet. Etenim 1387. Bartholomæus de Venetijs illum Regentem constituit in Genuensi Cœnobio S. Augustini, & Conuentus Sauonensis super expensis ædificij nouæ Ecclesiæ Visitatorem suum deputauit. Postea die 26. Augusti eiusdem anni facultatem concessit, vt accedere posset, & mittere fratres ad Monasterium S. Zenonis de Verona pro visitatione, & seruitijs Sororis suæ ibidem Abbatissæ. Deinde 1388; & 1389. tribuit potestatem prouidendi de Priore, & Lectoribus in eodem Genuensi Cœnobio; ac memoratur tanquam in dicto Cœnobio degens 1390. Cùm demum ampliùs citatis in Regestis nulla ipsius memoria conspiciatur, credibile est, illum

illum paulò post ex hac vita migrasse; facilè, vti Pamphilus scripsit, in nostro Monasterio Patauino, quò ex Genuensi se contulerat. Pater Bacc. Fulgentius Passereti Suessanus in M.S. mihi Neapoli ostenso à P. Bacc. Victorio Bibliothecæ Carbonariæ erudito Custode, & amico, nempe in Historia suæ Congregationis, tamen imperfecta, clarè, & apertè ostendit Simonē Cremonensem fundatorem non fuisse eiusdem Congregationis, & plura instrumenta, litteras patentales, aliaque exponit. Ait enim, inter cætera, pag. 11 à tergo: *Nos verò fatemur ingenuè, & coram Deo testamur, huius rei gratia hunc nostrum scribendi sumpsisse laborem, non enim nobis minoris gloriæ foret Parentem, Progenitoremque habuisse tam doctum, egregium, & exemplarem virum, si inuenissemus &c; quàm Magistrum Georgium de Alexandria, Fratremque Andream de Narnia, viros quoque vndequaque spectabiles, probos, & regularis disciplinæ zelatores, & hoc si ad Congregationis incunabula intendamus &c.* Instrumentum Fundationis Conuentus Carbonariæ, in quo memorantur duo supranotati Patres, confecit Orlandus de Palmerio de Neapoli publicus in toto Regno Siciliæ regia auctoritate Notarius anno 1343. regnante Regina Ioanna anno primo die vltima Septembris Indic. 12. Referens postmodum Passeretus omnes Auctores, qui de Fundatione scripserunt, videlicet Miræum, Crusenium, Cæsarem Eugenium, Augustinum Florentinum, Paulum Morigiam, aliosque, demonstrat, omnes Morigiam primum errantem secutos fuisse. Errauit itaque Morigia libro suo Chronologico 9. pag. 200. ex Commentarijs Seripandi malè intellectis; quia enim vidit post nominatum Simonem Cremonensem consecutiuè appositum Congregationis Carbonariæ initium, putauit Simonem fuisse eiusdem institutorem. Restaurator demum, seu introductor strictioris obseruantiæ in eandem Congregationem anno 1410. fuit B. Christianus, cognomine Francus, de loco Pedemontij in Regno Neapolitano, non Francigena, nec Pedemontanus, vt plerique nostri Ordinis Scriptores errando proferunt. Hoc etiam lucidè patefecit notatus Passeretus ibidem. Commendarunt Ven. Simonem Cremonensem, vltra omnes Historicos nostros, etiam Cauitellius loco citato, qui reposuit: *Simon ex Religiosis Heremitanis de obseruantia D. Augustini Cremonensis excellens Theologus multis in ea scientia eruditè compositis tunc temporis cognitus fuit.* Trithemius de script. Ecclesiast; Posseuinus in 2. To. Appar; Gesnerus in

Bibl.

Bibl.pag.599; Frisius pag.755.; Petrus de Alua in Bibl.Conceptionis col.1411; Marraccius in 2.To. Marianæ pag.368; Verderius in suo supp. pag.48; Robertus Gerio in suppl.Caue pag. 276; ac vltimo Doctor Franciscus Arisius in Cremona lit.pag. 176; & 180. plures alios Scriptores Ven. Simonem celebrantes numerans. Scripsit.

Postillas, seu Sermones super Epistolas Dominicales, estque Tomus magnus. Reutlingæ 1484. fol.

Collationes Mortuorum in Euangelia, & Epistolas totius anni exaratæ manu Fratris Nicolatij Montisfalconij, in Bibl. Ducum de Altemps Romæ.

Quadragesimale eiusdem M.S. in 4. erat in Bibl. SS Ioannis, & Pauli Venetijs ex Thomasino pag. 28; ac in nostra Cremonæ To.2.4. membr.

Sermones in Festis totius anni ad Antonium Presbyterum Germanum suum. Incipiunt: *Leuate capita vestra*. Sunt in nostra Patauina Fol.membr. ex Thomasino pag.75: ac Cremonæ ex Marraccio, qui ait in ipsis adesse Conc.in Festis B.Virginis. To. 1. Fol. ex Arisio.

Expositiones, seu quæstiones super sententias.

Quæstiones de sanguine Christi.

Quæstionem de Indulgentijs Portiumculæ To.1. fol. in supradicta.

Harmoniam in Euangelia lib.1.

Sermones alij, quorū initium in charactere rubro. Isti sunt Sermones compilati per R.P. M. Simonem de Cremona Sacræ Paginæ Professorem Ord.FF.Herem. S.Augustini an. 1380. die 4. Cinerum To.2.4.membr.

Super Epistolas D.Pauli To. 1. fol.ibidem in 4.

Libros Sanctorū, quibus additæ sunt Constitutiones Clementis V. To.1. fol.ibidem.

Ac alia plura.

187. B.SIMON FIDATVS de Cassia. E nobili Prosapia Fidata Cassiæ in Vmbria, quæ Ciuitas lucidissimorum ingeniorum, & Animarum sanctæ vitæ fæcunda fuit genitrix, ortum habuit B.Simon circa annum 1280. A teneris annis ad Deum, & ipsius veram scientiam sectandam conuersus est, modoque verè præclaro ab ipsomet enarrato cap. 40.libri 8.sui Euangelici Operis: *Accidit quodam die in mei teneris annis, me ferente omnes ferè libros naturales sub chlamyde, vt summa diligentia repeterem, quæ audieram à doctore, & cùm interrogaret me quidam creditus ab omnibus sanctæ vitæ dicens; Quid est hoc, quod defers frater? Libros naturales me ferre respondi. At ille: Non est hæc via tuta, nec vocatio tua, nec verorum Christianorum intendere naturæ, sed gratiæ. Verbis quoque completis tanta celeritat*

 muta-

mutatum est cor meum, vt si voluissem, non potuissem aperire codices naturales, nec etiam ex iussu aliquid memoriæ commendare; atque, quod magis mirandum est, porta intelligentiæ claudebatur; disponente Deo ad Theologica me conuerti, illis omnino dimissis, in quibus frustra sudaueram, atque disposueram desudare, & aliqua luce veritatis perfusus, puro & claro lumine intellexi, meretrices esse inuisibilis animi omnes istas scientias, animam indeuotam & per aera volantem constituentes &c. Adolescens coram Iesu Christi imagine reuerenter, vti solebat, genua flectens, formosissimum puerum calicem gestantem aureum adstare, & sibi arridere conspexit, verbis hortantem: *Puer munde mecum de calice bibe*. Quo gustato, inexpertæ dulcedinis suauitate absorptus socijs quoque gustandum postulauit. Hinc postmodùm in sanctitatis, ac feruidæ doctrinæ præsagium tali glorificatus fuit oraculo: *Si totum ebibisses, vniuersum mundum illustrasses*. Ab huius cælestis calicis gustu emanauit egregium Opus in quatuor Euangelia, ordine à nullo antea Doctore tractato. Meditando Christi Domini vitam, & acerbos cruciatus, non solùm in fluidas lacrymas erumpebat, sed etiam tunc cœlitus illuminatus mira prospiciebat, atque ab illis fontibus mysticis aquas perfectæ scientiæ hauriebat, quas deinde super rostra ad populorum vtilitatem effundebat. Bononiensibus, Florentinis, Senensibus, alijsque præclarissimarum Vrbium Ciuibus, ardore verè igneo, ac spiritu Apostolicam pietatem spirante, verbum Dei annunciauit, incredibili cum fructu, celsique Numinis glorificatione. Florentię præsertim diu permansit, in eaque Ciuitate plurima præclara patrauit. Inibi enim aliquando integram Vrbem commotam sedauit. Spiritu Prophetiæ quàm maximè floruit, eoque dono illustratus multa euentura prædixit, notabilique in pretio fuit. Monasterium S. Catharinæ nostri Ordinis ad montem S. Caij extra Ciuitatis męnia anno 1330. construi fecit, nobilissimisque Matronis, ac Virginibus illud repleuit. Diuino quoque feruore succensus ibidem in prostribulis prædicauit, multasque misellas fæminas è lutuoso peccati puteo extraxit, ac in eorum domibus Cænobium Conuertitarum erexit. Quamquam fundata doctrina, & scientia infusa illum eminentem redderent, tamen in profunda humilitate semper permanere curauit, quare in Ordine nec gradum vllum suscipere, nec dignitatem obtinere voluit. Ideo honoris gratia, non veritate factum iudico, ipsum Magistrum

ſtrum nominatum fuiſſe in quadam antiqua Scriptura continente narrationem Hoſtiæ miraculoſæ, irreuerenter inter Breuiarij folia poſitæ à quodam Parocho, qui eam infirmo ferebat, poſteaque liquefactam, & quaſi ſanguineam inuenit; cuius duę pagellæ aſſeruantur modò in noſtris Cœnobijs Peruſino,& Caſſiano. Verba ſcripturæ ſunt: *Regreſſus Senas ad Conuentum S. Auguſtini peruenit, vbi prædicabat M. Simon, vir doctiſsimus, & ſanctus homo, & narrauit illi caſum &c.* Denique ætate venerabilis, eruditione celebris, pietate inſignis, virtutibus fulgens, & miraculis illuſtris anno 1347. in Vigilia Aſcenſionis infirmatus, ſequenti anno defunctus eſt die 2. Februarii. Eius corpus Florentiæ in Eccleſia Monialium Conuertitarum mei Ordinis inuentum eſt noſtro tempore incorruptum, ac ibidem cuſtoditur. Opus ſuum ſuper Euangelia incepit ad inſtantiam ſui chariſſimi amici Domini Thomæ de Corſinis, Doctoris Legum Florentini anno 1338. die 6. Menſis Septembris apud almam Vrbem. In huius Operis encomium P. Stephanus Sutorinus Ratiſponenſis S. T. Lector, & Vindobonæ Concionator Auguſtinianus,qui editionem Baſileenſem procurauit, hæc in epiſtola exarauit præliminari. *Simonem de Caſsia, egregium planè Euangelicæ veritatis enarratorem, ſi cum vetuſtis illis ſacrarum litterarum illuſtratoribus comparare voles, vt in orationis ſtructura, & dictionis filo inferiorem, ita in ſententiarum pondere, in geſtorum delineanda ratione, in expoſitione myſteriorum, in efformandis Chriſtianæ vitæ moribus, parem, ne dicam ſuperiorem, neminem inuenies. Vtitur namque (ingenuè fateor) rudibus, & ſubagreſtibus verbis, ſed tamen (quod Pico Mirandulæ placet) viuis, animatis, flammeis, aculeatis, & ad imum ſpiritum penetrantibus, lectorem ipſum mirabili poteſtate transformantibus &c.* Auguſtinianos Scriptores celebrantes, ac Beatum acclamantes vltra viginti enumerare poſſem. Externi verò fuere Auctor Additionum ad ſpeculum hiſtoriale Vincentij Belluacenſis cap. 58. pag. 475; qui inter alia hæc profert: *Simon de Caſsia Ord. Herem. S. Auguſtini Theologus, & egregius prædicator, per id tempus tamquam medicinalem caſsiam languenti animæ ad vitæ integritatem refrigerio traditus fuit. Qui verus Euangeliſtarum interpres, & Ieſu Chriſti imitator verus apparuit &c.* Arthmannus Schedel in Chronicis Mundi fol. 234; Raphael Volaterranus lib. 21. Antropol. col. mihi 765; Marcus Antonius Coccius Sabellicus Lib. 9. Ænn. 9. fol. mihi 271; hi quatuor

non bene assignant tempus, quo floruit B. Simon; Bartholomæus de Pisis Minorita Lib.1.conformitatum par. 2. fructu 11. fol.151; Lucas Vadingus in 2.To.Ann.Minorum ad an.1288. pag.562; Alphonsus Ciacconius in Vita Benedicti XII.pag.mihi 885; Card. Bona in Indice Auctorum Harm. Psal. Ecclesiæ, Trithemius de Script.Eccl; Posseuinus in 2.To.App; Sixtus Senensis in Bibl.Sancta pag.303; Card.Bellarminus de Script. Eccles. pag.225; Labbeus ibidem pag. 353; Petrus de Alua in Bibl.Concep.col.1410; Marraccius in Mariana To.2.pag.368; Gesnerus in Vniuersali pag.599; Frisius pag.755; Papebrochius ad diem 9. Iunij pag. 259; vltimò etiam Henricus Watthon pag.21.Opera eius sunt:

Libri quindecim de Gestis Domini Saluatoris correcti, illustrati, & impr. traditi à nostro supranominato Stephano Sutorino.Basileæ ex Ædibus Adæ Petri de Langendorff.1517.Fol. Editio tamen secunda, vt ex epistola ad Lectorem in principio cernitur. Postea Coloniæ ex Officina Eucherij Ceruicornij 1533. Fol. Ac ibidem ex Officina Nouesiana, & apud eumdem Ceruicornium 1540.Fol.

De B.Maria Virgine. Basileæ apud eumdem Petrum 1517.fol.

De Stultitijs imprudentium in bello spirituali edidit lingua Italica M. Sebastianus Broilus Fanensis Secretarius Ordinis, ac Tridentini Concilij Theologus. Mediolani apud Moschenos 1556. 8.

De Disciplina spiritualium lib. 1. super verba S.Pauli. *Si spiritu viuimus*. De doctrina Christiana lib.1.Hæc duo Opuscula quam primùm edere sperabat notatus M.Broilus, vt in epistola præliminari ad Christophorum Patauinum ante librum de Stultitijs affirmauit.

Quatuor libri Expositionum super Euangelia eiusdem lingua Italica editi. Florentiæ apud Bartholomæum Francisci de libris Florentinum 1496. fol. Hanc expositionem, vt obseruaui in M.S. membranaceo Iliceti asseruato, extraxit ab Opere B. Simonis P. Ioannes de Salerno Ordinis nostri, ac vulgarizauit. Dictum opus M. S. erat B. Philippi de Agazzarijs Senensis.

Expositio super Euangelia Quadragesimalia lingua Italica in nostra Bononiæ.

De vita Christiana Pars prima M.S.fol.in Bibl. Cęsarea, vt ait Frisius.

De cognitione peccati lib.1. in nostra S.Mariæ de Populo.

Expositio Symboli lib.1.De vita Eremitica lib. 1, De patientia lib.1; De speculo Crucis lib. 1; De conflictu Christiano lib. 1. Aliaque varia.

188. BEATVS SIMON RAYNALDVCCIVS Tudertinus S.T.Lector, vir magnæ venerationis, & sanctitatis, Concionator

nator egregius, meritis, virtutibus, miraculisque clarus. Plurima grauia incommoda, improperiaque calumuiosa pasfus est, sed omnia patienter propter Christi amorem tolerauit. Pluribus in Cænobijs laudabiliter præfuit, suamque Vmbriæ Prouinciam gubernauit. Pænitentiæ, ac deuotioni impensè deditus erat, Beatissimamque Virginem vti Patronam enixè veneratus est, vt Aduocatam ex intimo corde coluit. Spiritu prophetico non caruit, quod palam ostendit, dum Bononiæ concionaretur; inibi enim publicè coram populo in vltima concione obitum suum instantem prædixit. Ad superna fastigia igitur gloriosè ascendit die 20. Aprilis anno 1322. Audito Beati obitu statim maxima turba populorum ad prospiciendum accurrit, & quilibet se fælicem putabat, si vel corpus attrectare, vel paruam vestimenti partem habere poterat. Eo tempore multa præclara miracula patrauit, quæ omnia canonicè probata fuere. Durant in nostro Bononiensi Archiuo tres M.S. procesfus, ac alius Codex 9. foliorum extabat in Cænobio S. Praxedis Tuderti: Continent tres primi procesfus miracula 136; ac impressi cernuntur in eruditissimo Opere Bolandiano To. 2. Aprilis, vbi Henschenius, & Papebrochius plurima referunt ex aliquibus nostris Scriptoribus à pag. 819. vsque ad 831; ac ex epistola mei Torelli concludunt in laudem B. Simonis: *Magna accessit celebritas per B. Simonem Tudertinum, doctrina Theologica, & concionatoria facultate magnum, maiorem tamen sanctitate &c. Cultus, qui iam inde ab eius obitu inualuerat, magis etiam excitatus est hisce nouissimus temporibus, cùm anno 1666. Eminentissimus Hieronymus Cardinalis Boncompagnus, Bononiensis Archiepiscopus illius corpus ritè visitasset, exinde enim à varijs data sunt frequentiora dona, & vota cerea, atque argentea appensa visuntur, nec vnquam desijt ardere ante illum accensa lampas.* Vltra omnes nostros, inter quos eminent antiqui Historici B. Henricus de Vrimaria, & B. Iordanus de Saxonia, ac Generalis Coriolanus, etiam celebrarunt Ioannes Baptista Posseuinus Presbyter Mantuanus in Libro de Sanctis, ac Beatis Tudertinis Perusiæ edito 1597. pag. 115; Carolus Sigonius lib. 3. de Episcopis Bononien. ad an. 1333. pag. 136; Abraham Bzouius in Eccl. Annal. ad eundem annum, Ludouicus Iacobillus To. 1. de Sanctis Vmbriæ pag. 419; in Vmbris Script. pag. 248; Marraccius in 2. To. Bibl. Marianæ pag. 370; qui malè citat Herreram, proferens illum dicere obijsse an. 1400; vel vt alij

1395.

1395;quod reuera non dicit &c. *Liber M.S.Sermonum Festiuorum ipsius in Conuentu Tudertino S.Praxedis asseruatur vsque in præsens*; scribit Herrera. Sed, vt audiui, dum Perusij anno 1701:degerem; heu incuria! ampliùs non extat. Demum concludit idem Herrera: *Non possum non dolere, virum tantum, & illustrem miraculis, Augustininnæ Religionis vel paupertate, vel incuria, nec Diuorum catalogo adscriptum, nec de eius adscriptione tractatum*. Tempore, quo Io: Baptista Posseuinus edidit suum Opus, extabat in Cœnobio S.Praxedis Tuderti scriptus in pergamena Liber Sermonum Festiuorum B.Simonis, & vocat Sermones plenos doctrina, & sanctitate, sic pag. 115. Lib. Posseuini impr. Perusiæ apud Vincentium Columbaram 1597.4.

189. SIMON TORNAQVINCIVS nobilis Florentinus, à pueritia nostrum Ordinem ingressus, in eoque perfectè educatus fuit. Deinde cum vitæ probitate bonarum artium studia coniunxit, quare 1392.Lectorem secundum post Regentem immediatè Prior Generalis Patauino in Studio collocauit. Anno 1418.iam erat S.T.Magister. In Pergamis quoque Concionator pius, & doctus enituit. Demum anno 1429. in Patria naturæ debitum persoluit, sepultusque fuit in Capitulo Monasterij, cum inscriprione sequenti. *Hic iacet Ven. vir Fr. Simon de Tornaquincijs de Florentia S. T. Magister Ordinis Erem. S. Augustini, qui obijt an.D.1429.die 13. Aprilis, cuius Anima requiescat in pace.* Memoratur à nostris Pamphilum sequentibus, ac à Pocciantio in Flor.Scrip.pag.161. Scripsit *Vitam S.Matris Monicæ, ex Confessionum libris D. P. Augustini collectum, vt videre est in fine To.10.Operum eiusdem S.Patris, quæ etiam in edit.Lugdunensi 1585. cernitur; nam in aliquibus edition. quædam alia ad vitam, & mores S.Augustini aperiendos ab eodem elaborata extant: Sermones quoque quadagesimales eximia doctrina referti,quorum initium: Ego Simon Frater*, simul cum dicta Vita Florentiæ in nostra Bibl.seruabantur, vt Pocciantius, & Pamphilus scripserunt.

190. STEPHANVS FORESTVS Hungarus, vir celebris & doctus. Hic circa annum 1312. electus fuit Strigoniensis Archiepiscopus, & Primas Regni Hungariæ, Sedis Apostolicæ Legatus natus, cuius tempore iam penes ipsum extabat ius Regem coronandi,vtpote ab Innocentij IV.diplomate emanato. Archiepiscopatum egregiè annis viginti rexit, *forma factus*

ctus gregi, virtutumque exemplis coruscans. Ad aliam vitam properauit anno 1332. Eum Ven. Alphonsus ab Orosco in suis Chronicis Augustinianis Stephanum Vngarum appellat. Patriarcham Hierosolymitanum fuisse tradit, & errore impressionis Archiepiscopum Coloniæ dicit, additque, *Sermones doctos, & elegantes compilasse, & in quatuor libros Magistri sententiarum egregia Commentaria edidisse*. Vltra nostros Cruseniū, Herreram, Elssium, & Torellum nominant cum laude Crescentius in Præsidio Romano lib. 3. pag. 102; ac Illustrissimus Ardinghellius Dominicanus in cong. vocis Turturis Append. pag. 38; ex quo superiora verba excerpta fuere, scilicet: *Forma factus gregi &c.*

191. STEPHANVS VANNÆVS Recanetensis, Prouinciæ Picenæ. Cùm ab adolescentia Religionis habitum induisset, liberales scientias in nostris Gymnasijs perfectè edidicit. Musicæ porrò artis ita prę alijs deditus erat, vt ipsi vsque ad vitæ finem firmiter adhæserit. Consonantias enim vocum, proportionum inductiones, omneque, quod ad eius perfectionem attinebat, vir ille officiosus, ac diligens egregiè calluit. Eius modulationes suo tempore, ac plurimis annis subsequentibus in multis Italiæ Templis decantabantur. Ob hoc nomen eius ita celeberrimum euasit, vt Cornelius Bonamicus Nursinus, Artium, & Medicinæ Doctor ad eum scribens, inter alia, hæc protulerit. *Felix profectò ætas, quæ te canentem vidit, erudientemque, ex cuius exuberanti fonte, qui biberunt, testantur*. Anno 1531. vltimam manum libro suo imposuit, & tunc habebat ætatis annos 38; vti testatur ipsemet in fine libri impressi. Quo anno obierit, adhuc non noui, quia nec Historia ab Angelitta composita suæ Recanatensis Vrbis hoc non aperit. Memoratur cum encomio à nostris Historicis, etiamque à Panuinio libro de Claris Veron. pag. mihi 59; à Frisio pag. 767; ac ab erudito Angelini Perusino in Historia Musica. En opera.

Recanetum de Musica aurea à Magistro Stephano Vannæo Eremita Augustiniano in Asculana Ecclesia Chori moderatore editū, & solerti studio enucleatum. Libri tres Vincentio Rossetto Veronensi interprete. Romæ apud Valerium Doricum Brixiensem 1533. fol.

Edidit quoque Cantiones lepidas super Introitus Missarum, & Antiphonas Vesperarum lib. 2.

192. B. THEOBALDVS SCALIGER Veronensis. Hic, vt ab eius ortu initium ducam, parente natus erat Viro, & sapiente, & pio Veronæ, atque ab ineunte ætate quum diuinæ contemplationi vacare desideraret, seque ab huius mundi illecebris amouere, audita Fratrum Eremitarum S. Augustini Cenobij S. Euphemiæ optima fama, in eorum cætum adscribi petijt, & obtinuit. Habitu verò sanctæ Religionis suscepto, ita in cæterorum fratrum contubernio se gessit, vt viuum esset religionis, pietatis, & omnium virtutum specimen. Ob quas virtutes Abbas Diui Firmi maioris creatus, non longè post bis ad Episcopatum Veronensem vocatus est omnium suffragijs. Qui Episcopatu suscepto, quamquam diuinorum contemplationis, & Christianæ doctrinæ studijs mirificè deditus esset, ea tamen voluptate non eò vsque efferri se passus est vmquam, quin opem, operamque suam, quandocumque vsus poposcisset, egentibus maxima cum humanitatis significatione semper impertierit, se seque ad res agendas optimè accommodarit; nam, & audiebat quotidie disceptantes, & assiduè ius dicebat, & ciuitatem, & diœcesim sæpissimè perlustrabat, & reliqua Pontificis munia strenuè obire solebat. Mortuus est nonagenario maior ex capitis distillatione anno salutis 1331. 13. Kal. Decembris, vacauitque sedes dies 10. Ab hoc consecratas fuisse Basilicas Veronæ S. Mariæ Consolatricis, & S. Mariæ ad Glaream, & in agro Veronensi Villæ Francæ Ecclesiæ altare maius inueni, quod etiam ex inscriptionibus liquet. Ab hoc Episcopo Constitutiones editæ sunt quamplurimæ, quas ferè omnes postea, auctoris nomine suppresso, suo tantùm nomine publicauit Petrus Scaliger Episcopus Veronensis. Hucusque Panuinius meus in Antiquit. Veronen. lib. 7. Ipsum Theobaldum, doctrina clarum, & sanctitate lucidum, fuisse ex gente Scaligera Vrbis domina testatur Sansouinus de familijs Italiæ fol. 148. Quid vlteriùs egerit in Episcopatu, exposuerunt noster Herrera in Alphabeto To. 2. pag. 435. ex Hieronymo de la Corte in Veron. Hist. par. 1. lib. 9. pag. 568; ac Vghellus To. V. col. 739; & seq. Celebrarunt B. Theobaldum ferè omnes Scriptores Ordinis, etiamque Arnoldus Wion in ligno vitæ lib. 2. pag. 371; Franciscus Tiatus lib. 5. hist. Veron; Abraham Bzouius Tom. 15. Annal. ad annum 1258. n. 14; alijque. Scripsit.

Ser-

Sermones egregios, ac deuotos ad Clerum, & ad Populum lib.3; qui Veronæ asseruautur in Bibl. Canonicorum, vt testatus est Pamphilus.

Constitutiones quamplurimas, editas postea proprio nomine à Petro Scaligero Episcopo electo an.1350; qui non fuit ille Dominicanus; nam Dominicanus Petrus fuit antecessor nostri Theobaldi. Corrigendi igitur aliter scribentes.

193. THEODORICVS VRIE Germanus Osnabrugensis. Cùm iam opus perfecissem, doctissimus P. Magister Adeodatus Nuzzi Assistens Italiæ, & Angelicæ Bibliothecæ Præfectus ostendit mihi Historiam Concilij Constantiensis ab eruditissimo Hermanno Vander Hardt Serenissimi Rodulphi Bransuicensium Ducis à Litteris &c. editam, vbi cernitur distincta notitia nostri præclarissimi Vrie; quam eò, quia nullus Scriptor domesticus, vel extraneus attingere valuit, ideò ex prologomenis Tomi primi verbatim exponam; nam inibi omnia magis essentialia reuelantur. En igitur. Theodoricus Vrie Theologus Augustinianus, cuius Opus iam dudum perijsse iam pridem doluerunt viri eruditi Spondanus, alijque; vt nulla, & huius recuperandi spes superesse videretur, qui iam restitutus, Orbi redditus, suæque patriæ per nos vindicatus sua gaudet luce, haud postremum eruditæ Germaniæ decus. Quandoque enim prorsus euanuisse creditus clarissimus noster Vrie, densissima caligine pressus longo tempore sub vmbra delituit. Cuius ne nomen quidem integrum hodie fuerat reliquum. Quippe dum Vric, vel Uric, vel cum Flacio, & Vvolfio Vrie, vel Vrias alijs audijt. Imò de cuius vitæ genere, aut professione vix certi quid amplius constabat. Quem Augustinianum dixerunt aliqui: Vvolfius memorab. To. fol.745. Flacij vestigia incautiùs obseruans Augustinianum Minoritam Episcopum Croatiæ mira compositione appellauit. Cuius quoque nec Cœlum, sub quo degisset, nunc peruideri satis poterat: Qui ab Italis, & Hispanis Scriptoribus, alijsq; sequacibus, vt in eius vita pa.1.fol.222.obseruauimus pro Hispano, fuit vēditatus. Vt nulla eius vestigia Germanico Solo viderētur reliqua. Ast felicissimo fato nō solùm in Germania eundē resuscitauimus, sed & genuinū nominis characterē, imo spiritū, ac sanguinē Germanum illi restituimus. Siquidem ex remoto Orbe Hispanico tanquam ab exilio in patriam eum reuocauimus, ac Germaniæ nostræ, pristinæque suæ libertati vindicauimus &c. Sed fortunatum fuisse illud nostrum de Germano, eoque Vvestfalo

tfalo augurium, pertinacius scrutamen nos tandem ex voto edocuit, & cum voluptate confirmauit. Tantòque impensius hoc fuit gaudium, quantò luculentiùs proditum in antiqua & armis,& litteris inclyta Osnabrugo, Vvestphaliæ ocello, carissima mea patria, lumen hoc clarissimum fulsisse. Theologus fuit Ordinis D. Augustini, eruditione, probitate, & varijs Scriptis celebris, qui degit in Osnabrugensi Augustinianorū Monasterio, viris eruditis multis sæculis inclyto, sito olim propè veterem portam, quæ Osnabrugæ primæ, veterisque limites hodie signat, ac palæopolin à noua Osnabrugo distinguit. Cuius splendidi olim Monasterij, bello triennali dissipati, rudem cum amplissimo templo adhuc reliquo, quod puer olim sum ingressus spectatum, in hunc diem veterem testantur sedem, ac doctrinæ gloriam. Nostræ huius serenæ fortunæ, ac iusti de resuscitato, patriæque Germaniæ vindicato Theologo gaudij auctores,atque testes dabimus in eadem Vrbe Osnabrugo cum laude versatos viros clarissimos Ord. D. Augustini, & Dominici Vvennekerum, Schiphovverum, & Vngarum. Priores illi, Iohannes Vvenneker, Theologiæ Doctor Suffraganeus, & Iohannes Schiphovver itidem Theologus, vterque de Meppis dictus, quòd vterque Meppensis Vvestphalus esset Ord. Erem. Diui Augustini, in eodem Monasterio Osnabrugensi, eodem,quo Vrie claruere sæculo, ob eamque, & lucis, & temporis, & fortunæ affinitatem collegæ, successores Theodorici Vrie oculati factorum eius testes iure dicendi. Vterque viros claros suæ ætatis, sui Ordinis, suique Monasterij commemorauit, ac posterorum memoriæ commendauit. Ex Iohannis VvenneKerij scripto de venerabili Sacramento notitiā nostri Vrie absque dubio hausit hoc sæculo Pr. Vngarus, vti paulò post constabit, cuius M. S. possedit. Neque enim ex Iohanne Schiphovvero, cuius scripta nouisse, nec vidisse apparet Vngarus, quæ sollicitè quæsiuit, Vrie illi innotuit. VvenneKeri coetaneus Schiphovverus, qui anno 1480. Augustinianorum Monasterium Osnabrugi ingressus, à Vvennekero Theologo benignè exceptus, & multis beneficijs affectus, quo nomine egregiè illum collaudat, scripsit Osnabrugi in laudato Monasterio Chronicon Comitum Oldemburgensium, & absoluit circa annum 1505. Quod præclarum Schiphovveri Vvestphali Chronicon, Osnabrugi scriptum, illustris Meibomius ex Auo Vvestphalus, Academiæ nostræ, & Orbi literati lumen,

lumen; felici fortuna conseruauit, idque è tenebris erutum To. II. rerum Germanicarum inseruit. Schiphovverus hicce oculatus rerũ sui Monasterij testis, in laudato Chronico cap. 9. fol. 172. ad annum 1446. hæc de antecessoribus suis, nostroque Vrie memoriæ prodidit: *Circa idem tempus vixerunt in Conuentu Osnabrugensi Ord. Fratrum Erem. D. Patris Augustini duo luminaria Mundi. Primus fuit Venerabilis Lector Iohannes de Vvidenbrugge, vir sincerus, & doctus. Quis eius clariùs Librum Ecclesiasten explanauit, ignoro? Quem Librum Vaniloquum intitulauit, & in duas partes diuisit. Sermones multos ad Clerum, & ad Populum dereliquit. Secundus fuit doctissimus Lector Didericus Vrige, qui fuit vir magnæ scientiæ, & sanctitatis; Et in Scripturis reliquit Librum de Consolatione Ecclesiæ, qui incipit. Regi Regum citra exemplum. Quem Librum Imperatori Sigismundo post Concilium Constantiense propinauit in die SS. Philippi, & Iacobi, sicut ipse fatetur in Postillis suis, Sermone, qui incipit: Simile est Regnum Cælorum homini, qui seminat bonum semen. Cosmologium, siue Librum Apum. Tractatum de Conceptione immaculatæ Virginis. Sermones multos de Festiuitatibus Virginis gloriosæ. Sermones æstiuales, & hyemales super Euangelia. Scripsit super decem præcepta. Item de intentione, & remissione formarum contra Marsilium de Padua. Logicam magnam, & paruam. Quadragesimale egregium, quod habetur Coloniæ in nostra Libraria, & multa alia, quæ ego videre non merui.* Dici non potest, quàm nos animauerit Schiphovverus ad clariorem de rebus, ac scriptis Vrianis cognitionem requirendam. Quapropter eruditos in patria viros consului &c. Subuenit tandẽ ex voto præclara eruditione, ac singulari morum decore perornatus iuuenis Iohannes Henricus Tenge, Ciuis, & amicus meus carissimus, qui à viro venerabili, & doctissimo Ecclesiæ S. Ioannis apud Osnabrugenses Canonico in Historia Patria versatissimo, nactus est M. S. de Viris illustribus Osnabrugensibus: Ex quo M. S. cognoscimus, quàm de hoc quoque nostro Ciue Theodorico Vrie sollicitus haud ita pridem fuerit iussu Francisci Guillelmi Osnabrugensium Episcopi P. Vngarus Ordinis Prædicatorum Theologus. Epistola illius ea de re ad virum in patria illustrem data luculentum nobis porrò dabit testimonium: *Adm. R. doctissime Dom. &c.*

Colonia reuertens &c. Circa Augustinianos non admodùm multa videri possint, quæ subyciam, non tamen, vt opinor, omittenda. Ioan-

da. Ioannes de Meppis, Doctor Theologus, & ex Priore sui Conuentus Suffraganeus, condictus fuit VVenneKer. Scripsit inter alia de Venerabili Sacramento. De Ideis: Item de Oblationibus; quæ apud me M. S. Obijt 1496. *Feria* 3. *post Martini in Ciuitate Monasteriensi: sepultus in porticu summæ Ædis. Ex Libro eius de Ven. Sacramento discere est, quòd Godschalcus Holen, famosus verbi diuini præco, ex pago Corbeke Diœcesis Coloniensis oriundus fuerit: Iohannes Klenkock Theologiæ Magister, & Lector Osnabrugensis Conuentus præter Historiam de Conciuibus, etiam super libros Sententiarum scripserit: Item quòd Ioannes de Dorsten, Doctor Theologus huius Conuentus, patria fuerit Heruordiensis, ibidemque deuixerit in Cœnobio suo, post vitam innocentissimè transactam, vti multus est in eius laudibus idem de Meppis tractatu prædicto. De Ioanne ab Alen Lippiensi apud Elssium in Encomiastico. (Quem Librum cum præstantissimis pluribus alijs hoc itinere Coloniæ contuli) ex Ægidio Celenio nostro, heu quondam, allegatum legitur. Constat autem ex citato tractatu Iohannis de Meppis fuisse in Conuentu Osnabrugensi, qui ætate illa viris doctis fuit florentissimus, Theologiæ Lectorem Eberhardum de Lippia, dictum Bobbe. Qui an prior ille ab Alen, an & quid scriptum reliquerit, inuestigari deinceps poterit, si otium suppetet. Theodoricus Fric, siue Vrie, vernaculè; idest Liber (Fuit & Antonius quidem Liber Susatensis VVestphalus doctis aliquando accensendus) Lector itidem Theologus Augustinianus huius Cœnobij non incelebris fuit. Cuius ingenij quædam monumenta videre me memini inter reliquias Bibliothecæ summi Templi, vti ante hac Illustrissimo Episcopo Osnabrugensi Francisco VVillelmo retuli. Nuper curiosiùs de eo inquisiturus, intellexi hoc, quod anteà videram, Librarium antiquum vasis certis clausum fuisse, cùm locum priorem classi cuidam Scholasticæ deputarent. Pro commoditate tamen D. D. Prælatorum spes est nouam lustrationem faciendam, & referendum in Catalogos, quod superest. Qua in re optem equidem meam requiri operam. Certus enim sum, nonnulla ibidem eruenda, quæ vitas, & res gestas Osnabrugensium in maiorem lucem afferant. Nisi enim fallor, dabitur aliquid reperiri de Iohanne de Meppis Schiphovvero, qui Chronicon Comitum Oldemburgensium conscripsit. Professor suo æuo, vt mea coniectura est, Scholæ Carolinæ, & Sacerdos in summa Æde. Atque hæc sunt Domine Amice, quæ se offerunt in præsentiarum &c. Vvidemburgi* 30. *Decembris* 1658.

Fidem

Fidem proinde huic nostro Germano Theodorico Vrie, tantò debimus libentiùs, quantò constat apertiùs, publicis illis Ecclesiæ motibus, Concilijque Constantiēsis fatis eum interfuisse, pacis, & tranquillitatis studiosissimum. Absoluit enim hanc sui Concilij Constan. historiam sub finem ipsius Concilij anno 1417. in Profesto Sanctissimæ Elisabeth Viduæ. Descripsit iterum finito Constantiensi Concilio An. 1425. in gratiam posteritatis, hac subscripta editionis forma: *Hæc scripsi breuiter pro futuris, qui legere poterunt Acta Concilij Constantiensis. Et illi, qui supererunt, si delectat eos scribere, etiam præterita poterunt filijs suis, & posteritati nunciare. Nunc annus est Domini 1425. Quo etiam in festo Pentecostes nostrum Generale Concilium est celebratum sub Reuerendissimo Magistro Augustino de Roma Generali nostro.* Meruit ergo resuscitari collapsum hoc antiquitatis monumentum, in magno certè iam olim pretio habitum. Sanè clarissimus gemino abhinc sæculo Historicus Iohannes Langius posteritati illud sollicitè commendauit, his vsus verbis: *Theodoricus Vric (Vrie scribendum) inter alia ad Sigismundum Imperatorem pulcherrimum Librum prosa, & metro contextum, De Consolatione Ecclesiæ conscripsit, in quo gesta Concilij Constantiensis pro maiori parte complectitur.* Idem Langius postquam ex memorato huius nostri operis Libri metro 2. grauia quædam allegasset verba, hæc subiungit: *Hæc metra excerpsi ex libro primo de Consolatione Ecclesiæ, quem composuit Theodoricus Vrie Theologus Ordinis Erem. D. Augustini ad Sigismundum Romanorum Imperatorem, qui ambo his temporibus fuerunt. Et est vox Ecclesiæ plangentis casum suum, quem tum patiebatur per Schisma horrendum, & periculosissimum.* Præclarum verò hoc antiquitatis monumentum ex vetustissimo reperiuimus Codice Coloniæ per Iohannem de Lubeck anno 1484. impresso, & in Bibl. Rudulphea Bransuigæ asseruato &c. Cæterùm vti resuscitare sepultum Theodoricum contigit, & luci, pristinæque libertati hunc Vrie restituere, vt nominis sui vim impleret: Habitum illi quoque externum dare nostro sæculo congruum fas fuit. Nulla enim in antiquis illis obscuri codicis ruderibus distinctio, nullus ordo, confusa, & turbata omnia: Vt eruderare, ac puluerem detegere nostri sæculi decor imperaret. Stilum verò Auctoris mutare nobis fuit religio, tametsi alicubi in ligata æquè, ac prosa oratione non is appareat ornatus, quem comptius, ac delicatius sæculum amet. Præstat

grauis

grauis senectutis vestigia in grandæuo corpore intacta relinquere, veneratione ob ætatem digna, quàm nimia cultura venerabile senium dedecorare. *Hucusque citatus Scriptor.* Si tam ardens fuit affectus clarissimi Vander Hardt erga Concinem suum, vt eius nobilissima memoria excitaretur; Quid gerere debent eruditi Cœnobitæ erga Confratres suos, vt eorum illustria gesta, ac scripta è tenebris eruantur, & successoribus pateant ad exemplum? Titulus igitur Operis est:

Theodorici Vrie Theologi Augustiniani Saxonici Historia Concilij Constantiensis Sigismundo Imperatori Augustissimo Concilij Conciliatori inscripta. Regi Regum, citra Christum, Sigismundo in Imperatorem totius Orbis electo, Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Aduocato Vniuersali, Vngariæ Regi præpotenti, Serenissimo Principi, Ecclesiæ sanctæ Christi Sponsæ fidelissimo filio, Regio exorto sanguine, Patrisque sui Illustrissimi Caroli Regis, Imperatorisque semper Augusti, vita, scientia, regimine, moribus, & prudentia sectatori, omniumque virtutum culmine perornato. Fr. Theodoricus Vrie inter S. Theologiæ Lectores minimus Prouinciæ Saxoniæ Ord. Erem. S. Augustini contra militantis Ecclesiæ aduersarios triunphum gloriosum, vitamque in præsenti cursu Mundi gratia Dei plenam, & post huius consummationem agonis Gloriam consequi sempiternam. Incipit opus à col. 1; & desinit in col. 221. In cuius fine adest vita nostri Vrie disposita ex eius opere à supranotato, & constat pag. ferme tribus. Meliora verò sunt exhibita: Extat in primo To. de rebus Concilij Constant. Helmestadij Typis Schnorrij 1696. fol.

194. VEN. THOMAS DE ARGENTINA Germanus: Post perceptas minores facultates in sæculo, patrio in Cœnobio Argentoratensi indutus Eremitica clamyde, ardentiùs speculatiuas scientias, & sacras litteras amplexus est. Multis in Ordinis Academijs, etiamque publicis, præsertim Parisina tunc maximè celebri, diu auditor, & præceptor fuit. In omni doctrinarum genere ita eminuit, vt æquales suos longo interuallo post se relinqueret, maioribus autem summæ admirationi foret. Hæ qualitates excelsæ nostri Thomæ rapuerunt oculos, & corda patrum in generali Synodo Parisiensi vnitorũ; quare concordibus suffragijs Priorem eum supremum totius Ordinis proclamarunt. Ordinem regendo, quàm singularis esset eius dexteritas in rebus agendis, prudentia in tractandis,

affabi-

affabilitas in viris egregijs, & modestis excipiendis, grauitas in errantibus corrigendis, ac pietas in compatiendo correctis omnibus patefecit. Ideo in gubernio extitit confirmatus Papiæ anno 1348; Basileæ an. 1351; Perusiæque anno 1354. Ordinis decoris, ac vtilitatis percupidus, plurima à Romanis Pastoribus, qui tunc Auenione in Gallia degebant, quibus ob singularem doctrinam, & vitæ sanctimoniam acceptissimus erat, gratias, exemptiones, priuilegia, indultaque impetrauit. Anno 1349. Auenione rediens Sauonę honorificè exceptus fuit ab Episcopo B. Gerardo Bergomensi nostro, ac præsertim à nobilibus, Ciuibus, & vniuersa Communitate, vnde Sauonenses assumpsit ad totius Religionis spiritualia beneficia; promisitque illos commendare Carolo Regi Boemiæ Amico suo, qui eo ferè tempore Romanorum Imperator creatus fuerat. Duodecimo Magisterij anno penè exacto, dum munus suum verè Pater, & Pastor Ordinem perlustrando strenuè ageret, Viennæ Austriæ graui pressus infirmitate decubuit in qua anno salutis 1357. piè excessit, ac in Ecclesia Aulica nostri Ordinis sepultus, vbi super Tumuli Lapidē hæc cernuntur verba apposita: *Anno Domini 1357. obijt Fr. Thomas Prior Generalis, ac professor sacræ Paginæ Ordinis Fratrum S. Augustini.*

Quisquis ades, qui morte cares, sta, perlege, plora;
Sum, quod eris, quod es, ipse fui, pro me, precor, ora.

In minoribus Patavinum Studium excoluit, adfuit namque cùm Petri Aponensis de hæresi damnati, memoria execrata, ossa publico Inquisitorum iudicio cremarentur; ipse enim lib. 4. Sent. dist. 34. art. 4. pag. 171. Edit. Genuensis scripsit: *Ex hac opinione quidam hæreticus, nomine Petrus de Apono, qui expeditissimus fuit Medicus, accepit occasionem deridendi miracula Christi, & Sanctorum quantùm ad suscitationem mortuorum &c. Sed isti mentita est iniquitas sua, & accepit mercedem erroris sui. Nam ego fui præsens, quando in Ciuitate Paduana ossa sua pro his, & alijs suis erroribus fuerunt combusta.* Ex hoc igitur narrato omnes sinceri Eruditi iudicent, an subsistere possit, quæ proferunt Thomasinus in primo vol. Elogiorum illust. Pat. 23; ac Iacobus Zabarella pag. 119; & seq. Quia demum eruditus Labbeus in 2. To. pag. 418. putat nostrum Argentinam aliud, quod constet, non scripsisse præter in quatuor Sent. & Constitutiones Ordinis, ideoque monet, vt maior cura adhibeatur in veritate indaganda, ne attribuatur Thomæ Augusti-

niano,

niano, quod est Thomæ Argentinensis Dominicani, sicuti fecerunt Posseuinus, & Bellarminus &c. Dico (quidquid sit de alijs Operibus non bene attributis) nostrum Thomam composuisse Sermones ad Clerum, & ad diuersas spectantes materias, quod est principaliter controuersum. Exeant ad corroborandam meam prolationem duo nobilissimi testes, vnus quidem contemporaneus, & alter de visu. B. Iordanus de Saxonia lib. 2. cap. 22. pag. 172. notauit: *Item R. P. Thomas de Argentina, olim Generalis, multa solemnia Opera compilauit, videlicet super omnes quatuor Libros sententiarum scripsit subtiliter, & multos Sermones ad Clerum, ad diuersas materias, & multa alia opera vtilia*. Sebastianus Ammianus Fanensis, qui ipsius Argentinæ Elogium exposuit in principio Operis Sententiarum, hæc signauit. *Erat enim (ut ex eiusdē Sermonibus varys de rebus editis constat) in cōcionādo vehemens, & facundus, in dicēdo facilis, & apertus, in scribēdo verò claritati, & diligētiæ Orationis verborū mirā compressionē, & argutiam adiunxit*. Proferā denique alios encomiasticè loquentes. Albertus Argentinensis in Chronicis pag. mihi 156. hæc posuit: *Anno 1351. in Festo Pentecostes fuit Capitulum generale Augustinensium in Basilea, vbi fuerunt XIX. Magistri in Theologia. Papa quoque omnibus Fratribus ibidem venientibus dedit eam gratiam, quam in Iubilæo habuissent in Vrbe. Quibus fuit per Papam, Basilen; & Argentinensem Episcopos, aliosque contribuentes egregiè ministratum, & concordauit Capitulum in Magistrum Thomam de Sarburg priori anno Generalem electum, vita & scientia excellentem*. Pallas Spangel Theologiæ professor Haidelbergensis, qui primus edidit Opus super sententias, registrauit: *Est hic doctor subtilis, clarus, sanæ doctrinæ, resolutus, & in materia quantumlibet alta mediocribus etiam ingenijs satis accommodatus, magnus in artibus, in Theologia maximus, quem totus Ordo Augustinensium amore prosequitur*. Celebris Franciscus Macedo in Concentu Euchologico pag. 443. scripsit: *Aureus hic Doctor argenteam suam doctrinā Aurelij Augustini sententijs inaurauit*. Laudant denique Acutissimum Doctorem Canonicus Schonleben Libro citato in Henrico de Hassia, & primum reponit inter Theologos Vniuersitatis Vindobonensis, qui Immaculatam Conceptionem propugnarunt; Eysengrenius in Cathalogo testium veritatis fol. 138. vocans *Virum Apostolicæ vitæ*. Schedelius in Chron. Mundi 6. Ætate, Claudius Robertus in Gallia Christ; Trithe-

mius de

mius de Scrip. Eccl; alijque Bibliothecarij, ac M. S. 200. annorum Sauonæ. In fine primæ Editionis adest Elegia in laudĕ Operis, cuius aliqua Carmina subnectam. Hoc notabile à nostro Argentina prolatum inserere libet. Ad dictum Alberti Magni in 4.Sent.Quòd panis Speltæ est aptus ad conficiendum Corpus Christi, quia est species frumenti, reponit: *Ego vellem, quòd in isto puncto, & in omnibus alijs, vbi tangitur de his, quæ sunt de necessitate Sacramenti, & sine quibus non putatur esse veritas Sacramenti, nunquam Doctores Ecclesiæ sibi contradicerent mutuò, & vbicumque hoc fieret, quòd Ecclesia Romana per suam determinationem remedium adhiberet. Ita in 4. sent. dist. 11. art. 1.* Sunt itaque Opera Argentinæ.

Commentaria in Magistrum Sententiarum Libri quatuor. Argentorati apud Martinum Flach 1490. To. 2. fol. Ticini etiam, sed non vidi. Venetijs apud Iordanum Zilettum 1564. fol. Genuę apud Antonium Orerium 1585. fol. Venetijs apud Gasparum Bindonum 1588. fol.

Constitutiones Ordinis in compendium redegit, illustrauit, auxitque, vbi erat neccessarium. Hæ sunt impressæ &c.

Sermones ad Clerum, & ad diuersas spectãtes materias, vt supra probatum est.

Multaq; alia Opera vtilia.

Ad Opus in quatuor Sententiarum.

In te quàm valeat Germanæ industria gentis,
Sentiet Hispanus, Gallus, & ipse Schotus.
Per te nunc summis nostra Argentina refulget
Laudibus, hoc nato reddita clara suo.
Per te quid Thomas suus Argentinus in arcem
Diuinæ legis contulit, vsque patet.
De te (talis enim Thomas fuit) Aurelianis
Fratribus vberior fama superstes erit.
De te sana magis doctrina redundat in orbe
Ægidij, & meliùs consolidata manet.
Non Scotus, Albertus, non Doctor Sanctus, & Ocham;
In Cathedra soli deinde responsa dabunt.
Prodibunt etiam nostri monumenta magistri;
Sitque Argentini, qui velit esse sequax.
Seu placeat, facili quam dat sententia veri;
Siue quòd ex aquo catera scripta promat.
Pauca modò in nobis producat tempora lector,
Inueniet gratam cum breuitate viam &c.

195. S. THOMAS GARZIA à Villanoua. Ex honestis; Catholicisque Parentibus Thoma Garzia, & Lucia Martinez Castellana, quæ vulgò Eleemosinaria dicebatur, ortum duxit in Castro Fontisplani, Toletanæ Diæcesis. Ab ineunte ætate praeclara efflorere fecit mirifica charitatis indicia; cùm enim adhuc puerulus ad Gymnasium se conferret, ientacula, calceolos, caligulas, & vestes pauperibus distribuebat, ieiunus ipse, & penè nudus sæpe domum repetens; itaque iam adultus illud S. Iob usurpare poterat: *Ab infantia mea creuit mecum miseratio, & ab vberibus matris meæ egressa est mecum*. Adolescens liberalibus disciplinis Compluti operam nauauit, vbi inter primos alumnos celeberrimi Collegij S. Ildefonsi à Cardinale Francisco Ximenio Minorita Toletano Archiepiscopo erecti, ob singulares animi dotes, litterarumque peritiam adscitus, tali cæteros doctrina anteiuit, vt Philosophiam non multò post summa cum laude publicè docuerit, Ecclesia præclaris illustrata discipulis, præsertim Dominico Soto eximio Prædicatorum Ordinis Theologo. Salamanticam inde vocatus Artium Cathedram vltrò oblatam recusauit, quia veræ sapientiæ studio illectus Christi militiæ nomen dare decreuerat: Vnde S. Ioannis Saguntini fama excitatus, eiusdem institutū suscepit; vbi & virtutibus, & scientijs prælucens, domesticis suis sacra Theologia imbuendis delectus fuit, quo in munere non minùs intellectus, quàm animos firmabat. Diuinis deditus contemplationibus, ieiunijs, vigilijs, continuisque flagellis corpus domabat. Virginitatem, quoad vixit, illibatam seruauit. Sacrorum Librorum lectione inflammatus, humilitatis, patientiæ, ac misericordiæ operibus affixus erat. Infirmos crebrò inuisebat, quibus tantę erat consolationi, vt nullo se affectos dolore eo adstante affirmarent. Sacrum quotidie, piaculari confessione præmissa, faciebat, maiores inde vires accipiens, solitus dicere: Sacerdotem ex sacrificio ad meliorem vitæ frugem non redactum exitio propinquum. In animarum salute totus erat, audiendis Confessionibus assiduus, verbi Dei prædicatione indefessus, tanta dicendi copia, ac spiritu præditus, vt vndique ad eum audiendum confluerent, vultum eius velut Angeli suspicientes. Magnorum virorum, præcipuè Cardinalis Seripandi, & Cæsaris Caroli V; à quo sui Concionatoris munus acceperat, plausum adeptus. Inter concionandum sæpe illum extra se rapi, & in aera eleuari conspexere.

pexere. Prophetiæ dono claruit; ac Dæmones supremo imperio coercuit. Multis Castellæ, Bethicæque Prouinciæ Cænobijs sanctissimè, & prudentissimè præfuit; Fratribus sæpe inculcans, interioris hominis curam sub aspectu cadentium rerum ante habendam. Valentinam sedem post Granatensem recusatam ab Imperatore ob eius vitæ sanctimoniam oblatam ex obedientia Superiorum admisit. In munere Pastorali religiosæ viræ normam, quam nunquam dimisit, viriliter excoluit. Verè Pater Pauperum fuit, quos à prima vsque ad extremam horam, non pæcunia solùm, sed opere, labore, & consilijs subleuauit. Porrò illud in primis memorandum, quòd quatuor millium aureorum subsidium à Canonicis sibi delatũ, ad reficiendum illius Vrbis Xenodochiũ, quod incendio conflagratũ fuerat, statim conuertit. Ipso pro indigentibus flagitante, vacuum horreum illicò ita exuberauit, vt præ nimia graui afluentia fores neutiquam reserari potuerint. Vt Ecclesiam sibi commissam componeret, & obscuros peccantium mores elucidaret, præter iteratas suæ Diœcesis visitationes, & Synodi celebrationem, orationi assiduè insistebat. Ascensionis Dominicæ Festo, horis diurnis assistens, ad Antiphonam Nonæ, *Videntibus illis &c.* è terra sublatus, integro duodecim horarum spatio prorsus immobilis, videntibus omnibus, permansit. Ad imaginem Crucifixi vehementiùs orans hanc vocem audiuit: *Æquo animo esto, in die Natiuitatis Matris meæ venies ad me, & requiesces.* Eo ex tempore certum sui obitus diem præsentiens, quos Ecclesiæ redditus secum tenebat, & reliquam supellectilem in pauperes profudit, & cùm nihil superesset, cuidam egeno cubile quoque, in quo morti proximus iacebat, donauit. Migraturus è vita priùs Christum in Missæ sacrificio sub hostia latentẽ expetiuit aspicere, sacraq; Synaxi refectus, ad illa verba: *In manus tuas Domine &c.* ad Superos euolauit anno Domini 1555; ætatis suæ 68. Illius funeri plusquam octo millia pauperum collacrymantium interfuere. Corpus in Beatissimæ Virginis de Succursu nostri Ordinis Ecclesia sepultum iacet. Eum miraculis ante, & post mortem illustrem supremus Pontifex Alexander VII. optimè de nostra Augustiniana Religione meritus, in Festo omnium Sanctorum anno 1658. pompa singulari Sacris Fastis adscripsit. Meritò Eminentissimus Cardinalis Bona in Indice Auctorum Harm. Psal. Ecclesiæ signauit: *Thomas de Villanoua Archiepiscopus Valenti-*

nus, sanctitate; & doctrina vniuersam Hispaniam illustrauit. Innumeri fuere, qui D. Thomam celebrarunt. Obseruetur principaliter Concistorium sacrum in Canonizatione ipsius, in quo exarantur vota Summi Pontificis, Purpuratorum, ac Infulatorum editum Romæ 1659.4. ex Typographia Cameræ Apostolicæ; Deinde Florentiæ per Franciscum Onufri eodem anno curante celeberrimo nostro Concionatore Iosepho Bonafide, & inibi numerosissimi Encomiastæ inuenientur. Vitam ipsius edidit Hispanicè Michael Salon Cathedraticus Valentinus Aug; qua in componenda videtur spiritum mutuasse ab ipsomet S. Thoma. Eadem edita est Italicè à Francisco Soto Decano Capellæ Pontificiæ. Alteram Hispanicè dedit Hieronymus Cãton quoque Augustinianus. Lusitanicè Eduardus Pacheco Vlysipponæ 1629. 4. Belgicè Matthias Pauli Hasselensis Louanij apud Hastenium 1660. 8. Gallicè Simplicianus à S. Martino. Tolosæ apud Ioan. Boude 1659. 8; & P. Claudius Maimburg Augustinianus Parisijs 1666. 12. Italicè Illustrissimus Io. Baptista Penne Perusinus 1658. Romæ in 4. Latinè P. Nicasius Baxius Antuerpiensis. Elogium cum effigie propria efformauit Cornelius Curtius. In solemni Apotheosi Relationem Festorum descripsit P. Sigismundus Tamagninius Recanetensis Angelicæ Bibl. Custos. Pompas sacras Religionis exhibuit P. M. Ludouicus de Casa &c. Opera ipsius sunt.

Conciones, ac expositio in Cantica Canticorum. Compluti apud Ferdinandum Ramirez 1581. To. 2. Fol. mei Petri Guerreri Vzedæ opera, ac in principio vitæ apposita edita ab Illustrissimo Episcopo Segorbiensi Ioanne Mugnatonio Augustiniano. Brixiæ apud Societatem 1603. 4. Coloniæ 1614; & 1618. apud Antonium Betzerum 4. Denuo edidit Io: Baptista Penne supranominatus Vigiliarum Episcopus adiuncta S. Vita, Elogijs, & Indicibus. Romæ apud Angelum Bernabò 1659. fol; etiã Coloniæ 1661. To. 2. 4. Ac vltimò Opus ad medietatem auctũ ex M.S. illius Sancti per S.T. Prof. Patrem Antoninum de Vvite Belgam Augustinianum. Prodijt Tomus primus Bruxellis typis Ægidij Strickvvant 1685. 4. Tomus Secundus ibidem per Petrum Vãde Velde 1690. 4. Tomus Tertius ibidem per Iudoc de Grieck 1695. 4. Alios Tomos adhuc non vidi, quinque enim esse debent. In secundo To. inter alia noua adsunt expositio in Apocalypsim, tamen incompleta, & docta Concio de Immaculata Conceptione Virginis.

196. THOMAS PENCHET Anglus, Monasterij Vvaringtonensis eximius alumnus, S.T. Doctor excellentissimus, suo

tem-

tempore Ordinem nostrum, & patriam egregiè illustrauit. Tanto etenim in Philosophicis, & Theologicis studijs effulsit splendore, vt omnium eruditorum oculos in se converteret, acclamatusq; fuerit in disceptationibus alter subtilissimus Doctor, & in declamationibus ornatissimus. Hæ raræ dotes ipsius anno 1469;& 1470.illum ad totius Anglicanæ Prouinciæ nostræ regimen extulerunt. Deinde 1473. ad Cathedram Theologicam in præcellenti Vniuersitate Oxoniensi, & 1474. in Patauinam Academiam vocatus ibidem quoque subsellium scholasticum obtinuit, eoque tempore subtilissimi Ioannis Duns Scoti Quodlibeta impressioni tradidit. In patriam postea reuersus primam Cathedram 1477.reassumpsit; inibique suæ Prouinciæ gubernio denuo admotus. Denique anno 1487. die 20.Maij Londini decessit, ac in Ecclesia nostra tumulatus est. Vir reuerà fuit Thomas Penchettus celeberrimæ famæ; ac vti testatur Sabellicus Ænneade 10. lib. 8. *Pontificij, Cæsarijque iuris illa tempestate Princeps*. Et meus Bergomas Forestus in suppl.Chronicorum addidit: *Ob doctrinæ magnitudinem ex Anglia in Italiam vocatus, Patauij publico salario diu Sacram Theologiam docuit, & vt alter Esdras Hebræus, incredibili memoria præditus, Scoti opera tam exactè retinebat, vt exemplaribus destructis, reuocare omnia sciret. Inde frequenti auditorio Patauij rogatus, emendatissima illa, & quasi denuo edita, typographis excudenda tradidit*. Verùm huius excelsæ famæ lucidus splendor anno 1483.aliqualiter obtenebratus extitit; proprium enim nomen, & Ordinem maculauit, quia sæcularibus rebus se immiscere voluit, & Richardo III. Regni vsurpatori consilijs, & concionibus plus iusto fauere. Fusiùs successum aperit ex Balæo, Arpsfeldio, & Pitsæo Anglis Scriptoribus meus diligentissimus Herrera To.2.Alphabeti pag.658.Doctrinæ autem Penchetti memoria numquam interitura est tam in nostro, quàm in Seraphico Ordine. Iuridicè ergo exposuit Illustrissimus Episcopus Nicaraguæ Ildefonsus Brisenno Minorita Chilensis in lib.1.sent.Scoti §.18. n.14.pag. 78. *Illud silentio non prætereundum, in quo Franciscanus Ordo clarissimæ Augustinianorum familiæ se agnouit obstrictum, quòd primus, qui hæc Oxoniensia Scoti scripta prælo commisit (per Albertum de Standael anno 1474.paulò post impressoriam artem inuentam)fuit Thomas Penket Anglus Augustinianus; sicut & anno 1617. idem opus Scoticum recusum fuit à Paulino Berti Lucense, etiam Augustiniano,*

qui

qui præfixit Oxonienſibus Commentarijs ornatiſsimum Elogium, de vita, & doctrina Scoti. Addendum quoque eſt, quòd facundus Orator meus Michael Hoyerus Flander edidit *Orationem pulcherrimam encomiaſticam de ſanctitate vitæ, & divinæ ſapientiæ Ioannis Duns Scoti Doctoris Mariani, & ſubtilis*. Duaci typis Auroi 1640.4;& Angelus Roccha Pontificij ſacrarij Præfectus, & Epiſcopus Tagaſtenſis editioni Romanæ Operum S. Bonauenturæ inſudauit, vt videre eſt præſertim in Dedic. To.3; & in Epiſtola ad Lectorem. Opera noſtri Penchet ſunt ſequentia.

Summa Dialectices lib.1.
Elucidationes naturaliū lib.1.
Philoſophantium præceptiones lib.1.
Lecturæ ſententiarum lib.4.
Placita Theologica lib.1.
Conciones ad vtrumque ſtatum lib.1.
Caſtigationes in Quodlibeta Scoti lib.1.
Annotationes in S. P. Auguſtinum lib.1.
De arte ſermocinandi lib.1.
Actus Magiſtrales lib.1.
In Ariſtotelis metaphyſicam lib.12.
Ordinariæ diſputationes lib.1.
Lectiones ſupra Scotum lib.1.
Multaque alia non nota.

197. THOMAS TVREIA Anglus, ſiue de Stureia S. T. Doctor celeberrimus. Tam ardens litterarum amator extitit, vt non tantùm ei ſufficeret ſcientias perfectè poſſidere, ac Eruditos excolere, ſed viriliter, quoad poterat, omnes hortabatur, inflammabat, trahebat ad veram ſapientiam adipiſcendam: Aſſerebat enim nullibi veram felicitatem, & vtilitatem, niſi in ea ſitam eſſe. Omnes Scriptores tam Angli, quàm noſtri nil aliud de Tureia proferunt, niſi ſupradicta, diuerſimodè tamen exprimentes, aiuntque claruiſſe anno 1370. Aliqua verò exponam ex meo Ghirardaccio in 2.To.Hiſtoriæ Bononienſis lib. 25. pag. 350; quæ nullus hucuſque obſeruauit. Anno 1376.Gregorius XI.Pontifex miſit Bononienſibus ſuum Nuncium Thomam Tureiam Anglum Eremitanum, qui verbis, & rationibus efficacibus ſuadere curauit Bononienſibus rectam Pontificis mentem. Fuerunt Tureiæ verba à Senatu audita, & gaudere oſtenderunt Ciues. Poſtea reſponſum dedere: Ipſis multùm gratum fore Pontificem ſe benignum demonſtrare, ſed interea oculatos ſe permanere velle, ac expectare exitum Oratorum, quos ad eundem Pontificem miſerant: qua reſponſione habita Thomas Tureia magnus Theologus

logus; & illustris Scriptor Auenionem reuersus est. Scripsit itaque.

Moralitates in Apocalypsim lib 1. *Vidi Angelum Dei per mediū Cœli &c.*

De Sacramentis lib. 1. *Inter opera nostræ salutis.*

Exceptiones Philosophorum lib. 1.

De vtroque sæculo Prognosticon lib. 1.

Declamationes quasdam lib. 1.

Variaque alia.

198. VGOLINVS MALABRANCA Patritius Vrbeuetanus, vir celeberrimus, ac sui æui longè doctissimus. Prima ipsius memoria à me obseruata est sequens: Anno 1304. præsentauit in autentica forma Card. Bernardo tit. S. Marci Legato Apostolico, tunc in Monte Falisco residenti, Bullam, nunc asseruatam in nostro Perusino Archiuo, Clementis VI; anno eiusdem Pontificis 7. Postea 1358. cum Magistro Francisco de Fulgineo deputatus extitit à Capitulo Generali Examinator eorum, qui ad conciones habendas destinandi erant. Anno 1364. Episcopus Vrbeuetanæ patriæ electus à Capitulo, sed à Pontifice, qui iam alium designauerat, confirmationem non obtinuit. Eodem quoque anno selectus fuit à Cardinali Androuino, secundus in ordine, inter nouem doctissimos Theologos, qui instituere, & fundare debebant, mandante Innocentio VI. Pontifice, famigeratum Theologorum Collegium Bononiense. Deinde congregati Patres Ordinis Auenione in Gallia, prospectis lucidis meritis, & virtutibus Vgolini, eum primum Religionis Præsulem instituerunt. Demum 1370. ob præclara gesta in Romanæ Ecclesiæ vtilitatem Vrbanus V. Constantinopolitanum Patriarcham illum creauit; & anno 1471. ad Ariminensem Cathedram regendam Successor direxit. Eam prudenter, & perfectè annis tribus administrauit, multoties verò absens, quippequi à Pontificibus explicandis grauibus negotijs sæpissime adhibebatur. Dum digressus Parisijs Romam reuerteretur, in Oppido tunc, nunc ciuitate Aquæpendentis ad feliciorem vitam migrauit. Eius corpus Vrbemueterem delatum in nostro D. Augustini Templo conditum est. Plurimi Scriptores reponentes Vgolinum 1290. causa fuere, quòd aliqui nostri Historici, inter quos dignissimus Herrera, constituerint nostro in Ordine duos Vgolinos Malabrancas: Hanc tamen diuisionem faciendam non esse rationibus tam

eui-

euidentibus ostendit eruditus Torellus ad dictum annum, scilicet To.5.Sæculorum à pag.101.vsque ad 103;vt non aliter iudicandum esse putem. Vghellus etiam videtur Torello adhæsisse, cùm scripsit To.2.col.432.*Bzouius ad annum 1291; sed malè hoc anno obijsse refert, adhuc fortè non natū.*Fuit noster B.Vgolinus Malabranca, Trithemio, & Coriolano testibus, disputator acerrimus, ac in diuinis Scripturis longo studio exercitatus, & satis eruditus, ingenio subtilis, moribus, & vita spectabilis, neque apud quemquam diffidebat vtramque contradictionis partem defendere. Subtilissimus in sententijs, breuiloquus, distinctus, & formalis in dicendo, communia relinquens, ad singularia quædam, & propria se extulit. Plurimi sunt Scriptores encomiasticè de ipso loquentes, vltra nostros, videlicet Sabellicus Ænn.9.lib.7. pag.257;Ciacconius in vita Honorij IV. pag.mihi 780; Auctor Addit. ad Belluacensem pag.471; Arthmannus Schedel in Chron.pag.218;Volaterranus lib.22.Antropol.cap.Ord.Erem.Viri, Guillelmus Eysengrenius in Catalogo testium veritatis pag. 125; vocans *S. Hugolinum*. Raphael Adimarius in situ Vrbis Arimin. pag. 131; Marraccius, Posseuinus, Gesnerus, Frisius, Illustrissimus Amicus Comes Leo Albericus Vrbeuetanus in 2.To.suorum Italicorum Poematum, alijque. Abraham Bzouius in Annalibus To. 12. col. 1007. innuit *Vgolinum Summi Pontificis ad Imperatorem Constantinopolitanum destinatum fuisse Legatum, & dum disponeret proficisci, è vita excessisse*. Non est prætereundum sequens notabile ex meo Torello To. 6. pag.148. *Nostro tempore modernus Theologus Religionis multùm conspicuæ, quem ob reuerentiam non nomino, ex Commentarijs nostri Vgolini extraxit maiorem partem sui Theologici Operis, ideoque se reputari fecit valde diuitem ingenij, & scientiæ: Modus reuera facilis citò magnum Doctorem apparendi apud illos, qui mysterium ignorant; sed apud illos, qui Antiquorum scripta euoluerunt, bonus Amanuensis, non doctus Scriptor reputatur*. Vtinam Torellus nomen indicasset, quod aliqua adhibita diligentia adhuc scire non valui; isti enim, qui aliorum famam surripiunt, detegendi sunt, vt cæteri tali rubore concussi simile piaculum patrare non audeant. Monaldus Monaldeschi Historicus Vrbeuetanæ Ciuitatis pag.62; postquam aliqua in Vgolini laudem exarauit, scripsit: *Composuit plura, quibus Mundus non fruitur, fortè in patriæ nostræ infortunium*.

Com-

Commentaria in quatuor libros Sententiarum. Opus à Ven. Alphonso de Orosco, & Coriolano vocatur altum, solemne, ac in magno habendum pretio. Adest M.S. in nostris Angelica Romæ, Mediolanēsis s.Marci, Bononiēsi, & Carbonaria Neapolis, etiamq; Venetijs in s.Francisci de Vinea, & in primo libro tantùm in Bibl. ss.Ioannis & Pauli, vt Thomasinus pag.29.& 106.scripsit.

Quæstiones super octo libros Physicorum par. 2. Prima pars, scilicet in quatuor primos, est in nostra s.Marci Mediolani.

Quæstiones super Prædicamenta, & Perhiermenias lib.2.

De Idiomatum differentia lib. 2.

De Deo Trino, & vno lib.1.

Sermones de tempore lib.1.

Sermones de Sanctis lib.1.

Commentaria in Boætium de Philosophica Consolatione. Bononiæ, & Parisijs in Bibliothecis Ordinis.

De principijs Ordinis; De sacris Disciplinis; Aliaque. Plura ex his seruabantur olim in nostris Bibliothecis, vt asseruit Pamphilus.

199. VLDERICVS, vel VLRICVS SCVLTETVS à Lenzburg, siue Lutzenburgensis Theutonicus S.T.Doctor. Is genere nobilis, doctrina, & virtute illustris, Rhetor, & Philosophus clarissimus, celeberrimus Historicus, & sui æui acutissimus Sacræ Scripturæ expositor eluxit. Matthiæ Filio Henrici Comitis de BucheKe, & Lantgrauij de Burgunden, Vxorique eius Filiæ Comitis de Straesberg à sacris Confessionibus præfuit, qui in magnam existimationem eleuatus, tandem post multos labores, & post obitum ipsius D. Matthiæ anno 1333. 62.Curiensis Episcopus in Rhetia à Ioanne XXII. declaratus fuit. Hic strenuè se gerens Dominum de Vatz antiquum Ecclesiæ Curiensis persecutorem, vsque ad ipsius de Vatz extinctionem, persequi non cessauit, qui antea Episcopos Curienses, & Dominos eis assistentes destruebat. Sub ipsius Ecclesiæ Curiensis Dominiū accessit Reitebergum,& Ca strū Tumiliascæ pro 1500.aureis à nobili Viro de Lādario emptū. Anno 1337. Alberto, & Otthoni Fratribus Austriæ Archiducibus Castrum Marsilinum, in Rhetia situm, in feudum concessit; ac Cæsarea facultate obtenta, S.R.Imperij Pincernam primum declarauit. Eodem anno à Germaniæ Principibus ad Benedictum XII. pro Ludouici Bauari Imperatoris reconciliatione Legatus missus fuit; sed licèt efficaciter se gesserit, & Pontifex eum libenter audierit, tamen ob duritiem Bauari, quod optabat, perficere non potuit. Anno 1346. Episcopus Vldericus cum suis apud Athesinos à Ludouico Romano, Ludouici IV.Impe-

ratoris filio, prælio superatus fuit,& cum multa Nobilitate captus, sed Victoris benignitate mox liberatus. Anno 1348. in Ciuitate Pragensi à nouo Imperatore electo Carolo IV.confirmationem Priuilegiorum, & Castrum Montani in Vennonibus obtinuit, ac anno sequenti oppignorationem Præfecturæ Imperij suæ Curiensis Ciuitatis pro 360.Marcis argenti. Denique 1355; postquam suis præfuisset 23.annis apud Strenuctium piè decessit, sepultusque fuit in sua Cathedrali Basilica. Laudatur à nostris, etiamque à Cratepolio Minorita in Catalogo Episcoporum Germaniæ pag. 786; ab Alberto Argentinensi in Chron. pag.168; Eysengrenio pag.134; à Posseuino To. 2. Appar; & à Lib.8. Reipublicæ Rheticæ, & lib.3.Palladis Rhetiæ Fortunati Sprecheri &c. Scripsit *Vitas Sanctorum Lucij, & Amisonis Pontificum, aliaque,*

200. ZACHARIAS DE BOZONIS Sauonensis. Hic in Millesimi Oppido natus est, & Sauonæ nostræ Religionis habitum induit, ideoque Sauonensis dictus. Cùm Cœnobium S.Augustini anno 1462.ad Insubricam Congregationem transijsset, ipse quoque eidem Congregationi incorporatus extitit. Prædicti Cœnobij anno 1493.Prior electus, durauit in gubernio vsque ad 1496.Per aliquot annos in D. Petri primaria Basilica Pænitentiarij officium gessit. Dein à Iulio II.Sauonensi supremo Pastore, qui cum diligebat 20.Augusti 1504.Pontificij Sacrarij Custos declaratus; eodemque anno 20. Octobris, quidquid dicant alij, de hac vita exiuit. Ait enim Magister Cæremoniarum Burchardus in Diarijs: M.D.IV. *Dominica 20. Octobris Fr. Zacharias de Sauona Professus Ord. Eremitarum S.Augustini Sacrista Capellæ S.D.N.ante duos Menses, vel circa per Papam deputatus in Camera suæ Sacristiæ dictæ Capellæ diem clausit extremum*. Torellus ad dictum annum eum S.T.Magistrum vocat, nescio tamen,quo fundamento. Memorant nostri Scriptores,& liber M.S. dicti Cœnobij Sauonensis iam citatus, quem sæpius obseruaui,dum inibi degerem tempore Prioratus sinceri Amici S.T.Lectoris P.Io: Euangelistæ Rossi nobilis Genuensis, ac Oldoinus in Liguriæ Scriptoribus pag. 542. reponens: *Scripsit Tractatum de Sacris Ritibus, qui M. S. custoditur in Bibliotheca Vaticana.*

Adde n.4.pag.28. *Ægidius Romanus alias de Columna, ex nobili nempe Columniensium Gente oriundus, Ioannis de Columna*

Car-

Cardinalis, qui anno 1244. *obijt, abnepos, S. Thomæ Aquinatis auditor fuit in Gymnasio Parisiensi; adeoque in omni litteraturæ genere profecit, & inclaruit, vt Philippi IV. Regis, quem Pulcrum appellarunt, meruerit esse Didascalus, seu Præceptor. Quo deinde impulsore librum de Regimine Principum composuit, & edidit. Ad Augustinenses Eremitas se contulit, quorum & Prior fuit. Reuertentem à sacris Remensibus Philippum ann.* 1286. *eleganti Oratione nomine Vniuersitatis excepit. Demum an.* 1295. *post Simonem de Bello-loco &c. postulante Rege ad Archiepisc: Bituricensem prouectus est &c.* Ita Cæsar Egassius Bulæus Rector, & Scriba Vniuer-Parisiensis in Historia eiusdem Vniuer. Impr. Parisijs 1668. fol. To. 3. pag. 671. in Catalogo illustrium Academicorum quinti Sæculi Lit. A. Deficiunt in Catalogo dicti, & sequentis sæculi Alexander de S. Elpidio, Alphonsus Toletanus, Iacobus Viterbiensis, Bernardus Oliuerius, Thomas de Argentina, alijque viri præclarissimi ex meo Ordine, quos manifestissimè constat fuisse Doctores Sorbonicos.

Num. 6. pag. 38. *Albertus de Saxonia ab anno circiter* 1350; *ad annum* 1361. *in Philosophiæ professione plurimùm inclaruit. Nationis Anglicanæ non semel Procurator fuit; Rector autem Academiæ electus mense Iunio an.* 1355; *munus istud summa cum laude exercuit. Eo Rectore duplex Vnieursitati sustinenda lis fuit, vna aduersùs Præpositum Parisiensem Academiæ priuilegia conuellentem, altera contra Theologos præpositionem in actis publicis Rectori denegantes. Eidem an.* 1356. 16. *Iulij congregata Artium facultate apud S. Iulianum* concessum fuit, quòd posset legere in diebus festiuis post sermonem in Domo sua vnum librum de morali Philosophia, quem vellet; vt legitur in Actis Nationis Anglicanæ. Et ad ann. 1359. 10. Februarij. *Facta Congregatione Facultatis Artium ad Sanctum Iulianum supplicauerunt M. M. Albertus de Saxonia, vt diebus festiuis posśit legere post Sermonem Politica, & Robertus Normanus, vt eadem hora posśit legere Ceutilog. Tholom; vel Quadripartitum Tho. Quod ambobus concessum erat in hunc modum, vt ipsi non impedirent supplicationem alicuius Magistri volentis supplicare pro legendo in eadem hora. Fratrem habuit Ioannem de Saxonia, qui incepit sub Magistro Henrico de Saxonia Mense Augusti an.* 1358. *Demum ab Vniuersitate primus, quantùm conijcere, licet Curio Parochiæ SS. Cosmæ, & Damiani præsentatus est, translato scilicet*

licet paulò ante ad eam Patronatu. Supracitatus Bulaus in nota-ta Hist. Vniuers. Paris. Tom. 4. pag. 949. in Catalogo 6. sæculi lit. A. Tametsi vltimus citatus annus, in quo Beneficium Ecclesiasticum notatum 1367. obtinuit, non conueniat cum electione ad Episcopatū Alberstatensem nostri Alberti an. 1366; nihilominus eundem esse firmiter teneo, nam omnia alia cohærent: Constat enim ex Gabriele Buccelino, & ex meo de Meppis Albertum fuisse ante Episcopatum Doctorem, & Professorem Parisiensem. Facilè error irrepsit in assignando anno &c.

Num. 84. pag. 152. In Musæo Illustrissimi D. Camilli Maximi March. Arsuli, Arcis siccæ &c. Romæ vidi Opus Ciceronis de Officijs impr. in membr. 4; in cuius fine hæc adsunt verba. *Præsens Marci Tulij clarissimum Opus Ioannes Fust Moguntinus Ciuis non attramento, plumali Canna, neque ærea, sed arte quadam perpulcra Petri manu pueri mei feliciter effeci. Finitum anno MCCCCLXV.*

* *
*



Erudi-

Eruditissimis, doctissimis, ac plurimùm colendis Patribus Danieli Papebrochio, Conrado Ianningo, & Collegbis Societatis Iesu Actuum Sanctorum Collectoribus.

CVm aliqua ad D. Nicolaum Tolentinatem, ac Beatas Claram de Monte-Falco, Ritam de Cassia, Christinam de Vicecomitibus, ac alios Beatos, & Venerabiles mei Ordinis spectantia edere curauerim, vt vel Concionatores pro Sermonibus, vel Historici, qui earumdem Beatarum Vitas texere voluerint, sciant, è quibus fontibus notitias haurire possint, Vestris præclarissimis nominibus à meo obsequioso genio compulsus sum inscribere. Porrò non hoc feci, quia putem Vobis ea incognita fore, cùm ab editis numerosis Voluminibus admiratus sim vastum Oceanum Vestræ eruditionis: Sed ideo transmittere libuit, vt ea, quæ indigent castigatione, à Vestro accuratissimo iudicio purgentur, quæ restauranda reparentur, quæque elucidanda illustrentur. Excipiant, quæso, Dominationes Vestræ consueta benignitate, qua pollent, hanc exiguam oblationem; & ne dignentur me subsignare posse

D.D. V.V. plur. Reuerendarum.

Die 1. Aprilis 1704.

Humillimum, ac addictissimum Seruum
Fr. D. A. Gandolfum Augustinianum.

Relatio

Relatio Vitæ S. Nicolai de Tolentino ab Aduocato Concistoriali coram Eugenio IV; ac Purpuratis Patribus facta ante ipsius Canonizationem, excerpta ex insigni M. S. Bibliothecæ S. Augustini Senarum.

RECOLENDÆ memoriæ NICOLAVS de Tolentino Ord. Erem. S. Augustini natus est ex legitimo matrimonio contracto inter Amatam, & Compagnonum de Castro S. Angeli Firmanæ Diœcesis Parentes eius Catholicos, & Christianos fideles, qui pro habenda prole voto eundi peregrè ad Beatum Nicolaum de Bario emissum, cùm ab Angelo admoniti in somnijs, vt surgentes ad Sanctum Nicolaum de Bario properarent, & quòd ibi eis diceretur, qualis erit nasciturus ex eis, promptè perrexerunt. Ipsis in pauimento Ecclesiæ ante B. Nicolai Altare dormientibus, sanctissimus Nicolaus in habitu Pontificali apparuit dicens: Angelus, qui vobis apparuit, mihi dixit, vt ad vos venirem nuncians, & confirmans, quia vobis meo obtentu nascetur filius, & vocabitur Nicolaus, vt meo fungatur nomine. Hic erit Christo acceptissimus, Religiosam, arctamque vitam ducens, Sacerdotio erit insignitus; acceptabile Sacrificium offeret Deo, cuius vita terminabitur alto miraculo, signis, & prodigijs fulgens. Hic Nicolaus legitimus Christianus inter fideles Catholicos conuersatus, & pro tali habitus; adhuc paruulus Mulierum, & Puerorum consortia vitabat dicens, se velle effici Fratrem Eremitam. Ad diuina libentissimè accedebat, & Verbum Dei desiderabiliter audiebat, quod inde homines admirantes dicebant: Si Paruulo isti Dominus vitam concesserit, Sanctus erit.

De ingressu, & progressu eius in Ordine.

In iuuenili ætate ingressus est Ordinem Sancti Augustini in dicto Castro S. Angeli, factus Presbyter ab Episcopo Auximano, & postmodum venit Tolentinum, inhibique mansit, nec inde recessit, donec vixit.

De eius humilitate,

Fuit conuersatione humilis, & benignus, obediens Priori, & Fratribus.

De eius

De eius Castitate, & Munditia.

Castitatis munditiam diligens, concupiscentias, tentationesque malas evitare volens, carnem propriam crucifixit, castigando corpus suum ieiunijs, vigilijs, orationibus, castigationibusque duris, vitam asperam, arctam, mundam, & castam transduxit. Disciplinabat se vincis aliquando, interdum corrigijs, & quandoque catenis.

De assiduitate Orandi.

Præter horas constitutas, in quibus continuè primus erat, quasi semper orabat. Omni die, vt plurimùm, etiam tempore infirmitatis, dummodo posset ambulare, dicebat Missam cum multa deuotione, & lacrymis; & semper antequam celebraret, confitebatur. Orationi erat assiduus, post completorium vsque ad Galli cantum, post Matutinum vsque manè, post Missam, nisi confessionibus occupatus, vsque ad Tertiam, & post Nonam, nisi obedientijs intentus, vsque ad Vesperam. Dicebat continuè Canticum Graduum, & Mortuorum Officia, Psalmos spirituales cum Litanijs, & multas salutationes Beatæ Virginis genuflectendo. Locus Orationis ipsius, non solùm in Oratorio apud Altare, vbi modò iacet tumulatus, sed etiam in Cella, in qua duos habebat lapides marmoreos, ad quorum vnum genuflectebat, alterum verò, ad quem lassus extensa brachia saltem frigore castigaret.

De impedimento Dęmonum in Oratione.

Dum autem deuotioni, & orationi deuotissimè insisteret, Diabolus inuidens ei duris verberibus, & terribilibus apparitionibus ipsum molestabat. Et primò dum oraret ante sanctum Altare, lampadem accensam ne dum extinxit, sed & ad terram diruens eam fregit. Secundò super Oratorij tectum stans voces diuersarum ferarum formabat, imbricesque reuoluens tectum reuoluere videbatur. Tertiò per ostium Domus, in qua S. Nicolaus habitabat, Diabolus cum furia, & terrore intrans ad Sanctum orantem accessit, ipsumque verberibus sic afflixit, quòd per multos dies vulnerum cicatrices in toto suo corpore apparebant. Quartò cum gaydam vnius suæ tunicæ

nicæ altius vellet consuere, quærens & requirens, ac inuenire non valens, dicebat. Sancte Deus, quis potuit mihi sic illudere? Verè, qui dignus non est nominari, ille mihi illusit. Ad cuius verbum mox Diabolus respondit dicens. Illusi, & illudam, & aliter tecum agam, ex quo sic te superare non possum: Tunc Sanctus Nicolaus dixit; quis es tu? Ego sum Belial datus in stimulum sanctitatis tuæ. Et ille respondit. Si *Dominus mihi adiutor est, non timebit cor meum*. Quintò in limite ostij Refectorij à Belial impingitur, & in terram prostratus, ac iterum verberatus à Diabolo, humiliter, & patienter, portauit, & ab orationibus minimè cessauit,

De Lecto, & vestimentis ipsius.

Paruo palearum Saccone contentus, Mantellum pro coopertorio, & pro capitali lapidem quandoque tenebat. Tunicis asperis, & repezzatis vtebatur, & vestimenta mollia fugiebat.

De Cibo, & Potu eius.

A Carnibus, Ouis, Piscibus, & Carnium pinguedine, Lacticinijs, & Pomis etiam abstinuit, repulsis consilijs Medicorum, precibus Fratrum, & alijs importunitatibus. Abiecto brodio ponebat aquam frigidam in coquina, si bene fuissent condita. Potabat vinum bene limphatum, & erat contentus tribus paruis sciphis inter vinum, & aquam in die.

De *Ieiunijs, & ipsius Patientia.*

Secunda, quarta, & sextis ferijs, ac Sabbato in honorem Virginis gloriosæ semel in die pane reficiebatur & aqua, ac etiam per totam Septimanam sanctam. In suis infirmitatibus erat patiens, & benignus.

De Operibus Charitatis &c.

Compatiebatur multùm in defectibus, & infirmitatibus aliorum, & de consolatione eorum gaudebat. Tribulatorum, & Infirmorum maximus erat consolator, visitabat libenter eos, & egentibus victum, & necessaria procurabat. In dando eis eleemosi-

eleemosynas erat multùm sollicitus,& ad hoc Priorem, & Diuites inducebat. Si aliquid boni fuisset sibi etiam infirmo transmissum non comedebat, sed alijs pauperibus infirmis mittebat. De operibus enim Charitatis & pietatis sollicitus. Primò infirmos visitabat, & quod delectabilius erat, pro eis procurabat, confortans eos diuinis eloquijs, compatiebatur ijsdem. Pro multis sibi confitentibus orabat, ieiunabat, celebrabat, & lacrymas effundebat coram Domino, vt à peccatorum tenebris liberarentur. Pauperes diligebat, verbo eos,& facto fouebat, vestimenta eis acquirebat, & cibos. Mæstis erat lætitia, afflictis consolatio; discordiam inter se gerentibus pax; laborantibus refrigerium, captiuis remedium. Pro Christo, & proximo non dubitabat mori. Pudicus, castus, modestus, verecundus, lætus, largus, quietus, fugiens inuidiam, repellens scandala: Cupiditate, & fantasia vacuus: Moribus ornatus, iustus, sapiens, prudens, discretus: Auaritiæ inimicus, negligentiæ contrarius; in sibi commissis perspicuus; fuit enim boni sensus, fidelis, humilis, & benignus; pallidus,& faciem habebat Angelicam. Incedebat oculis caputio, & capite inclinatis, quod vix eius facies poterat videri. Habebatur pro Sancto viro in magna deuotione, & reuerentia. Non erat aliquis, qui ei denegaret eleemosynam. Qui eius Missas & prædicationes audire, vel ei confiteri poterant, remanebant contenti. Paruas pœnitentias imponebat, & confitentes confortabat humiliter, & benignè.

De D. Nicolai transitu ex hoc Mundo.

Octo diebus ante mortem suam fecit sibi Iconem, quam semper habebat in Cella, apponi ex opposito faciei; & secundo die rogauit Virginem Mariam, & B. Patrem Augustinum, vt appariciones Christi, & ipsorum consolationem reciperet. Tertia verò die post dictas orationes apparuit Christus cum B. Maria; sicut ipse frater Nicolaus petijt, qui eis humiliter supplicauit, vt notum sibi fieret, si illis diebus transitus suus esse debebat. Tunc B. Virgo Maria dixit. Tertia die post Natiuitatem meam de hoc mũdo transibis ad Regnum Cœlorum; Sacramentis igitur Ecclesiæ receptis te præparare festina. Tunc dictus Nicolaus ab ea petijt, quòd in hora mortis suæ nullus occurreret inimicus, cum quo sic pugnauerat viuus, ad quod

dictus Fr. Nicolaus responsione non habita, deuotius orans; quinta die post appositionem Iconis Angeli vocem audiuit dicentem. Exaudita est oratio tua. Deinde octauo die post appositionem Iconis Crucem sanctam sibi ostendi fecit ipse Nicolaus astantibus Fratribus, & humiliter veniam petijt offensarũ: Ac Fratri Ioannutio de Tolentino Seruitori suo dixit, quòd semper insusurraret ad aures suas. *Dirupisti Domine vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis*. Postea in Cella eiusdem Nicolai vox lætitiæ audiebatur, & ex gaudio magno ridere videbatur. Tunc eius Seruiens dixit Nicolao. Quid tibi gaudij, & lætitiæ Pater? Idem Nicolaus post multa rogamina respondit. Deus est, & Dominus meus Iesus Christus, qui suæ Matri, & meo Patri Augustino inhærens dixit mihi. *Euge serue bone, & fidelis intra in gaudium Domini tui*. Et dicens vltimò. *In manus tuas Domine commendo spiritum meum*; iunctis manibus ad Cœlum, oculis ante Crucem leuatis, iucundo vultu, & hilari, spiritum ad Dominum commendauit. Anno Domini Millesimo trencentesimo quinto, die Sabbati X. mensis Septembris, ætatis videlicet LX.

Conclusio vitæ eius, & de miraculis.

In ordine igitur laudabiliter conuersatus, sanctitatis nitore, dum vixit, emicuit; vita & conuersatione resplenduit. Ac magnis, & multis tam ante, quàm post obitum eius; in resuscitatione Mortuorum; diuersorum curatione morborum; effugatione Dæmonum; illuminando etiam cęcos; liberando captiuos, surdis auditum, & claudis gressum præbendo; alijsque quamplurimis miraculis diuersis coruscauit. De quibus ante, & post mortem dicti Nicolai fuit, & est in illis partibus publica vox, & fama. Deinde sequitur dicto in M. S. series miraculorum vna cum Testibus de ipsis deponentibus &c.

Vltra supranotatam Relationem, asseruatur quoque in eadem nostra Bibliotheca Senensi Tomus magnus M.S. fol. Regali, in quo continetur Processus efformatus ab Episcopis Federico Senogalliensi, & Thoma Cęsennatense Apostolicæ Sedis Deputatis, & Commissarijs, nempe mandante Ioanne XXII; vt ex Bulla in ipso, & in Bullario Ordinis inserta ann. 1325. data. Testes, qui asseruerunt eum obijsse ætatis annorum 60; fuerunt Fr. Augustinus Tolentinas in ordine 271; qui illum

per plu-

per plures annos agnouit, & Fr. Ioannuccius eius Seruus in ordine 221; à me expresse obseruati in Processu. Iste Ioannuccius ille fuit, qui insusurrabat in ipsius S. Nicolai auribus tempore obitus, & illo mandante. *Dirupisti Domine &c.* Primus testis in Processu fuit Fr. Iacobus de Camerino S. T. Lector, & tempore S. Nicolai Prouincialis Marchiæ Anconitanæ. Nonus fuit Fr. Natimbene de S. Seuerino Lector, ac Prior Tolentini, quando obijt Diuus Nicolaus. Hic Natimbene facile idem fuit, ac ille creatus Episcopus Abellini 1326. 18. Februarij; nam nomen, Ordo, & tempus cohærent. Generalis Ordinis, qui in infirmitate iussit, vt carnes comederet, fuit Reuerendissimus Franciscus à Monterubiano. In iuuenili ætate intrauit Religionem, erat enim X. annorum ætatis, vel XI. ad plus, vt asseruit Testis in ordine 16; & tres alij. Ipsius Magister in sæculo extitit D. Angelus Capellanus S. Saluatoris loci S. Angeli: cui cùm dixisset B. Nicolaus, volo effici Fr. Heremita; respondit. *Mihi placet, quia eris vir bonus, & bonus eris*. Concionator, & Prior, qui in Ordine eum excepit, fuit Lector Fr. Reginaldus eiusdem Patriæ. Nec in Relatione, nec in Processu adinuenire potui, quòd ante ingressum Religionis fuerit Canonicus, seu Clericus: Vnde nescio, quo fundamento incedant aliter scribentes. Magnificus, & potens miles D. Ioannes natus quondam Nobilis, & potentis viri D. Rodulphi Camerinensis Testis 28. de eius Prædicatione asseruit. Quando prædicabat propter magnam deuotionem, quam Populus erga eum habebat, ibant multæ Dominæ ad Prædicationem eiusdem Nicolai, & etiam deposuit, quòd Gentes quę erant ad eius Conciones, multùm recedebant contentæ. Domina Aldisia Iacobucci de Tolentino Testis 91. exposuit. In Confessionibus erat multùm attractiuus Peccatorum dicendo, & exhortando, vt vlteriùs non peccarent; & offerendo se velle pęnitentiam portare pro eis. Dominus Franciscus Domini Adernolfi Testis 14. dixit. Ad hoc, vt Peccatores non diffiderent de immensitate misericordiæ Diuinæ, pro magno delicto paruam pænitentiam imponebat; contentabatur namque, vt ijdem Peccatores ad cordis contritionem redirent. Fr. Petrus de Castello Prouincialis Marchiæ Anconitanæ, & Fr. Simon de Monticulo Prior Tolentini præsentarunt Bullā Ioannis XXII. Episcopis Senogal; & Cæsennæ Commissarijs, vt efformaretur Processus Canonizationis.

 Diui

Diui Nicolai Tolentinatis Thaumaturgi, Ecclesiæ Prot ctoris, Purgatorij Patroni,& Periclitantium subsidij duo Re ponsoria. Primum Perusiæ Impressum ex Typographia Cam rali apud Hæredes Sebastiani Zecchini 1680. fol. aperto. S cundum pluribus in locis, etiamque Romæ.

PAnge vox perennia
Signa, pande munera,
Quæ Piceni prouehunt
Thaumaturgi gloriam.
Septennis redimitur
Ardens Agmen Hostijs,
Grates pandit Vindici,
Scandens Cœli Regiam.
Sciſſo Christi Populo
Pacem Diuus reddidit;
Hanc exinde confouet
Protegens Ecclesiam.
Pane vitam prorogat,
Morbos, Pestes dissipat,
Frenat ignes Maria,
Dçmonum Vesaniam.
Intumescunt aridæ
Flentes Vlnæ sanguine,
Signant Iras Numinis,
Poscunt indulgentiam.
Sciſſo Christi &c. Gloria Patri &c. Pane vitam &c.
Ora pro nobis B. Nicolae. Vt digni &c.

Oremus.

COncede quesumus omnipotens Deus, ut Ecclesia tua &c.

ÆGri tutò confugiunt
Ad Nicolai miracula,
Quæ perpatrantur sanguine,
Vnda fluente, & panibus.
Febres, dolores fugiunt,
Pestis, & lepræ macula,
Ignes, procellæ, & grandin
Mors, & omnis calamitas.
Piceni, omnesque sentiunt
Strigum retundi iacula,
Pelli Dæmonum turbines,
Acquiri resque perditas.
Febres dolores &c.
Gloria Patri, & Filio &c.
Piceni, omnesque &c.
Ora pro nobis B. Nicolae.
Vt digne efficiamur &c.

Oremus.

POpulum tuum, quæsumus Do mine, gratia tua custodiat, qui Sancti Nicolai iugiter in plorant auxilium, petitionum suarum salutaré consequantur e fectum. Per Dominum nostru &c.

Quatuor Anagr; & quatuor Disticha prorsus non contemnenda addere libet, à quibusdam Viris doctis in D. NICOLAI laudem exposita.

Beatus Pater Nicolaus Tolentinas.

Anagramma purum.
O Lucens, vt alter Ioannes Baptista.

Disti-

Diſticon.

O lucens Mundo, vt alter Baptiſta Ioannes!
Ergo inter natos Tu quoque maior eris.

Nicolaus Tolemtinenſis.

Anagramma purum.
Ineſt ſalus omni colenti.

Diſticon.

Quo fluitis gentes? Omni ſalus ecce colenti
Nomine dulcis ineſt condecorata ſuo.

Magnus Pater Nicolaus Tolentinas.

Anagramma mutatur P. in R.
Conſanguineum à Tartaris tollens.

Diſticon.

En Conſanguineum rapit ima ad Tartara euntem;
Quod Cithara Orpheus, fecit & iſte prece.

Beatus Pater Nicolaus Tolentinas.

Anagramma purum.
Scito, vt nos Pane ſanat, vel liberat.
Diſticon exprimens virtutes Panis S. Nicolai.
Arcet, adauget, fert, domat, impedit, aufert.
Morbos, Vitam, aurum, flumina, tela, focum.

Series eorum, qui ex Ordine Auguſtiniano vel vitam D. Nicolai, vel aliqua ad geſta ipſius ſpectantia ediderunt.

1. VEn. Alphonſus ab Oroſco in Chronicis Ordinis lingua Hiſpanica editis, vt iam in diſſertatione.
2. Ambroſius de Maſſarijs Coranus pariter in Chronicis, & in expoſit. Regulæ, vt iam notatum.
3. Ambroſius Frigerius de Baſſano Vic. Gen. Cong. Inſubriæ, & Iacobus Albericus de Sarnico quoque Vic. Gen. Vi-

tam

tam ediderunt Italicè. Camerini 1588. 4. Mediolani 1603. Romæ ex Typographia Apostolica 1610. 4. Albericus etiam dedit Compendium. Ferrariæ typis Victorij Baldini 1588. 4.

4. Ambrosius Senensis ex Collegio Theologorum, vir doctus, exposuit Vitam Latinè redditam per Scipionem Iardinum Maceratensem primarium Iuris interpretem in Macerat. Gymnasio. Prima lingua Italica impr. fuit Venetijs per Bernardinum Benalium 1524. 4. Secunda Maceratæ per Siluestrū Martellinum 1592. 4.

5. Andreas Gelsominus Cortonensis Episcopus Asculanus in Apulia de D. Nicolao pluries in Libro Thesaurus cælestis deuotionis Mariæ Virginis Deiparæ. Paduæ 1618; & Venetijs per Guerilium 1625. 4. Ac edidit Librum sub hoc titulo. Origo,& miracula Paniculorum S. Nicolai Italicè. Sæpius impr; & præcisè Parmæ apud Viotum 1626. 12.

6. Andreas Leueratus, seu à S. Thoma Genuensis Italicè dedit Vitam, & miracula D. Nicolai. Genuæ apud Ferronum 1644. 8; & 1671. 8.

7. Antonius Dulciatus Florentinus Vitam edidit, vt suo loco in dissertatione.

8. Bernardus Nauarrus Hispanus patria lingua vitam in lucem emisit. Barchinonæ 1614. 4. Tertia tamen pars de Miraculis Paniculorum est Christophori de Bustis.

9 Camillus Thoma Æsinas Religiosus pius dedit Originem., & Miracula Paniculorum lib. 3. vice editus.

10. Carolus Milanutius à S. Natolia Musicus, Poeta, & Orator pariter dedit de Miraculis Paniculorum. Venetijs per Iuliani 1632. 8.

11. Cornelius Curtius Belga, Historicus Cæsareus, & Religionis Vitam exposuit. Antuerpiæ apud Io. Cnobbarum 1637. 12.

12. Cornelius Dielman Belga Gandensis in Norma vitæ Monasticæ. Gandauj Typis Vanden Berghe 1648; ac de Pane benedicto. Ibidem 1643. 12.

13. Donatus Caluus Bergomas Vic. Gen. Insubriæ, edidit Italicè. *Saggio della Vita, e meriti del glorioso S. Nicola*. Bergomi apud Rubeum 1652. 12. Maceratæ apud Phillppum Comaci 1654. 12.

14. Fulgentius Alghisius Casalis S. Euasij Theologus, Concionator, & Prior, sex Libris continentem Vitam dedit Italicè. Casali per Franciscum Martha 1647. 4. 15.

15. Guilkelmus de Anselmis à Monte-Falco in sua Concione 4. aliqua historicè narrat &c.

16. Hieronymus Roman Hispanus in Chronicis Ordinis lingua patria 1569. fol. Edita quoque est ab eo Vita Cęsaraugustæ 1600. 8.

18. Hieronymus Seripandus Gen. Ord; & Purpuratus in Comment. rerum Ord. notatis suo loco.

19. Iacobus de la Porte Prior Insulensis Flander. De Pane benedicto S. Nicolai Gallicè. Duaci apud Balthassarem Bellerum 1647. 8.

20. Iacobus Philippus Forestus, de quo iam suo loco, in supplem. Chron. lib. 15. ad annum Christi 1446.

21. Ioachimus Brulius Flander vir eximius in Historia Peruana edita Louanij apud Leestenium 1651. fol. plura miracula à D. Nicolao in Peruvijs patrata narrat.

22. Ioannes Baptista Carminatus vitam dedit, vt apparet ex Gelsomino, sed adhuc non vidi.

23. Ioannes Baptista Collensis Etruscus clarissimi Bartholomei Scalæ Reipublicæ Florentinæ Cancellarij Compatriota, & Amicus scripsit Vitam breuem, quæ M. S. seruatur in nostra Bibl. Collensi, incipiens. Historia de Vita B. Nicolai, & de eius Natiuitate, quæ fuit ab Angelo adnunciata. *Noua lux oriri visa est, gaudium, honor, & tripudium apud omnes gentes &c.* In fine adsunt duæ laudes Italicè, vna pro S. P. Augustiuo, altera pro D. Nicolao, cuius initium. *Beato Nicolò seruo di Dio, stella lucente, exemplo della gente, illuminato dal lume Diuino.* Floruit 1483.

24. Ioannes Neuius Belga in sacra Eremo Augustiniana floribus honoris, & sanctitatis vernans. Louanij apud Hastenium 1638. 4.

25. B. Iordanus de Saxonia in Vitis Fratrum pluribus in locis. Vide editiones in Dissertatione.

26. Ioseph Pamphilus Veronensis Episcopus Signinus Sacrarij Apostolici Præfectus in Chronicis Ord. Romæ 1581. 4.

27. Ioseph Maria Marianus Lucensis emisit in lucem Camerini 1676. 12. *Relatione dell' effusione del Sangue di S. Nicola &c.* Et sub nomine Anagram. Iosephi Arimani antea Perusiæ 1675. *Il Protettore della Chiesa, Relatione panegirica delle prodigiose effusioni di Sangue &c. in 8.*

28. Lau-

28. Laurentius Scalebonius Ravennas S. T. Magister plurium Operum editor in Libro: Morales considerationes in centum Vitas Sanctorum. Ravennæ apud Pet. de Paulis, & Ioannellum 1645. 4.

29. Ludouicus, seu Aloysius Albertus in Vniuersitate Patauina publicus Professor Vitam D. Nicolai edidit. Patauij 1610. 4.

30. Ludouicus Torellus Bononiensis Ord. Historicus. To. v. Sęculorum Aug. ad annum 1305; ac in compendio Vitarum SS; ac BB. Ordinis.

31. Ludouicus Zacconus Pisauriensis Orator, Musicus, Poeta, & Historicus, copiosam Vitam emisit in lucem. Pisauri apud Flaminium Concordiam 1623. 4.

32. Matthias Pauli dedit vitam Belgicè, vt testantur noster Elssius, & Valerius Andreas &c.

33. Matthias Chesenaux Leodiensis Theologus &c. in secundo To. sequentis Operis aliqua de nostro D. Nicolao. Distinctè titulum Libri exponam mihi communicatum ab Illustrissimo, Reuerendissimo, ac doctissimo D. Petro Lamberto Ledroù Sacrarij Apostolici Præfecto, ac Episc. Porphiriensi. *Ecclesiæ Catholicæ ab origine Mundi ad Christum vsque, & à Christo ad nos vsque serie numquam interrupta, similique forma deductæ speculum Chronographicum Tomis duobus expositum, quorum alter Libros quinque continet iuxta numerum totidem ætatum, quibus vniuersus sæculorum Ortum Christi præcedentium Ordo digeritur. Alter verò Libros septemdecim (iuxta totidem sæculorum à Christo ad nos fermè elapsorum numerum complectitur. Memento dierum antiquorum, cogita generationes singulas. Leodij, apud Viduam Leonardi Streel sub signo Triremis 1661; & 1671. fol.*

34. Nicolaus ab Ascensione Excalceatus Marchiæ Anconitanæ dedit Vitam S. Nicolai, vt testatur D. Franc. Maria Maggius Panormitanus Theatinus in Vita Ven. Alipij à Sancto Iosepho.

35. Nicolaus Crusenius Historicus Ordinis in Monastico Augustiniano. Monachij apud Io. Henroy 1623. fol.

36. Nicolaus Veronensis scripsit Vitam eiusdem carmine heroico, vt testantur Pamphilus, & Gratianus.

37. Onuphrius Panuinius Veronensis in Chronicis Ord; vide suo loco in Dissertatione.

38. Pe-

38. Petrus de Monterubiano scripsit Vitam ann. 1436. editam apud Surium. Vide in Alberto de Bonsteten.

39. Philippus Elssius in Encomiastico Augustiniano. Bruxellis 1654. fol. littera N.

40. Prosper Stellartius Belga Scriptor eruditus in Augustinomachia. Lugduni apud Roussinum 1617. 4.

41. Raphael Perrerius Pedemontanus edidit 1612. Donum pretiosum Panis S. Nicolai. Fuit Taurini Prior, non Thuringiæ, vt notat inaduertenter Elssius.

42. Simplicianus S. Martinus S. T. Professor Tolosanus in Vitis Sanctorum Ordinis lingua patria. Tolosæ 1641. fol.

43. Thomas de Herrera Hispanus in Alphabeto Augustiniano Matriti edito 1644. fol. lit. N. To. 2.

44. Thomas Maria Accimatorius Genuensis in lucem exposuit Compendium vitæ vna cum effusionis Sanguinis relatione, septenario Sacro, Officio, notitia miraculorum, Responsorio Sancti &c. Italicè. Genuæ apud Casamaram 1703. 12.

45. Zilius Maurocenus, & Seraphinus Schimberna, plurimique alij in Compendijs rerum memorabilium Sacri Cinguli.

46. Ioseph Bonafides Lucensis Theologus Serenissimi Principis Etruriæ Matthiæ dedit Sacrum Septenarium S. Nicolai; Florentiæ per Onofri 1658. 16.

Has notitias collegi in gratiam clarissimorum Amicorum Abbatis D. Iuliani Bouicelli Perusini Eminentissimi D. Fr. Vincentij Mariæ Vrsini Arch. Beneuentani, & Episc. Tusculan. à Secretis Basilicæ S. Bartholomæi Prioris; Reuerendissimi D. Vincentij Intonti legum Doctoris Archipresbyteri Cath. Arianensis, Proton. Apostolici, ac olim Vic. Gen. Capitularis; D. Pauli Caponi eiusdem Cath. Canonici, S. T. Doct; & Protonot. Apostolici; D. Ottauij de Palma V. I. Doctoris; D. Guillelmi de Auxilijs; D. Nicolai Luparelli etiam Doctoris; D. Decij Passeri, & D. Angeli de Intontis Ciuitatis Regiæ Arianensis Patritiorum, pariterque Capitanei D. Flauij de Perrellis, D. Octauij Anzani, ac D. Saluatoris Picellæ etiam Patritiorum, qui omnes impensè D. Nicolaum colunt; ac dum Conciones quadragesimales in dicta Cathedrali haberem, pro sincera dilectione mihi dicebant. Vtinam fuisset tempore Illustrissimi, ac liberalissimi Episcopi D. Ioannis Boniglia Hispani ex Ordine Carmelitarum.

Scriptores encomiastici B. Claræ de Montefalco Virginis mirabilis sanctitatis, diuersi à citatis ab Io:Baptista Piergilio, ac ab erudito Doctore Medico Io: Augustino Mulphino à Rapallo in vitis eiusdem Beatæ ab ipsis editis.

1. ALoysius Nouarinus, & Bagata Clerici Reg. Theat. plura de B.Clara in 1.To;& aliqua in secundoAdmirandaOrbis Christiani.Venetijs apud Valuasensem 1680.fol.

2. Ægidius Fonseca à Præsentatione LusitanusAug.præclarissimus Theologus in Primate Augustiniano Coloniæ Agrippinæ edito 1627.8. in Indice vocat Sanctam Claram de Montefalcone, & bene de ea pag.341.

3. Ambrosius Flandinus Episcopus Lamocensis Sermone 60.pag. 455.sui Quadragesimalis editi,vt suo loco.

4. Anterus Maria MicconusAug.Excalc.in suo opere,Ponderationes super Psalmos pag.261. Lugduni apud Arnaud & Borde 1673.fol.

5. Antonius de la Calanca Peruanus Aug. in Libro Hisp. *Chronica moralizada Augustiniana*. Barchinonæ per Petrum la Caualeria 1648.fol.lib.4.cap.6.pag.824.

6. AugustinusLubin Parisinus Geographus Regius in breui notitia Abbatiarum Italiæ. Romæ apud Komarek 1639. 4. pag.230.lit.M.

7. Augustinus Paoletti à Monte Ilcinio Tuscus, (cuius Opera pluries in Italia, & vltra montes latinè reddita bis impressa fuere) in Sanctuario Conc. S. Monicæ, & in Dominicali Sanctissimæ Trinitatis Festo.

8. Bernardinus de Bustis Ord.Minorum vita, & doctrina commendabilis par. 2. Rosarij Quadrag. pag.mihi 157. edit. Lugdunensis 1421;qui tamen non bene asserit nostram B.Claram fuisse sui Ordinis.

9. Carolus Milanutius à S.Natolia in Origine Panis S.Nicolai iam citati pag.126.

10. Carolus Bartholomæus Piazza Mediol. Archipresb. S. Mariæ in Cosmedin plurium Operum Auctor, & Amicus in Menologio perpetuo Romano Italicè.Romę 1675.12.pag.279.

11. Carolus Moreaù Gallus ex meo Ordine in Vindicijs quadripartitis pag.5; & in principio exhibet effigiem eiusdem Beatæ.

12. Ca-

12. Carolus Veron Gallus Concionator, & Prouincialis Coloniensis patria lingua edidit Vitam B.Claræ. Antuerpiæ 1631. 12.

13. Daniel Papebrochius, & Socij ad diem 25. Maij pag. 246;& 47; inibique proferunt insculptam effigiem mirabilis Cordis eiusdem, & pag.147.vocant S.Claram.

14. Dauid Frolichius Mathematicus Cæsareus in Bibl. Peregrinantium impr. Vlmæ 1643. To.2. pag.250.

15. Didacus Lopez de Andrada Archiepiscopus Hydruntinus celeberrimus Concionator Augustinianus par.1.Euangeliorum super SS.Festa. Barchinonæ 1622.4. pag.193; & 294.

16. Donatus Caluus Bergomas Aug. Longobardiæ in Proprinomio Euangelico Resolutione 75. pag.296; & 298. Editum est opus Venetijs apud Combum, & la Noù 1694.4.

17. Ferdinandus Vghelli Abbas Cisterciensis To.1. Italiæ Sacræ in Episcopis Spoletanis pag.165. Romæ apud Bernardinum Tanum 1644. fol.

18. Fidelis Gottellus Genuensis S.T.D. Amicus olim eruditus ex mea Cong.Libro Italicò. *L'addolorata Madre Santissima, Discorsi &c.* Genuæ apud Bernardum 1677. 12. pag. 315.

19. Fortunius Licetus Doctor Medicus Genuen. Encyclopedicus, & multorum Librorum auctor in Opere de Secundò Quæsitis per Epistolas impr.Vtini per Schirattum 1646 4:pag. 234. mouet pulcherrimam quæstionem, & egregiè eam resoluit, scilicet. De ternis globulis in cysta biliaria B. Claræ à Montefalco, qui & singuli, & bini, & terni pondus habent æquale.

20. Franciscus à S. Augustino Macedo Minor. Obser; ac etiam Encyclopedicus in Oratione Funebri Reuerendissimi Gen.Luchini Romæ edita 1664.pag.12.

21. Fulgentius Baldani Sauonensis origine S.T.D.Augustinianus vitam edidit. Genuæ per Pauonem 1624.12. Italicè.

22. Hippolytus Marracci à Matre Dei vir celebris in Lilijs Marianis pag.82;& 83; Romæ.1651.8.

23. Ignatius Dicherius insignis Poeta Aug.Flander in suo libro Epigram. Sacrorum plura nostræ Beatæ in laudem.Opus editum Coloniæ apud Munich.1637.8.

24. Ioannes Baptista Paccichelli facundus,& eruditus Amicus par.3.pag.563.suorum itinerum Memor. Hist. aliqua de B.

 Cla-

Clara, quæ indigent correctione. Primò Monsfalcus non est tam distans Fulginio, vt ipse asserit; secundò caput Beatæ non est separatum à corpore. Tertiò Cor est in Statua argentea, & passionis Mysteria in Cruce eiusdem metalli; ac durities trium Lapillorum ipsos non esse carneos ostendit, vt fatetur idem.

25. Ioannes Matthæus Gibertus Venetus S. T. D. Aug. vitam dedit sub hoc titulo. *Specchio lucidissimo di Santità &c.* Venetijs per Herreram 1668.4.

26. Ioannes Nicolaus Doglionus in Europæ Amphitheatro pag.611; errat tamen vocaudo B.Claram Tertij Ordinis &c, Venetijs per Sarzinam 1623.4.

27. Ioannes Petrus Crescentius Romanus Hieronymianus in Præsidio Romano lib.3.par. 2. pag. 98. Opus editum Placentiæ 1648. fol.

28. Ioseph Bonafides Lucensis Aug. in Discursu Sacri Claui Iesu Christi Collis in Etruria asseruati pag.9. Senis per Bonettos 1653.4.

29. Laurentius Vrsacchius Empolensis Procurator Gen. mei Ordinis in nostro Bullario pag.374.registrat Bullam Sanctissimi D.Vrbani VIII.concedentem Officium, & Missam.

30. Laurentius Scalebonius Rauennas par. 1. Moralium in Passionem Domini impr. Rauennæ apud Impr. Archip. 1625. 4. pag.113; & 233.

31. Leonardus Valentinus Cæsenas nostri Ordinis Procurator Generalis in Opere, Septem Angeli præcincti Zonis aureis, vt fatetur citatus Licetus pag.237.

32. Ludouicus Albertus Patauinus Theologus Aug. Vitam B.Claræ edidit Patauij 1610.4.

33. Ludouicus Sesti Lucensis Doctor.Ord.Prædic.suis in Discur.Sacris Paneg. de S.Catharina Senensi pag. 116. editionis Venetæ per Hertz in 12.

34. Ludouicus Zacconi Pisauriensis in Prato viridi Venetijs per Combum 1614.lib.1. pag.47.

35. Martyrologium Romanum (tempore Clementis X;& instante Illustrissimo, doctissimo, ac amantissimo Ord.Iosepho Eusanio Sacrista, & Episcopo Porphirien.) ad diem 18. Aug. profert paruum Elogium Beatæ Claræ.

36. Marcus Antonius Vianus Bononiensis, & Paulus Vadouita Polonus in Magna Arbore Augustiniana Bononiæ incisa.

37. Mi-

37. Michael Hoyerus Flander Aug. in libro Poematum, edito Antuerpiæ 1641.16.pag.114;& 118.

38. Michael Vantius Ariminensis Doctor Aug.libro, Charites sacræ &c.edito,vt notaui in Dissert:Gratia prima pag. 98; & 99.

39. Nicolaus Angelus Casserrius in libro Synthagma vetustatis, siue Flores Histor.Romæ apud Dragondellum 1667.fol. ad diem 17.Augusti pag.239.

40. Nicolaus ab Ascensione Excalc.Aug. Vitam dedit, vt ex Maggio. Vide in D.Nicolao Tolentinate.

41. Odoardus Paccieco Lusitanus Doctor, ac Rector noster Collegij de Gratia Vlysipponensis Vitam edidit Vlysip. apud Aluaradum 1629.4.

42. Petrus Rabbi Gallus Narbonensis Doctor Theologus Vitam emisit in lucem. Lugduni apud Simonem Rigiud 1616.4.

43. Petrus de Comitibus nobilis Romanus in Libro, cuius titulus Rhetorica Miscellanea.Anconæ apud Seraphinum 1676. 4.pag.19.

44. Philippus Elssius in Encomiastico Augustiniano. Bruxellis apud Viuianum 1654. fol.L.C.pag.146.

45. Prosper Antonius de Rubeis Parmēsis Con.Gen.Poeta, & Orator, ac olim Amicus dilectus Aug; qui obijt Patauij 1684.in die S.Stephani Protom.in libro Italico,*Primitie canore.* Genuæ per Andream Biserti 1677.12.pag.58.

46. Simplicianus Sanmartinus Gallus in Sanctuario Ordinis iam nominato, ac in Tract.Moralibus cap.6.pag.178. editum est opus Tolosæ apud Colomerium 1664.fol.

47. Simon Sistus Neapolitanus S.T.Doctor.Aug.libro Italico, *Trattato del Culto di Maria Vergine &c.* Neapoli per Tarquinium Longum 1624.4.satis bene de B.Clara cap.7. pag.84.

48. Stephanus Vgurgerius Senensis Ilicetanus composuit Officium integrum B.Claræ, & est apud me, ac in Martiniana, sicut & aliud compositum ab Illustrissimo Ambrosio Landuccio. Quando igitur inter Diuos à Summo Pastore relata fuerit nostra Beata, oro Successores,vt ea respiciant.

49. Theatrum Vitæ humanæ antiquum editum Basileæ per Henricum Petrum 4.Tom.pag.566;ac nouissimum etiam verbo Religio, &alibi pluries.

50. Teophilus à Teramo Siculus Carmelitanus in lib.Italico,

lico, *Croniſtoria vniuerſale del Mondo* ætate 7.lib.7. pag.139. Neapoli apud Paſſerum 1677.fol.

51. Timotheus Riccius Senenſis Illicetanus libro Italico. *Breue Trattato della Santiſſima Croce, doue ſi moſtrano le Virtù, eccellenze, e miracoli fatti da molti Santi per mezzo della Croce.* Senis apud Toſi an.1596.8.pag.13.

52. Zilius Moroſini nobilis Venetus Aug; Seraphinus Schimberna, alijque mei Ordinis in Compendio magnitudinis Sacri Cinguli, ſeu Zonæ Auguſtinianæ.

Ioannes Schiphoverus de Meppis, de quo plura in Diſſertatione Hiſtorica, Tomo.2. rerum Germanicarum Scriptorum cilicet in Hiſt. Archicomitum Oldemburgenſium pag.148; & 149. hæc repoſuit. *Circa tempora Ottonis claruit S. Vvilhelmus Dux Aquitaniæ, & Pictanienſis Comes Ord. Erem. S. Auguſtini &c. Inſuper S. Clara de Monteſalcone eiuſdem Ord. Erem; quæ tantæ fuit Sanctitatis, vt ſi fides Chiſti deperdita eſſet, in ea reperiretur. In primis in eius corde omnia ſigna paſsionis Chriſti ſunt ſculpta. Item in felle reperti ſunt tres lapides, quorum vnum tantum ponderis, quantum tres ſimul, & vnus, quantum duo, & iſti lapides infrangibiles ſunt, & eiuſdem magnitudinis, & cuius coloris ſint diſcerni non poteſt. Hæc omnia myſterium Sanctiſsimæ Trinitatis ſunt, cuius ipſa, dum viueret, magnas habuit reuelationes. Corpus eius integrum eſt & pulcherrimum. Sanguis eius in ampulla vitrea apparet &c. Hæc omnia ſunt in Monaſterio noſtro S. Crucis in Monteſalcone.* Non credidit mirabilibus effectibus Lapillorum Henricus Meibomius iuuenis Acatholicus, qui edidit Chronicon Schiphoueri; ideo in fine eiuſdem ſequentia protulit. *Non erubeſcit fabulas interdum admiſcere, qualis eſt illa de lapidum in veſica fellea S. Claræ repertorum pondere.* Coarguit verò incredulitatem ipſius alter nobilis Scriptor, è Saxonia pariter oriundus, Albertus Krantzius, qui floruit an.1500.lib.8.Metropol. cap.55. *Clara Eremitarum Ordinis Virgo deuotiſsima in Monteſalcone agri Spoletani claruit, Sanctorum Catalogo adſcripta. In corde eius, cum mortua exenteraretur, imago Crucifixi Domini concreta reperta. Tres quoque ibi lapilli reperti paris ponderis.*

Index

Index Scriptorum, qui de B. Rita Cassiana vel ex professò tractarunt, vel aliquod in laudem exararunt.

1. ABraham Bzouius Ord. Præd. in Annal. Ecclesiasticis To. 17. ad annum Christi 1450.

2. Alexander Benciuenius Florentinus Aug. exposuit Italicè Vitam, & Miracula B. Ritæ. Florentiæ 1628. 8.

3. Aloysius Nouarinus, & Bagata opere citato in B. Clara To. 2. aliqua &c.

4. Alphonsus de Aragon; & Borgia ex Hispaniarum Magnatibus Aug. Hispanicè Vitam edidit Matriti 1628. 4.

5. Ambrosius Coranus Gen. Religionis de illustribus Ordinis; vide suo loco.

6. Ambrosius Staibanus à Taranto Aug. in Templo Eremitano Neapoli impr. 1608. fol; pluribus annis, antequam beatificaretur, Beatam vocauit.

7. Andreas Gelsominus Episcopus iam supracitatus de ea capite 8; & 11.

8. Andreas Victorellus apud Ciacconium anno Christi 1455. pag. mihi 1192. scripsit. *Nosse potuit Nicolaus V. B. Ritam Sanctimonialem Augustinianam, miraculis illustrem, cui Vrbanus VIII. Pontifex Maximus anno 1627. 11. Octobris sacros Ecclesiæ honores in Spoletana Diœcesi, & apud Augustinianos Fausto Polo Casciensi, Pontificiæ Domus Magistro, ac Basilicæ Vaticanæ Canonico*, postea S. R. E. Card; *inter alios preces, & diligentiam adhibente, concessit, ea enim anno* 1457. 11. *Kal. Iunij migrauit in cælum &c.* Bene asseruit de anno, & die obitus, & aliter scribentes corrigendi sunt.

9. Angelus Belluomo à Roccha Contrata Aug. Vitam dedit Maceratæ 1625. 4.

10. Arthurus à Monasterio Franciscanus in Martyrologio Sanctarum Mulierum &c.

11. Aurelius Philippini à Roccha Contrata Vitam exhibuit. Romæ 1612. 4. Ex meo Ordine fuit.

12. Augustinus Lubin Gallus Opere iam notato Littera C. pag. 89.

13. Augustinus Paoletti insignis Concionator in Sanctuario Venetijs edito 1659. Conc. S. Monicæ pag. 220.

14. Au-

14. Auguſtinus Cauallucius à Fulginio Bacc: Curatus, & Cuſtos Societatis Cinturatorum Cœnobij S. Auguſtini Vitam compoſuit. Senis apud Florimum 1610. 4.

15. Camillus Thoma Æſinas Aug. edidit Italicè Hiſtoriam B.Ritæ. Maceratæ apud Auguſtinum Criſei 1646.8.

16. Carolus Bartholomæus Piazza Opere iam citato in B. Clara pag.169.22.Maij, ac loquitur de miraculoſa corporis eleuatione, quæ aliquando euenit.

17. Carolus Veron Gallus,de quo ſupra, dedit Vitam Antuerpiæ 1631.12.

18. Chriſtophorus Capannarolus Fabrianenſis Aug.edidit Epitome Vitæ Fulginij 1640.4.

19. Cornelius Curtius Flander Aug.Scriptor celebris expoſuit Vitas B.Claræ de Montefalco, & B. Ritæ de Caſſia. Antuerpiæ apud Matternich 1636.12.

20. Cornelius Lancellottus S.T.D.Belga, qui obijt cum non exigua opinione ſanctitatis, in Vita S.P.Auguſtini Antuerpiæ apud Plantinū 1616.8.primam nominat inter inſignes Auguſtinianas, ac Beatam vocat pag.185.

21. Daniel Papebrochius,& Socij ad diem 22. Maij Vitam bene diſpoſuerunt, & in To.7. Append. eiuſdem Menſis pag.842. hæc ſcribunt. *De cultu B. Ritæ Gadibus in Hiſpania. Acceſſerit,credo,Relatio de cultu Gades traducto, deque miraculis iſtic adeo grandibus, & euidentibus, vt ipſa Beata inde paſsim nominetur.* Sancta de los impoſſibles, *ob curationes infirmorum morali hominum iudicio impoſsibiles ad eius inuocationem patratas.*

22. Donatus Donati Lucenſis Aug. Vitam expoſuit Lucæ in 4;vt teſtatur Torellus noſter, ſed non vidi.

23. Emmanuel Leal Luſitanus iam nominatus pag.388.vocat S.Ritam.

24. Ferdinandus Vghelli citatus in B.Clara in Epiſ.Spoletanis pag.165.

25. Fidelis Gottellus Genuen.iam nominatus liuro, vt ſupra pag.314.

26. Franciſcus Macedo Minorita, vt in Catalogo Beatæ Claræ.

27. Franciſcus Maria Torrigius Romanus Canonicus S. Nicolai in Carcere. Italicè dedit. *I ſacri Affetti in lode della B.Rita*. Romæ 1628.16.

28. Franciſcus Sangeorgius à Mataluna Neapolit. Aug. in Con-

in Concione Sanctissimi Rosarij. Florentiæ 1638. 4. pag. 15.

29. Hieronymus Ghettus Romanus Ord. nostri Gen. vir præclarus Vitam edidit sub nomine pij Religiosi. Romæ 1629.8.

30. Hieronymus Seripandus Cardinalis in rerum Ord. Commentarijs iam citatis.

31. Ignatius Dicherius Belga iam supranominatus lib. 1. Epigrammate 96; & 97.

32. Ioannes Antonius Riuarola ex Genuensium Patritijs Hispanus patria lingua exposuit. *La perfecta Muger B. Ritta de Cassia*. Neapoli apud Franciscum Sauio 1626. 4. Considerauit bene quinque Status ipsius Beatæ, videlicet Virginitatis, Matrimonialis, Viduitatis, Monacatus, & in Cælo To. 2.

33. Ioannes Baptista Vayra S.T.B. Aug. edidit Orationem in laudem eiusdem. Romæ apud Fr. Corbellettum 1628.4.

34. Ioannes Georgi S.T.D. mei Ord. eleganti stylo Vitam dedit 1515; vt testatur meus Herrera.

35. Ioannes Georgius Amici Cassianus Aug. Vitam dedit Viterbij 1600.4.

36. Ioannes Gregorius à Iesu Maria Excalceatus noster in Lectionibus super Christi Passionem. Bononiæ apud Carolum Zenerum 1645.4. Par. 1. Lect. 8. pag. 90.

37. Ioannes Petrus Crescentius Libro in B. Clara notato par. 2. lib. 3. pag. 98.

38. Ioseph Pamphilus iam nominatus in Chron. Ord. Romæ ex Typog. Georgij Ferrarij 1581.4. pag. 92.

39. Ioseph Sicardus Hispanus, modò Archiepiscopus Sassaritanus in Sardinia Aug. patria lingua dedit Vitam Genuæ per Francbellum 1688. 4.

40. Laurentius Beyerlinch Archipresbyter Antuerpien. in Theatro nouissimo, Verbo Religio.

41. Laurentius Vrsacchius Empolitanus in Ord. Bullario pag. 378; & 379. Bullam Vrbani VIII. profert.

42. Laurentius Francius Pistoriensis notatus in B. Clara pag. 31.

43. Laurentius Scalabonius iam citatus par. 1. pag. 498. succinctè narrat Vitam, & postea morales considerationes format.

44. Ludouicus Iacobilli in Sanctis Vmbriæ editis 1650.

45. Ludouicus Torellus Vitis Virorum, & Mulierum sanctitate illustrium, ac in 7.To.sæculorum Augustinensium bene assignans annum obitus 1457.

46. Marcus Antonius Vadouita Bonon. in magna Arbore &c.

47. Martyrologium Romanum ad diem 22.Maij.

48. Michael Hoyerus Belga Aug. celebris in suis Poematibus. Antuerpiæ apud Artessens 1641. 24. in Miscel. Ode 1; 2; & 3.

49. Nicolaus Angelus Cafferrus iam citatus ad diem 22. Maij pag.144.

50. Nicolaus Crusenius in Monastico Augustiniano citato in D.Nicolao par.3.cap.30.

51. Nicolaus Iuliani Anglariensis Bacc.Aug. olim Monasterij B.Ritæ Confessarius Italicè dedit. *Sacra Istoria della Penitente B.Rita di Cascia &c. Adornata con Oratione, Distici, Epigrammi, Odi,Sonetti &c.* Aretij per Lazarum Loreti 1691. 8. Auctor iste non bene signat annum obitus Beatæ 1643.

52. Olympius Riccius eruditus in Libro Italico. *Giubilei vniuersali celebrati negl'Anni Santi &c.* Romæ per Mascardum 1675. 12. Iste affirmat nostram B. fuisse Romæ Anno Iubilęi 1450; quod bene concordat cum anno obitus 1457.

53. Onorius Martini Augustinian. Ilicetanus dedit Vitam Senis 1593.4.

54. Oratius Solza Poeta eruditus in Annal. Bzouij To.17. an. 1450. §. 22. pag. 53.

55. Pamphilius Cæsius Cassianus eloquens in Monumentis Virorum illustrium Aug. è Cassia. Tuderti 1656. 12.

56. Philippus Elssius in Encomiastico Augusti. L. R. pag. 604; errat verò, vt etiam aliqui, in assignando anno obitus.

57. Prosper Antonius de Rubeis Parmensis Amicus iam notatus in Append. Heroum Ord. pag. 56.

58. Simplicianus Sammartinus supranominatus in Vitis SS. Ordinis, & in Tractatibus moralibus Tract. 2. cap. 6.pag. 179. inter alia. *Hæc Sanctissima Vidua ante Crucifixum nocte quadam intensissimo feruore Christi Domini Saluatoris Passionem meditans, tormenta similia pro amore illius pati exoptans, subitò coronam spineam capiti suo positam, mirum in modum pungentem persensit, præcipuè verò vnam ex spinis in medio suæ frontis infixam; qua de re quidam Poeta ita loquitur:* *Fixistis*

Fixistis summo quondam dumeta medullas
Regis, mox nostram cingite Cæsariem.
Hæc mihi serta placent leui stringentia dente,
Non fuit ad crines blanda corolla meas.
Serta coronati video dum spinea Regis.
Dat rosas mi spinas, dat mihi spina rosas.

59. Thomas de Herrera iam nominatus in Alphabeto Aug. To.2. Lit. R; & Lit. C. de Monast. Feminarum.

60. Zilius Morosini, Simplicianus Turrini Bonon; Seraphinus Schimberna à Sigillo in glorijs Sacri Cinguli. Alios dare potuissem (& inter ipsos Illustrissimum Episcopum Grauinensem, ac olim Gen. Dominicum Valuasorium Mediolan. decoris Religionis ardentem zelatorem in Consultu Romæ impresso aduersùs Excalceatos, in quo egregiè probauit B.Ritam tantùm aliquando ob pœnitentiam excalceatam incessisse) sed numerum supranotatum sufficientem iudicavi.

De B. Christina de Vicecomitibus. Mediolan.

LOquens de ipsa Ambrosius Coranus Gen. Ordinis coætaneus eiusdem Beatæ cap. de Beatis nostris scribit. *Septima fuit B. Christina de Vicecomitibus, quæ nostris temporibus obiuit Spoleti cum innumeris miraculis, cuius vita, & sanctitas, sicut in vita, quam de ipsa edidimus, constat, stupenda fuit. Hæc ob memoriam Passionis Christi clauo perforauit pedem suum. In die Veneris comedebat absinthium, & acetum felle mixtum ob memoriam Saluatoris Domini nostri Iesu Christi bibebat.* Adam Montaldus Genuensis Patritius Aug. in Carminibus ad ipsius laudem compositis vocat de Vicecomitibus; & iste Scriptor etiam extitit contemporaneus. Accuratus Herrera, qui fuit Spoleti, & diligenter antiquitates Ordinis scrutatus est, eam quoque de Vicecomitum Prosapia asserit, sicut, & Torellus, Curtius, & omnes nostri, ac Bollandus in 2. Tom. Februarij. Nescio igitur, quomodo Scriptor modernus eius vitæ, quam tamen adhuc non vidi, illam faciat de quodam Castro Diæcesis Brixiæ, & de alia familia infima, dicens, quòd vocabatur de Vicecomitibus, quia Castrum ad nobiles Vicecomites pertinebat? Ego fui Spoleti, Corpus Beatæ in nostro Templo reuerenter aspexi, & obseruaui inscriptionem antiquam eam

de Vicecomitibus vocantem; ac quòd celebris Marchio Vercellinus Maria Vicecomes Bellator famosus suis sumptibus nouum Altare erigere curauit, exornauit, & varijs muneribus illustrauit. Valde suspicor, quin supranotatus Scriptor non fecerit, sicuti Pater Matthias Bellintanus Salodiensis, qui in sua breui historia asseruit Adrianum VI. fuisse ex Oppido Renzani Brixiensis Diœcesis; verùm Andreas Victorellus, qui in vita ipsius Adriani apud Ciacconium refert assertum dicti Bellintani, non solùm non approbat, sed potiùs reprobat, vt videre est ibidem To. 2. pag. 1453. An. Christi 1523. Ab omnibus igitur Traiectensis Adrianus vocatus fuit, & hoc etiam confirmat inscriptio sepulcralis. Alexander quoque V. Summus Pontifex ab aliquibus Cretensibus, ab alijs Nouariensibus, vel Bononiensibus adscribitur, vt apud eundem Ciacconium, cùm tamen certum sit vnam solùm patriam habuisse. Quænam differentia nō insurrexit inter Panormitanos,& Catanenses pro Diuæ Agathæ patria, quam apertè ostendit meus Pater Magister Ioseph Bonafides fuisse Panormum, Libro edito ibidem apud Didacum Buam 1664. 4? Placentini etiam nituntur ostendere Christophorum Columbum noui Orbis detectorem incunabula in sua Ditione habuisse, & inter alia fundamenta Petrus Maria Campi eruditus Historicus illius Ciuitatis profert publicum Instrumentum satis clarè probans &c. Nihilominus Sauonenses alia septem probata Instrumenta in suæ Ciuitatis favorem exponunt, vt videre est apud Iulium Salinerium Libro, *Annotationes ad Cornelium Tacitum*. Genuæ per Pauonem 1602. 4; & apud eruditum Amicum Notarium, & Doctorem Philippum Albertum Pollerium Sauon. Libro *Epicherema &c.* Taurini 1696. 4. Porrò vt ad Beatam Christinam redeam, & concludam; affirmo veriorem sententiam esse illam de Vicecomitibus Mediolanensibus fuisse. Vita ipsius habetur in Opere Bollandiano ex meo Curtio To. 2. Februarij pag. 799. Ac separatim edidit Italicè Ioannes Andreas de S. Maria Excalceatus noster sub hoc titulo. *La Beata Christina Visconti Mantellata Agostiniana descritta &c.* Bononiæ apud Montium 1649. 12. Memorant quoque cum laude omnes Ordinis Historici Coriolano posteriores.

Beatæ Veronicæ Nigronæ de Binasco præclaram Vitam refert Bollandus ex Isidoro Isolano Dominicano in To. pr. Ianuarij, cuius verò Ordinis fuerit, non exprimit, licèt in serie

vitæ

vitæ appareat: Citat etiam Ferrarium, qui malè eam Ord. Prędicatorum fuisse scripsit; ideo Papebrochius, & Socij To. 2. mensis Maij pag. 130. registrarunt: *Beatam Veronicam Nigronam esse Ordinis S. Augustini &c.* Hæc ad nos anno 1677. 11. Februarij *Ordinis istius Historiographus Aloysius Torellus, quæ occasione oblata, libenter proponere hic voluimus, eo præsertim fine, vt pateat, quàm grates nobis accidant admonitiones eorum, qui nos de rebus suis, quatenus eas non planè cognitas habuimus, amicè, sincerèque moneant &c.* Seorsim vitam eiusdem Beatæ, ediderunt Franciscus Bonardi Agens Monasterij Sanctæ Marthæ, & Carolus de Turre Canonicus S. Nazarij, Mediolani apud Ludouicũ Montiũ 1667. in 8. primus, & alter, ni fallor, 1672. 8.

Beati Ioannis Boni Mantuani Vitam (vltra S. Antoninum 3. par. Hist; ex quo excerptæ fuere Lectiones secundi Nocturni impressæ in Officio Ordinis) separatim dedit Constantinus Lodi à S. Geruasio Brixiæ ex Cong. Insubriæ. Bergomi apud Cominum Venturam 1590. 4; ac Ioannes Franciscus Bonomus ex dicti Beati progenie, Poeta celebris. Bononiæ apud Hęredes Barberij 1664. 12. Omnes Historici Religionis fusiùs cum encomio de eodem locuti sunt. Paruum ipsius Elogium notatur die 22. Octobris in Romano Martyrologio, in Veneta tamen editione, ob inaduertentiam Impressoris, repositum fuit die 22. Nouembris.

Ven. Antonij de Aquila ex nobili Prosapia Turriana Mediolanensi, cuius Corpus requiescit nostro in Cænobio Aquilano, quique decessit die 24. Iulij 1480. Vitam composuit P. Carolus Ciminellus Aquilanus S. T. Professor mei Ordinis sub hoc titulo: *Vita, morte, e miracoli del seruo di Dio Ven. Antonio da Milano Medico de Poueri Agostiniano.* M. S. in 8. seruatur in Angelica Romæ, ac in nostra Perusina. Deeo Torellus, ac aliqui Ordinis Historici, & Aquilani, necnon doctus Aromatarius Ioseph Donzellus in principio suæ Pharmacopeæ Italicè edita Neapoli, & Romæ 1677. fol. in Catalogo Sanctorum Medicorum; fuit etiam Chirurgiæ peritus.

De Ven. Ioanne de Castro Archiepiscopo noua Granata.

ANtonius de Castro (Hispanicè del Castillo) scripsit Hispanico idiomate vitam Ven. P. Ioannis de Castro, cuius socius

ſocius fuerat, nouæ Granatæ in Indijs Archiepiſcopi noſtri Ordinis, ſed non edidit. Titulus Libri eſt. *La Vida del Venerables, y muy religioſo P. Don Fray Guan de Caſtro &c.* Hanc ego Italicè reddidi, vt prælo traderem, ſed adhuc non valui: Videatur Oldoinus in Liguriæ Script. Lit. D. Aſſeruantur ambæ in Aproſiana M. S. 8. Ab eruditiſſimo Nicolao Antonio inter Hiſpaniarum Scriptores non nominatur, ſed immeritò; ſcripſit enim:

Vitam egregiam Ven. Serui Dei Alphonſo ab Oroſco Oropeſani 36. Capitulis comprehenſam, vt apparet in Proceſſibus quamprimum edendis.

Librum ſuarum Meditationum, & Soliloquiorum. En eiuſdem Ven. Ioannis Elogium ſepulcrale à doctiſſimo Baſilio Pontio mei Ordinis confectum.

Auguſtiniani Luminis præclara Soboles
Dominus Frater Ioannes de Caſtro Toletanus;
Honore Præſul Granatæ nouæ, timore corã Deo ſubiectus omnibus.
Philippi Tertij
Communi, & inſigni fructu verè Euangelicus Eccleſiaſtes,
Vita, & Sermone.
In illa
Diuturna ſtatus, Religionis cuſtodia, aſſidua meditatio,
indefeſſa patientia, largæ eleemoſynæ, vocatur quippe ad opus non ad opes. In hoc
Suauitas, Nitor, Eruditio, ignea vis,
Diuino in Deum, & proximos flagrante pectore,
Meliore ſui parte viuit Cælo.
At ſub Marmore
Apoſtolicæ Tubæ ſpolia præclariùs intonant,
Nouiſsima iterum excitanda tuba.
Cùm dormyſſet in Domino meritis centeſimus, ætate ferè ſeptuagenarius.
Anno Chriſti 1611. Prima die Auguſti.

Ven. Pater Ioannes à Monte Caſſiano Marchiæ Anconitanæ natus eſt ibidem 1555. 15. Iulij Patre Franciſco Ceccono Fabro Lignario, Matre Franciſca Piccinoti pijs, & honeſtis, qui defuncti ſunt annno 13. ætatis Ioannis. Anno 15; Domini verò 1570. noſtrum Ordinem amplexus eſt in Conuentu S. Marci ſui Oppidi. Vitam ipſius edidit Italicè Arſenius ab Aſcenſione Excalceatus. Firmi apud Franciſcum Mutium 1629.

1629. 8. Latinè eam dedit Mauritius à Matre Dei in sua sacra Eremo Augustiniana &c. Camberij ex Typographia Fratrum Du Four 1688. 4. à pag. 122. vsque ad 159. Quoad verò Scripta, & Opera ipsius hæc reponit dictus Mauritius pag. 143. Nusquam otiosus stetit, sed in continuo bonorum operum exercitio visus est: aut enim orabat, aut Sanctorum Patrum, aliorumque deuotissimos Libros peruoluebat, vel Sanctorum vitas, Casuistas, & Theologos legebat, vel ipsemet libros pios, & deuotos componebat, inter quos in lucem editi sunt, Corona plagarum Christi, Corona Oratoria B. Virginis, & Liber vitæ, & miraculorum B. Angeli Burgi S. Sepulcri; alia repe-riuntur propria manu descripta in Conuentu Battiniano, Exercitium nempe in honorem D. N. Iesu Christi, Modus attentè recitandi in Choro Diuinum Officium, Tractatus de laudibus B. Mariæ Virginis, decem Mysteria in Missa meditanda, Corona Spiritus Sancti viginti florum, Corona miraculorum Iesu Christi, Tractatus de amore, & perfectione Christiana, Exercitium spirituale pro omnibus horis diurnis, & nocturnis, Liber Orationum ad amorem diuinum pro singulis hebdomadæ diebus, & similia deuotionis Opera. Mense Maij die 3. ingressus est Congreg. nostrorum Excalceatorum, & per Decretum Gregorij XIII. professionem emisit, ac eodē anno oculis in imaginem B. Virginis defixis, & totus in eam absortus piè in Domino obdormiuit die Sabbati 14. Augusti, in Vigilia Assumptionis 1621. ætatis suæ 66. mēseq; vno. Agitur de eo in S. Cong. Rituum in Beatorum Albo inserendo. Post aliquot annos Corpus eius inuentum est incorruptum, & die 14. Februarij 1626. translatum est propè Battinianum in nostro Excalceatorum Cænobio. Auctor iste non agnouit Vitam eiusdem Ven. compositam quoque fuisse versu heroico Latinè à P. Sebastiano à S. Vincentio eiusdem Congreg; vt testatur Maggius Clericus Regularis iam citatus in B. Nicolao Tolent. Nec operis sequentis notitiam habuit: *Scala di quindici gradi per arriuare alla perfettione del Ven. P. Maestro Giouanni da S. Guglielmo*. Genuæ per Pauonem an. 1615. 12. Iuridicè non transijsse ad Excalceatos supradictum Ven. Ioannem à S. Guillelmo, non debilibus fundamentis probat Reuerendissimus Fulgentius Petrelli à Sigillo Gen. Ordinis in 2. To. Lectionū suorum Casuum Conscientiæ edito Perusiæ apud Angelum Bartoli 1639. 4. pag. 272. Sed visa Historia Excalceatorum edita Mediolani 1700. aliter sentiendum esse iudico. Ven.

Ven. Pr. Magister Didacus Besalanque Prouincialis insignis Peruntinæ Prouinciæ de Mecioachan S. T. Doctor, ac V. triusque Iuris, Linguarum, & Scientiarum multarum peritus, ortum habuit Salamanticæ ex Genitoribus Alphonso Serano, & Isabella Cardona. Eius præclara merita enumerat distinctè P. Magister Petrus Salguero eiusdem Prouinciæ Definitor in Libro Hispanico. *Vida del Ven. Padre, y exemplarissimo Varon el Maestro Fray Diego Basalanque Prouincial &c.* Mexici per Viduam Bernardi Calderonis 1664. 4. Decessit Ven. P. cum non exigua opinione Sanctitatis anno 1651. die 12. Decembris circa mediam noctem, ætatis anno 74. Post annũ inuentum est ipsius Corpus integrum, & pulchrum, ac si tunc spiritum reddidisset. Deposuerunt igitur illud in Presbyterio nostræ Ecclesiæ del Caro cum duobus sequentibus Epithaphijs Latino, & Castellano:

Ille Besalanque, hic Iacet,
Qui varijs Linguis locutus,
Scriptis loquitur mutus,
Et docens est, quamuis tacet.

Basalanque à qui s'entierra,
Pobre, Vergen, Obediente,
Sabio, Humilde, Penitente,
Y admiracion de la Tierra.

Plurima scripsit, de quibus fusiùs in Bibliotheca Ordinis disseram. Pro nunc, quod sciam, tantum edita est. *Historia de la Prouincia de San Nicolas de Tolentino de Michoacan del Orden de N. P. S. Augustin &c.* Mexici per Viduam Calderonis 1674. 4.

Venerabilis Protomartyris Peruani Didaci Ruiz Ortiz Vitam ediderunt Antonius de la Calancha in Chronica morali iam citata, Ioachimus Brulius in Historia Peruana pariter supranotata, ex quibus fontibus hausit P. Magister Fulgentius Baldani, & Italicè impr. tradidit Genuæ 1644. 4; ac vltimò Pr. Nicolaus Suarez Hispanicè cum hoc titulo. *Vida, y Martirio del P. Fray Diego Ruiz Ortiz de la Orden de S. Augustin.* Matriti apud Melchiorem Sanchez 1659. 4. De illo sic scripsit P. Magister Cyprianus de Herrera in Præfat. ad Lectorem Vitæ B. Toribij Arch. Limani Romæ editæ 1670. fol. *Campum hic mihi apertum videbam, vt pro Peruano Regno etiam ad sanguinem decertarem, in quo primus, quia Protomartyr insurgit, Fr. Didacus Ruiz Ortiz, cuius Vitam, acta prodigiosa, & inuincibile Martyrium ad hanc almam Vrbem ego portaui, vt approbarentur in S. Rituum Congregatione, & de quibus innumeri Auctores Mag.*

Calan-

Calancha, *Magister Torres*, *D. Antonius de Leon Pinello*, *P. Salinas*, *P. Cordoua*, *& multi alij viri non contemnendæ auctoritatis.* Ac Illustrissimus Archiepiscopus Argiropolitanus noster Gaspar Villaroel (postquam narrauit miraculum illius viri, qui alapam dedit nostro Ven; ac vltra centenarium vixit, permittente Deo ad sui Martyris gloriam, vt ostenderet brachium aridum, & durum, vti lignum; nam statim post percussionem sic arefactum remansit) sequitur. *Sancti viri pignora, Cœnobij Prior Cusquensis cùm essem, in quo iacent, millies contrectaui, quorum odor est, sicut odor agri pleni, cui benedixit Deus. Certè altioris ordinis odor est, nec quisquam hucusque nouit, cui dixerit esse similem.* Ita in exposit. Libri Iudicum. Matriti 1636. fol. cap. 9. ver. 12; 13; & 14. §. 6.

Ven. Gratiæ de Catharo Conuersi mei Ordinis vitam dederunt sequentes. Primò P. Mag. Spiritus Lazarini Perusinus Italicè sic. *Le glorie del Ven. Gratia da Cattaro Conuerso Agostiniano.* Venetijs per Baba 1643. 8. Demum etiam Italicè ibidem eam exposuit Illustrissimus Antonius Lauredanus Patritius Venetus; & vltimò Latinè sub hac forma. *Effectus Diuinæ gratiæ &c. nempe Vita B. Gratiæ Chatarini per Fratrem Eliseum à Iesu Maria Polonum Aug. Venetijs apud Milochum* 1677. 8. Eius Corpus integrum asseruatur in perornato ipsius Altari nostræ Ecclesię S. Christophori Venetijs in Stagnis Murianum versùs.

S. Limbaniæ nostræ Genuensis Vitam inter alios separatim ediderunt sequentes: Comes Carolus Gabrielis Eugubinus Italicè composuit, ac data fuit in lucem ab Antonio Vannini Genuæ per Iosephum Pauonem 1612. 4. Alia pariter Italicè à quodam deuoto eiusdem Sanctæ. Mediolani apud Ludouicum Montiam 1653. 12.

Augustinus Antonius Pasqual natus in Oppido Guadassuæ, Columna Religionis verè firma fuit, in Vniuersitate Valentina Cathedraticus Artium, & S. Theologiæ, ac etiam in Setabitana: Annis quatuor Prior in Conuentu Aquarum viuarum, 24. Setabi, quatuor Valentiæ: Prior Prouincialis in Regno Coronæ Aragoniæ, examinator Synodalis, oraculum Consultationis Maiorum Hispaniarum Principum. Eius Opera insignia succinctè enarrantur in Oratione Funebri ipsius lingua Hispanica Auctore D. Francisco Laus Presbytero, ac Doctore. Valentiæ per Franciscum Mestre 1692. 4. Eius veneranda

randa effigies in ære incisa aspicitur impressa. Defunctus cum non parua opinione sanctitatis Setabi 1691. die prima Iulij ætatis 84. Penes me asseruatur Vita Ven. Monicæ Antonelli Rosæ, seu de Rosis composita à P. Bac. Camillo Thoma Æsinate, Poetriæ piæ,& ingeniosæ, ac nobilis Aquilæ in Vestinis, & Monialis ibidem in nostro Monasterio S. Luciæ; quæ obdormiuit in Domino 28. Octobris an.1616. ætatis 76. Opera Poetica ab ipsa composita sunt in dicto Monasterio. Eius filia Euangelista Rosa ibidem Monialis scripsit non solùm Vitam eiusdem suæ Matris, sed etiam Historiam aliarum Monialium piarum, ac Venerabilium.

Ideo Scriptorum encomiasticorum seriem BB. Claræ de Monte-Falco, & Ritæ de Cassia coadunaui, & exposui, vt, quando in Diuorum Fastis signandæ erunt, vel quod sæpius euenit, in Processibus referatur, vel earum meritis excollendis deseruiat. Profectò (si vnquam)modò adoptatum tempus esset ipsarum Canonizationem promouendi, cùm Sanctissimus, Clementissimus,& Sapientissimus Summus Pastor Clemens XI. ex Prouincia Vmbriæ, sicut eædem Beatæ, originem trahat. Is parem zelum erga Patriam, & Prouinciam suam habet, vti Pius II. Piccolomineus, qui inter Diuos retulit Conciuem suam, seraphicam nempe, & mirabilem Virginem Catharinam Senensem. Si die 23. præteriti mensis Februarij amisit Ordo noster doctissimum, ac Eminentissimum suum Purpuratum Fr. Henricum Norisium, poterunt nihilominus, quatenus oportuerit, pro hac pia causa preces interponere apud Apostolicam Sedem Eminentissimus, Reuerendissimus, & benignissimus Protector Ioseph Renatus Imperialis, Reuerendissimus, ac Theologus consummatissimus Mag.Pr.Nicolaus Seranus Aquilanus Generalis dignissimus, ac Procurator Gen. eruditissimus Magist. Pr. Aloysius Ferrarius Mediolanensis. Viuunt quoque nostro tempore Illustrissimi, præclarissimique Infulati ex Religione nostra assumpti, & eiusdem veri amantes, qui etiam, si opus fuerit, hoc facient, videlicet D. Fr. Barnabas de Castro Archiepiscopus Brundusinus, D. Frater Ioseph Sicardus Archiepiscopus Sassaritanus, & Primas Sardiniæ, D. Fr. Emmanuel Franciscus de Zuniga ex Hisp. Magnatibus Episcopus Rodoricopolis, D. Fr. Petrus Lamberti Ledrou Sacrista Apostolicus, & Episcopus Porphiriensis, D. Fr. Paulus Naldini Episcopus Ciuitatis Nouæ in Istria, D. Fr. Guillelmus

lelmus Guirialons Episcopus Leiriensis in Catalaunia, D. Fr. Ioseph Guerrero de Torres Episcopus Caietanus in Regno Neapolitano, D. Fr. Laurentius Ibannez Episcopus Tropeensis in eodem, D. Fr. Marcus Rama Episcopus Cotronensis ibidem, D. Fr. Alphonsus Dominguez Episcopus Monopolitanus in eodem, D. Fr. Cælestinus Labonia Episcopus Montismarani ibidem, D. Fr. Martinus de Ixar Episcopus Conceptionis in Regno Chilensi, D. Fr. Ioannes de Arguellas Episcopus Panamæ in Peruuio, D. Fr. Petrus de Foyos Episcopus Rodiensis, & Arch. Vlysipponensis suffraganeus, D. Fr. Antonius Botado Episcopus Hipponensis, & suffraganeus Bracharensis, D. Fr. Ioseph de Oliuera Lusitanus Episcopus Angolæ aliquorum operum editor, D. Fr. Aluarus Venauente Episcopus Ascalonensis, & Vic. Gen. Apostolicus in Prouincia Kiangsi Regni Sinarum ab an. 1696. Facundissimus Concionator Gen; & S. P. Augustini in Vrbe Prior Nicolaus Augustinus Oliuerius Sanctissimi D. N. Consanguineus, Reuerendissimus modernus Prior Brunensis Comes Lateranen. Prælatus perpetuus, ac Vicarius Gen. Morauiæ Nicolaus Kederitz S. T. Professor, Nobilissimus Pr. Magister Fr. Petrus Portocarrera Assistens Gen. Hispaniarum Eminentissimi Archiepiscopi Toletani ex Fratre-Nepos Primogenitus, & Magnas in proprietate, Præclarissimi PP. Assistentes Gen. pro Italia Ad. R. P. Magister Adeodatus Nucci ab Altamura, Ad. R. P. M. Christianus Mitis pro Germania, & pro Gallia Ad. R. P. M. Io. Baptista le Gros Doctor Sorbonicus, alijque Religiosi clarissimi.

Oratio D. P. Augustini, dum Ciuitas Hipponensis ab Exercitu Barbarorum esset obsessa.

Ante oculos tuos, Domine, culpas nostras ferimus: & plagas, quas accepimus, conferimus.

Si pensamus malum, quod fecimus; minus est, quod patimur; maius est, quod meremur.

Grauius est, quod commisimus; leuius est, quod toleramus.

Peccati pœnam sentimus, & peccandi pertinaciam non vitamus.

In flagellis tuis infirmitas nostra teritur; & iniquitas non mutatur.

Mens ægra torquetur, & ceruix non flectitur:
Vita in dolore suspirat, & in opere non se emendat.
Si expectas, non corrigimur: Si vindicas, non duramus.
Confitemur in correptione quod egimus: Obliuiscimur post visitationem, quod fleuimus.
Si extenderis manum, facienda promittimus: Si suspenderis gladium, promissa non soluimus.
Si ferias, clamamus, vt parcas: Si peperceris, iterum prouocamus, vt ferias.
Habes, Domine, confitentes reos: Nouimus, quòd nisi dimittas, rectè nos perimas.
Præsta, Pater omnipotens, sine merito, quod rogamus; Qui fecisti ex nihilo, qui te rogarent.
Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Eadem Oratio in Hymnodica forma disposita.

Nos ante tuos oculos,
Domine, culpas ferimus,
Nostras plagas conferimus,
Quas priùs nos accepimus.
Si pensamus, quod fecimus
Malum coram te Domine,
Minus est, quod iam patimur,
Maius est, quod commisimus.
Grauius est, quod gessimus,
Quod toleramus, leuius,
Pœnam sentimus criminum,
A culpis non desistimus.
In flagellis infirmitas
Nostra tuis non teritur,
Non mutatur iniquitas,
Sed augetur quotidie.
Mens ægra nostra corruit,
Ceruix dura non flectitur,
Vita stridet, dum premitur;
Sed non se trahit opere.
Si tardas, non corripimur;
Non duramus, si vindicas,
Confitemur, dum corrigis,
Sed facta obliuiscimur.
Si manum verò extenderis,
Facienda promittimus,
Si suspenderis gladium,
Promissa nos non soluimus.
Si tu aliquando ferias,
Clamamus statim, parcito,
Si peperceris, iterum
Prouocamus, vt ferias.
Habes reos nos, Domine,
Confitentes te supplices,
Nisi dimittas, nouimus,
Quòd tu rectè nos perimas.
Præsta, Pater omnipotens,
Quod rogamus immeritò,
Tu, qui fecisti ex nihilo,
Qui te rogent per sæcula:
Amen.

Alia-

Alia eiusdem Orationis Versio.
Elegia ligata metro.

ANte oculos, heu nostra tuos, Pater Alme, precantes
Crimina deferimus, vulnera conferimus.
Si mala pensamus, quæ fecimus, ecce meremur
Maius, sed minus est vtique, quod patimur.
Est grauius longè, quod nos commisimus in Te,
At leuius longè est, quod tolerare datur.
Peccati pœnam iustè sentimus, & ausa
Peccandi tandem pouere despicimus.
Conteritur caro nostra tuis infirma flagellis,
Nostra nec in melius vertitur impietas.
Mens grauis ipsa tibi torquetur viribus ægra,
Firma negat ceruix flectere duritiem.
Fortiter acta suo suspirat vita dolore,
Nec scelera emendat, quæ gemebunda dolet.
Si expectas, non corrigimur, si irasceris vltor,
Continuò pœna vindice deficimus.
Nos, vbi corripias, errata fatemur, & ipsi
Obliti mox, quod fleuimus, appetimus.
Spondemus facienda, manum si extenderis, at si
Suspendas gladium, soluere negligimus.
Si læsus ferias, clamamus, vt illicò parcas,
Si parcas, iterum lædimus, vt ferias,
Testamur nos esse reos, & nouimus inde,
Quòd nisi dimittas, iure quidem perimas.
Ergo age, quæ immeritò petimus, Pater optime, præsta,
Cui ex nihilo placuit condere, qui peterent.

Primam Versionem confecit P.Magister Thaddæus Caputus à Laurino Vic. Gen.Carbonariæ, & habetur in principio libri Psalmorum Dauid in eadem forma Hymnodica dispositorum M.S.4.in nostra Carbonaria; & secundam condidit P. T.A.O.G.Sacræ Theologia Professor. Eamdem exposuit Italicè, vt vulgò dicitur *in ottaua rima*, celebris P.Magister Felix Milensius pariter Vic.Gen.Cong.Carbonariæ, & edita est Romæ per Nicolaum Muzium 1598;& Neapoli 1635. 8.per Montanarum, ac dic.Sanctissimo D.Vrbano VIII.Aliam versionem Italicam dedit P.Magister Ludouicus de Casa Ianuensis meæ

Congr.

Congr.impressam primò in fol.aperto, deinde in meis Floribus Poeticis Eremi Augustiniani pag. 149;cuius; initium.

A te del Mondo afflitto vnica speme,
Presentiamo, ò Signor mesti, e dolenti,
Le nostre colpe, & i castighi insieme.

Inter alios quoque eam Italicè disposuit pius P.Magister Franciscus Maria Battaglia Mediolan.Aug;&in libro *La Gallaria spirituale*, pluries edito affixit, estque illamet, quæ edita fuit Romæ tempore Terræmotus in fol. aperto suppresso veri Auctoris nomine. Incipit enim.

Ecco, ò Signor, ch'auanti agl'occhi vostri
Mettiam le piaghe tutte, e i falli nostri.

Supranotatam precationis formulam *Ante oculos tuos Domine &c.* loco, tempori, rebusque consentaneam, vt fætum D. Parentis Magni Augustini agnouit verus filius, & voluminum ipsius diligens scrutator Bartholomæus Vrbinatensis Episcopus,ac in suo Milleloquio Augustiniano sub verbo *Tribulatio*, collocauit; hoc Titulo: *Qualiter in tribulatione Deus sit rogandus, ostendit in Oratione, quam fecit, dum esset obsessa Ciuitas Hipponensis ab exercitu Barbarorum: quam Orationem prout in antiquo libro sub ipsa rubrica reperi, hic posui.* Porrò præ alijs Augustinianis Scriptoribus Cardinalis Seripandus post duodecimam ad suos Salernitanos super Symbolum Apostolorum concionem discursu Italico eandem orationem, seruiens tempori, euulgans, vt Augustini in illis postremis doloribus partum agnoscit. Neque obstat, quòd inter eiusdem D. Patris opera nondum legatur,cùm de his ipsis necdum inter omnes Vniuersitates in singulis conuenit: neque ipsa singula semel,ac simul edita, sed diuersis temporibus aucta. *Scripsit, quanta nec inueniri possunt*, inquit Gennadius. *Quis ergo glorietur omnia se illius habere?* Et D.Possidius, quamuis annis fermè quadraginta cum Augustino familiariter vixisset,scripsit tamen ad eundem. *Mentitur, qui te totum legisse fatetur: Omnia quis lector nunc tua habere potest?* Ac Pater Magister Milensius in citato Volumine aliquas precationum formulas consimiles alijs in Operibus D.P.Augustini inuenit, quæ omnia ad corroborandam veritatem

tatem nostræ assertionis sufficere possunt. Hac occasione, licèt me insufficientem, & inhabilem agnoscam, tamen commotus filiali amore, & reuerentia summa, quam erga egregia Opera magni Patris Augustini gero, me ipsum cohibere nequeo, quin coarguam audaciam effrontem Ioannis Phereponi, seu Clerc Acatholici, qui in Appendice Augustiniana (si ita dici licèt) edita Amstelodami apud Petrum Mortier 1703. fol. pluries censurare, seu criticare voluit eiusdem magni Parentis scripta; ac in Præfatione protestatus est se de Augustino, quasi de quouis alio homine, agere. Profectò (sicut ipse aliquando citat cum laude Eminentissimum Norisium, & quædam eiusdem Opuscula dicta in Appendice inseruit) si scrutatus esset Vindicias Augustinianas ab Norisio editas, & Concentum Euchologicum doctissimi P. Macedo, in quibus operibus elucet expresè ferè omnes Sanctos Patres, Ecclesiæ supremos Pastores, Concilia, & cæteros Scriptores celebres in vnum conuenire ad extollendas laudes illius magni ingenij, ac ad eius admirabilem sapientiam venerandam, equidem siluisset, vel audaciam repressisset, vel calamum in ignem proiecisset. Quòd verò Phereponus, & alij similes sint Augustino Doctori veritatis contrarij, non obscurat, non diminuit, sed auget ipsius gloriam, testante eximio Ecclesiæ Doctore Hieronymo epist. 80. ad Aug. *Macte virtutis in Orbe celebraris. Catholici te conditorem antiquæ rursum fidei venerantur, atque suspiciunt, & quod signum maioris gloriæ est, omnes hæretici te detestantur.* Hoc quoque etiam præuidit meus Cyprianus Herrera Vitæ B. Toribij in fine cap. 12. pag. 48; dum expressit. *A calumnijs nemo tutus, nemo immunis ab insectationibus, nec Christus, nec eius amicissimi S. P. Augustini scripta ab igne in igne tuta fuerunt, & illæsa, non item à calumniatoribus. Cùm enim Vvandali, Possidio teste, Hipponem incendissent, Volumina ab Augustino exarata flammas euaserunt, eadem tamen à calumniatoribus fuerunt oppugnata, proinde si Augustinus in his, quæ contra Pelagianos, & similes diseruit, à fide deflexisset. Nam nihil tam sanctum est, quod calumnia tentare non audeat &c.* Quòd verò Augustinus sit Doctor veritatis, ac veritas pro ipso, & ipse stet pro veritate (contra eundem Clerc aliter asserentem) duo eruditissimi moderni testes addere placet, qui doctrina, & eruditione absque paritate Phereponum superarunt. Primus Episcopus Ioannes Caramuel scripsit. *Contemnat Augustinum, qui velit; hoc tamen*

vnicum sciat, in quæstionibus pluribus multò grauioribus Pontifices, & Ecclesiam Romanam, vt inuenirent veritatem ad Augustini doctrinam confugisse. In 2. To. Fund. Theologiæ fund.8.par.10.&c.Secundus sit Episcopus Ioseph Suaresius Basilicæ Vaticanę olim Vicarius. *Dum peruoluo Aurea S. Aurelij Augustini Opera, non possum, quin Doctoris egregij prædicem celeberrimam auctoritatem, quæ tanti fuit apud Patres Sexti Concilij, in quo Ecclesiarum Romanæ, atque Constantinopolitanæ tamdiu diuulsarum concordia fæliciter extitit renouata, vt Dogmata S. Augustini essent Palmaria, & abs Eois non minùs, quàm ab Occiduis vnanimi consensu suscepta comprobentur, & ab Hæreticis etiam, sicut à Catholicis proferantur, tamquam Oracula Diuina: Virque omnium virtutum (sic eum compellat in Synodo Gregorius Papa VII.) pius quidam Alcibiades ipse Augustinus quoad vixit, à veritate catholica stetit eam validè propugnans, & non solùm semper inuictus, verum etiam debellatis Hæresibus victor semper extitit, ac Triumphator magnificus.* Suis in Disser. quatuor Romæ impr 1670.4.pag. 19. Sciat vlteriùs citatus Criticus, quòd non deficient, non solùm in meo Ordine, sed etiam externi doctissimi, & fundatissimi Doctores, ac doctrinæ magni Patris veneratores, qui falsa ipsius asserta distinctè confutabunt; inter quos honoris causa nomino nostræ Religionis sincerum amantem S.T.D. Franciscum Ignatium de Zarrega Hisp.Regis Concionatorem, & Archidiaconum Cath.Rodoricopolis. Pro Erasmo denique, quem Phereponus dicta in Appendice, eiusque pares tam extollunt, audiatur eminentissimus Theologus Basilius Pontius Legionensis verus Augustinianus lib.7.de Matrim. cap.1. *Pudet me, dum Catholicos ita Erasmi amore affectos video. Nos enim illius argutas ineptias admirantes reddidimus illustrem, dignum, qui lateret; & cimmerijs obliuionis tenebris cum omni sua prole sepeliretur.*

En Anagramma, duoque Disticha pulcherima in D.Patris Augustini encomium, ac tertium pro Criticis. Anag.est Ianuarij Grossi I. V. Consulti Neapol. Primum Disticon scripsit P. Thomas Gratianus Belga Aug; secundum D. Petrus Carrara Siculus, & tertium D. Ludouicus Leporeus, vt in eorum operibus.

Sanctissimus Pater Augustinus.
Stas pius Magister natus vnicus.

Hære-

Hæretici me fulmen habent, Ecclesia flumen.
Hos peto, quò pereant, hanc rigo, ne pereat.

Aliud.

Quam mistam speciem, quod fert terra Aphrica monstrum,
Semideumque virum, Semiuirumque Deum.

Comparatio Criticorum.

Consimiles Criticis, criticaut, crepitantque Cicadæ;
Consimilique cadunt crepitis, cecidereque clade.

Doctus Amicus P. Mag. Iulius Baudini pluribus in Cœnobijs nostris S.T. Regens, nunc Illustrissimi, & Reuerendissimi Nuncij ad Heluetos Theologus edidit. Tumulus S.P. Augustini, Eccl. Magistri, & Augustissimi Ticini Protectoris Dissertatione Historico-Canonica illustratus Ticini Regij 1698. ex Typographia Iacobi Andreæ Guidini fol.

Sequentes Epistolæ instantibus Illustrissimis doctis, ac amantibus Conciuibus V.I. Doctore D. Nicolao Maria S.T.D; & Abbate D. Roberto Fatribus de Fenolijs, ac D. Paolo Augustino Orengo, & D. Ioanne Angelo Orēgo pariter Doctore Vintimilien. Patritijs hic registrantur. Prima est responsio data Auctori huius Operis ab Illustrissimo, & Reuerendissimo Episcopo D. Petro de Foyos postquam recepit Dissertationem ipsi dicatam de Purpuratis Augustinianis.

Adm. R. Pater.

HÆc tui præclari ingenij monumenta, hos tui indefessi studij lucubrationes, non tibi tantùm, sed & mihi, & vniuerso Eremitico cætui gratulor infinities, etenim illi copiosè restituis, quidquid famæ, & gloriæ ignauia nostra decerpserat; dum hac tua Dissertatione nobis exhibes rediuiuos Purpuratos illos, vtique Eminentissimos, quos ab hominum memoria iniuriosè ereptos obliuio diuturna sepelijt; ita nam-

que eorum libros adnotas, mores depingis, virtutes commemoras, totunque vitæ decursum compendiosè edisseris, vt proinde, ac si ad nos iterum remeassent, oculis obijcias intuendos; quotus enim quisque erit, qui hunc tuum aureum librum reuoluens præclarissimos illos Heroas concionantes, scribentes, disputantes, edocentes, innumeraque alia pia, ac religiosa munera exercentes non conspiciat? Ego (mihi crede Religiose Pater) vix primùm me ad illum legendum applicui, non eos, vt præteritos recolebā, aut absentes contemplabar, sed cum ipsis præsentissimè mihi videbar conuersari. Multa quidem de hoc tuo pio pariter, ac studioso labore fama retulerat; ast nunc plura video, plurimaque imposterum me visurum spero, si eruditissimnm illud amplioris Bibliothecæ præludium, dissertatione scilicet, in qua plures celeberrimos Augustinianos Scriptores ea, qua soles, eruditione recenses, iam suis numeris absolutum, typisque (vt ais) propinquum fæliciter (vt exopto) euulges; nam singuli, quos enarras, authores Eremiticum Polum Siderum instar adornant, quæ nostro subtrahuntur obtutui, nube obliuionis obducta, hac autem tua indagatrici eruditione discussa ea vtique perspicuitate fulgebunt, quam à P. Augustino præclarissimo totius Orbis Sole, dum inter viuos degerent, mutuarunt. Porrò cum hasce tuas lucubrationes plurima non vulgari commendatione digna contineant, illud potissimum laudo, illud tota animi contentione commendo, quòd communem nostram matrem tam pio prosequaris affectu; cùm enim multa potuisses tui operis argumenta deligere, illud omnibus præferendum duxisti, quod eidem plus gloriæ, ac laudis afferret. O vtinam cæteri, qui eiusdem Matris se filios profitentur, tuo accendantur exemplo, fertilissimumque illum agrum, te duce, excolant, ex quo tam salubres protuberant fructus, vt & viuos in hominum memoriam perpetuò interire non sinant, & mortuos ad vitam mirabililer valeant reuocare. Perge ergo, Religiose Pater, perge, ne tam heroica cæpta abrumpas, nam M. P. Augustinus huic tam arduo, ac salebroso labori suauissimum dulcorem instillat, ipsum enim mihi videor audire tibi affectuosissimè alloquentem. Insiste fili, insiste, ne cedas, ecce enim merces tua multa est in Cælo. Vnum tamen (pace tua) ab hoc absolutissimo libro expunctum vellem, meum scilicet nomen, quod immeritò in eiusdem fronte tuus præfixit affectus, vel

etiam

etiam in calce subticendum, cùm æquum non sit fulgentissima illa sidera nubeculam vllam preire, aut consequi; verum licèt hoc, quod quidem vehementer exambio, à te ipso non assequar, non ita me inofficiosum præstabo, vt gratias tibi debitas vllo vnquam tempore intermittam, Deumque enixè precabor, vt te maiora in dies peracturum diu seruet incolumem, Vale.

Vlysippone die 3. Iunij 1703.

P.T.A.R.

Affectuosissimus, & addictissimus Seruus
Fr. Petrus Episcopus Rodijs. &c.

Adm. Reuerendo, ac eximio Patri S. T. Lectori Patri Iacobo Hommeij Augustiniano Communitatis Bituricensis Parisijs in Cænobio Reginæ Margaritæ.

Adm. Reu; & eximiè Pater Colendissime.

Miraberis fortasse, eruditissime Pater, me ad te incognitum scribere, & patientia tua abuti hac longiuscula epistola. Verùm mirari sines, & benignè veniam dabis, si meum in Te obsequium perpendas, quod audaciæ meæ causam fecit, calamumque prouocauit. Cùm enim obseruauerim serio, quanti doctissimi S. Germani Patres tuam circa Sermones D.P. Augustini ad Fratres in eremo sententiam ducant, & apud præclarissimum D. Alexandrum Laurentium Zaccagnum Bibliothecæ Vaticanæ primum Custodem in Epistola ad Lectorem libri sui in prælis de Propaganda Fide impressi, in quo plura Græcorum Patrum adhuc inedita Orbi litterario exposuit, animaduerterim; hinc fit me nedum magnam Tui existimationem concepisse, sed vehementer Opus illud genio meo, & studijs accomodum apud Bibliopolam Gallum adinuentum, voraci oculo perlegisse. Rogatam igitur velim humanitatem tuam, quæ in Viris eruditis numquam parua est, vt me de cæteris Voluminibus hucusque prælo mandatis certiorem facere non ambigat, formamque, nec non Impressorem tui Milleloquij Gregoriani, & si quæ alia supersunt vel edita, vel ty-

pis edenda imposterum, hæc mihi palam aperire ex generositate tua non inficiaris. Demum distinctum consultumque nostrorum paucis abhinc annis Scriptorum Sylabum, noticiamque operum efflagito à Paternitate tua, quam plurimùm vti doctrina, sic benignitate præstare credo. Ego enim assumere exambio in socium nostri Ordinis Mag. Regentē, ac Concionatorem generalem, Patrem nimirum Ioannem Baptistam Cottam virum eloquentem, qui aliqua in Dionysium Cassium Longinum de sublimi Oratione cum notis, pluraque in Prophetas, præcipueque in Cantica Canticorum Poetica edenda tenet, vel doctum quoque Amicum Magistrum Regentem Studij nostri Anconitani P. Carolum Mariam Sartorium Genuensem, vt suppletis nostris Pamphilo, Herrera, Gratiano, Elssio, alijsque abundantiorem Bibliothecam Augustinianam coaceruemus; Nam plusquam sexcentum Scriptores,& inter hos plurimos insignes habeo nostris Historicis incognitos. Iam paruum To. rerum Poeticarum nostræ Religionis Auctorum vna cum eorum vita exposui. Ianuæ apud Franchellum 1682. 12. Ac in ipsius fine Discursum Italicum, cuius Titulus: *Il Beneficato beneficante ombreggiato nella Città di Ventimiglia, rimunerata de' suoi beneficij fatti all'Anime del Purgatorio* Insuper alterum Italica lingua sicuti supradictum, cuius Tit. *Dispaccio Istorico, curioso, & erudito*. Montis-Regalis 1696. 4. apud Antonium Veglia. Postremò Genuæ 1696. Dissertatio sic inscripta. Purpuræ Augustinianæ, seu clara, & distincta Augustinianorum Cardinalium noticia, cuius numerum ad vigintiquinque protraxi, additis aliquibus (vltra supradictos) ad Purpuram proximis. Eminentissimi Cardinalis Henrici Norisij Opera edita, necnon Scriptores, qui de eodem locuti sunt,adamussim refero. Opportunè deinde non finam, quid de ipso dicis pag. 641. Supplementi. Si P. Tua Adm. R. respondere dignabitur, etiam scire desidero, num Commentaria super Epistolas Canonicas B. Augustini Triumphi de Ancona nostri Ordinis pag. 557. Supplementi tui promissa, in lucem prodierint. Lætor enim, & exulto cùm Scriptores nostros à perniciosa obliuione erutos audio. Ego hic Romæ patrocinio, & Litteraria conuersatione fruor Illustrissimorum, & Reuerendissimorum Dominorum Marcelli Seueroli V.I. peritissimi, & Signaturæ Iustitiæ Decani, Ioannis Francisci Rotæ vtriusque Signaturæ Referendarij, Illustrissimi Abbatis D. Nicolai

Antonij

Antonij Guggio à Secretis Eminentissimi Card. Vicarij Gaspari Carpinei Episc. Sabinensis; Abbatis D. Iulij Lucenti Cisterciensis, qui Compendium Italiæ Sacræ edere desiderat, Equitis Prosperi Mandosij aliquorum Voluminum Hist. editoris, Domini Antonij Moraldi, Abbatis D. Marij Crescimbeni Arcadiæ Custodis, V. I. Doctoris, Canonici D. Iulij Cæsaris Grazzini Procustodis, Abbatis D. Iosephi Paulucci à secretis Eminentissimi Spinulæ S. R. E. Camerarij, D. Hieronymi Corbellini Viterbiensis Auditoris Excell. Principis Pamphilij, D. Vincentij Leonij Spoletani pariter V. I. D; Abbatis D. Iusti Fontanini Foroiuliensis, Eminentissimi D. Card. Imperialis Bibl; Ab. D. Rutilij Paracciani V. I. D; Abb. D. Dominici Passionçi I. V. D. Forosemproniensis, Abb. D. Pauli Nurræ Sardi Canon. Ecclesiæ Metrop. Caralis, Abb. D. Alexandri Cruciani Camerin. Eminentissimi D. Card. Mariscotti Auditoris, Abbatis D. Francisci Tosques Troiani S. T. D. Abbatis D. Põpei Figarij Genuensis, Abbatis D. Philippi Sebastiani V. I. D. Nec non quibus multùm debeo, plurimùm enim pro me operati sunt meis in aduersitatibus, videlicet V. I. Doctoris Stephani Rugiæ Viterbiensis, Agentis Eminentissimi D. Card. Cornarij, aliorumque Episcoporum, meique amantissimi Conciuis Abbatis D. Roberti de Fenolijs S. T. D; aliorumque insignium Eruditorum: Quos tamen omnes nominaui, prout memoria suggerebat. Modò, vt finem faciam, vnum abs te, eximie Pr; instanter rogo, quod spero non negabis, scilicet vt audaciæ meæ parcas, & occasionem aliquam Tibi inseruiendi, vt vehementer exopto, annuas. Vale ad Ordinis nostri, & Litterariæ Reipublicæ vtilitatem, & decus. P. T. Adm. R. Romæ 1703. 29. Octobris ex Cœnobio paruo S. Georgij in Velabro.

Humillimus, & Addictissimus Seruus.
Fr. Dominicus Antonius Gandolfus Aug.

EPISTO-

EPISTOLA
ENVMERANS SCRIPTORES
PATREM GANDOLFVM
Celebrantes.

Illustrissimo Domino

D. FRANCISCO MAVRITIO
GANDOLFO,

Marchioni Melassi, & Ricardonis, Comitis Chiusanagi, Gazegli &c.

VIrtus, cuius longè, latèque patentem ditionem nulla tempora obtruncant, nulla loca præscribunt, gemino potissimùm titulo suos sectatores exornat, ac ditat, immortalitate nimirum, ac fama: His plerique hominum inhiant, etsi pauci, quod avidè anhelant, parciùs assequantur. Feliciùs res accidit P. Dominico Antonio Gandolfo omnigena eruditionum serie celebri, Tuique sanguinis agnatione clarissimo, tanto vir, si quisquam alius, in bonis artibus iudicij, & variæ lectionis studio nitet, vt iam non modò per Eruditorum ora, sed etiam per volumina egregiè diuagetur. Mihi proximis diebus plura per otium lectitanti, aliqui eorum Auctorum, qui insignes sapientia viros litteris commendant, in manus venere, vbi cùm plurima, quæ in ipsius P. Gandolfi laudem cernuntur, offenderem, placuit adnotare. Tibi verò, qui cum eodem habes, & necessitudinem familiæ, & ingenium quam simillimum ea, quæ perfunctoriè lustraui, veluti de Palimpsesto transmittere. Sic autem de ipso affabrè scripsit Pater.

Augustinus Oldoinus Genuensis, Societatis Iesu, plurium Operum Historicorum illustris Auctor, in Athenæo Ligustico edito Perusiæ 1680. 4. Lit. D. *Fr. Dominicus Antonius Gandolfus Albintimiliensis inter Heremitanos S. Augustini S. Theologiæ studio celeberrimus, qui plures Italiæ Vrbes in promulgatione Euangelij illustrauit, ex Hispanica in Italicam vertit linguam*

vitam

vitam Ven. Fr. Ioannis de Castro Eremitani, & Archiepiscopi noui Regni Granatensis in Indijs; asseruatur M. S. in Bibliotheca Aprosiana. Vitam ducit Religioso viro dignam &c.

Actuum Eruditorum Lipsiæ præclarissimi Editores sect. septima To. 3. Supplementorum pag. 300; & 301. exponunt, *Dispaccio Istorico, curioso, ed erudito, idest. Fasciculus historiricus, curiosus, & eruditus è varijs Litteris, & Manuscriptis* P. Dominici Antonij Gandolfi *Genuensis Theologi Licentiati, & Prioris Augustiniani collectus, inque lucem datus à Philiberto Hyacintho Gandolfo Monte-Regali (Mondoui)* 1695.4. *Non alienum à sua erga Consobrinum pietate esse credidit doctissimus Editor, si Literas eius ad viros dignatione eminentes scriptas, additis nonnullorum Responsis; publici faceret iuris. Continet hic Fasciculus ab Illustrissimo Magliabechio ad nos transmissus Epistolas* 24; *alterumque se daturum spondet Editor, si quidem hunc placuisse intellexerit. Varia in Epistolis his recensentur, cum primis quæ vel ad Familiam Auctoris illustrandam, vel ad decus Ordini Augustinianorum conciliandum spectare poterunt. Cùm liber breuis sit, non est cur inexcerpendo eo prolixi velimus esse. Mentio ibi fit inter alia Academiæ Obscurorum per Dominicum Antonium Gandolfum in Vrbe Vintimiliensi erigendæ: Statum tamen illius, & rationem, quod dolemus, haud explicat conditor eius in his Epistolis, contentus dixisse nouam hanc Societatem Literariam pro Symbolo habituram obscuræ noctis figuram nitentibus è Cælo Stellis, cum lemmate:* In obscuritate fulgent. *Non esse Emblema omnibus numeris absolutum fatetur ipse, & ad dubia sibi eapropter mota prolixè respondet. De cætero commendant Fasciculum hunc Carmina variorum Auctorum Latina, & Italica, eaque sic satis elegantia. Ac inter Italica quidem duo vel ob argumentum iucunda lectu fuere, opposita enim sunt Illustrissimi Magliabechij obtrectatoribus. Inter latina verò non postremum occupant locum Epigrammata duo, quæ speciminis causa annotabimus. Primum in mortem Illustrissimi Baronis Michaelis de Aste sub capta Buda interfecti, & in eadem tumulati à Paulo Augustino Orengo Patritio Vintimil. scriptum ita se habet.*

Cæsaris Austriaci gemeret cum Buda sub armis
Obsessa, Vngarici Regia, Buda Soli.
Gentis honor Liguræ, Turcarum terror, & horror
Michael intrepido pectore in arma ruit.

Consilio multum iuvit, multum egit, & ense,
Consilio prudens, & simul ense potens.
Effundens tandem per vulnera quinque cruorem
Extrema cecidit voce animando suos.
Intrepidus periit capta tumulandus in Vrbe,
Vrbs post hac tanti funere clara Ducis.
Vt captam vidit Budam, sua lumina clausit;
Ense videns dignum nil superesse suo.

Alterum Io. Baptista Coruesius composuit in honorem Illustrissimi Militum Tribuni Io. Dominici Spinulæ ex Marchionibus Arquatæ.

Tu primus Budæ anfractus, & valla penetras,
Vile tui pretium sanguinis esse putans.
Primus adis, ternos in te prior excipis ictus,
Buda ruit, clamas, sat mihi longa dies.
Tu patriæ Bellum, te bello sustulit ardor,
Ast tibi mors raptos supplet honore dies.
Hoc te funus erat dignum, tu hoc funere dignus,
Magnus eras vitæ, maior honore necis.
Mors hæc summa Ducum laus est, tu in limine vitæ,
Supremam ad laudem per breue tendis iter.

Claudunt Fasciculum hunc Carmina in laudem Auctoris scripta, & Index Literarum. Non poterat P. Gandolfus dare notitiam status Academiæ Obscurorum, quia non erat adhuc instituta, sed instituenda, vt in epistolis expresse patet. Nunc quoque initium non sumpsit ob eiusdem Gandolfi absentiam ferè continuam.

Ioannes Paulus de Fenolijs Doctor Medicus acuratus; & Vintim. Patritius in suo Elogio Epitalamico impr. Niciæ 1687. 4. pag. 16. hæc. *Insignis illa Bibliotheca Aprosiana nunc à perspicacissimo Gandolfo illustrata, tot Voluminibus referta, vt sæculorum opus videatur, & iure merito Litterarum Oceanus, ac mirandum Mineruæ Theatrum possit appellari.*

Laurentius Theodorus Gronouius Hammipolensis insignis Professor publicus Leidensis in seq. Opere. Marmorea Basis Colossi Tiberio Cæsari erecti ob Ciuitates Asiæ restitutas post horrendos Terræ tremores, cuius Colossi fides à Io: Meursio

Meursio oppugnata defenditur; tantùm non oculis exhibetur, & venusta proponitur. Tempus, numerus, & nomina Ciuitatum restitutarum vbique falsus, & varius ab recentibus Commentatoribus traditus, verus, & certus ex marmorea Basi publico instrumento feliciter probatur. Ad Serenissimũ, & Eminentissimum Principem Franciscum Mariam Mediceum &c. Primus trans Alpes vulgauit, notis, & obseruationibus illustrauit Laurentius Theodorus Gronouius. Traiecti ad Rhenum 1697. fol. Pagina igitur 35; & 36. signat. *Post secundam in Italia peregrinationem, & Amplissimorum Virorum erudita consortia, Vincentij Coronelli Summi Venetorum Geographi, qui me proximo anno in Batauis quæsiuit, dum cum Venetis Legatis illuc transiret: necnon post celeberrimi,& amænissimi Io:Ciampini Academiam Romæ, vt & spectatissimi, & Grauissimi Prioris Dominici Antonij Gandolfi Genuæ, aliorumque grauissimorum hominum humanitates &c.* Sequentes Opera ediderunt Lingua Italica.

Angelicus Aprosius Vintimiliensis Augustinianus Eruditis satis notus in Indice primi Tomi Bibliothecæ Aprosianæ, & in par. 2. M.S. Lit. D. Verba sunt reportata in Floribus Poeticis P. Gandolfi pag. 188; & seq. Postea in Pentecoste Scriptorum Anonimorum detectorum &c. impr. Parmæ per Vignam 1689. 12. loquens pag. 96. de Operibus Ven. Alphonsi ad Orosco, scripsit. *Si conseruano con altre, come gioie di Paradiso, nell'Aprosiana di S. Agostino di Ventimiglia, e furonmi mostrate da frà Domenico Antonio Gandolfi Lettore di S. Teologia, e Predicatore, Custode della medema, che non lascia di mouere pietra per raccogliere l'Opere delli Scrittori Agostiniani, e specialmente di questo Ven. Frà Alfonso &c.*

Benedictus Bachinus Casinensis, eruditus magnæ existimationis in nono Diario Litterario, Parmæ per de Oleo, & Rosatum 1696. 4. pag. 149; & 150. *Con foglio volante partecipa a' Letterati il P. Maestro Domenico Antonio Gandolfo di Ventimiglia, Priore Agostiniano, che già publicò gl' amenissimi suoi Fiori Poetici dell'Eremo Agostiniano, d' essere pronto per dare alla luce i Frutti, &c.* In illo deinde anni 1696. impr. 97. Mutinæ per Capponem, & Pontirolum in 4. pag. 126; 27; & 28. notitiam profert Fasciculi Historici eiusdem Gandolfi, & in vltimo 1697. impr. 98. per eosdem Impressores pag. 277;78;& 79. de Purpuris Augustinianis, seu de Cardinalibus Ord. Eremitani differit &c.

Ioan-

Ioannes Baptista Abbas Paccichellius Doctor raræ intelligentiæ in nouis Memorijs suorum itinerum par. prima impr. Neapoli per socios Parrinum, & Mutium 1690.12. pag. 120. adest Epistola responsiua P. Gandolfo, & inter alia apparet. *Non si può, che magnificar d' encomj la Penna, ed il Genio suo, i quali sembran di far risorger sù le Carte gli spiriti del P. Maestro Angelico Aprosio di lei Compatriota. Di tutto io mi veggo tenuto, perche in ogni parte mi conosco interessato. Vorrei poter contribuire quella lode più gioueuole, che nasce dalla virtù sola della P. V; alla quale grato del modello, e saggio dell' Opera, con animo di spargerlo, in chi ne gusta, prego dal Signore Iddio gloriose consequenze. Napoli primo Agosto 1687.*

Ioannes Cinellus Caluoli Doctor Medicus, & Nobilis Florentinus meminit P.Gandolfi in sua Bibliotheca volante Scam. 4. pag. 11. In quinto pag. 7. In sexto pag. 71; & 77. In septimo pag. 43. In vndecimo pag. 124. In tertiodecimo pag. 16; ac pag. 46; & 47. vocans ipsum doctissimum, benignissimum, dignumque Successorem in Bibl. custodia, & eruditione P. Aprosij. Deinde pag. 47. eum corrigit, quia asseruit Fundatorem Apatistarum Academiæ Florentinæ D. Augustinum Coltellinum: Sed pro hoc P. Gandolfus habet attestationes aptas ad conuincendum quemcumque aliter sentientem: Non negat tamen Benedictum Fioretti à Vernio non fuisse fundatorem, sed simul cum ipso extitit quoque fundator Augustinus Coltellinus. Sic cernitur in Actis eiusdem Academię, & testantur egregij viri, ac vera facundia ornati Abbatum D. Antonij Mariæ Saluini Florentini, & Crescimbeni Maceratensis. Demum in Scam.14. impr.Venetijs per Hieron. Albritium 1699. 8. pag. 20; & 23. dat notitiam Operis eiusdem Patris, scilicet Fructus Eremi Augustiniani, scribitque. *E questa vna notitia d' vn' Opera eloquente, ed erudita, che staua allora per vscire alla luce, ed è il titolo di essa Opera.*

Ioannes Franciscus Martini Patritius Niciensis ex Condominis Castrinoui eloquens Poeta in fine Operis, Studia Literarum excitata in laudem D. Deuotæ Mariæ Orenghæ Nobilis Vintim. inserit hæc. *Ode al M. R. P. Maestro Gandolfi Agostiniano. S' inuita il detto Padre ad indrizzare in quella Città l' Accademia degl' Oscuri.*

Gandolfi, ahi, come muore
Ne i più vasti Licei l' arte del dire!

Interessa-

Intereſſato Amore
Suole con frodi aperte vn cor veſtire. In fine:

Or à voi ſi conuiene
Degno Nipote all' eloquente Aproſi.
Con Retoriche vene
Rauiuar in voi ſteſſo vn' altro Ambroſio,
Acciò ai deuij Agoſtini,
Detti in Liceo sì bei dogmi Diuini.

Non eſt F. Gandolfus Nepos P. Aproſij, ſed in Bibl. cuſtodia ſucceſſor, & verus Amicus fuit.

Ioannes Marius Abbas Creſcimbeni Maceratenſis I.V.D. celebris in Hiſtoria vulgaris Poeſis Romæ impr. 1698. 4. pag. 289. ſcribit. *Sebaſtiano Gandolfo Caualiere Genoueſe, della qual Caſa vi è il P. Domenico Antonio Gandolfo Eremitano, che trà l'altre coſe à ſcritto de' Poeti della ſua Religione.* Etiam in Indice Lit. D. In Commentarijs demum circa eamdem Hiſtoriam. Romæ per Antonium de Roſſis 1702. 4. lib. 6. cap. 14. pag. 354. ita ſignat. *Il P. Domenico Antonio Gandolfo* Eremitano *di S. Agoſtino commendabile per la ſcelta erudizione in ſimili materie.* Nominat etiam in Poeſibus Italicis modò ſub prælo.

Alios dare poſſem, quos ſcio quamprimùm Opera edituros, nempe Clariſſimos Abbatem Iuſtum Fontaninum in Indice Bibliothecæ Eminentiſſimi Imperialis, Abbatem Carolum Bartholomæum Piazza in Menologio Romano denuò imprimendo, Doctorem Franciſcum Pauli Baldelli Nobilem Cortonenſem in Relatione, in qua diſcutit, ex quanam Proſapia fuerit B. Vgolinus Cortonenſis &c. Sed pro nunc iam notatos ſufficientes iudicaui. Edere quoque exoptat, ac parat ſequens Opus Italicè.

Li ſplendori Liguri ſuelati dalla Penna del P. Frà Domenico Antonio Gādolfo &c; principalmēte ne detti, e fatti eroici, e glorioſi del Senato, Genoueſi Patritij, e Soggetti qualificati della Liguria, & alcuni anche della Corſica; cō vna deſcrizione delle ſudette due Regioni, e delle coſe notabili delle medeſime. Il Libro reſta diuiſo in ſimile forma. Nel primo capo vi ſono li Detti, e Fatti cōſpicui in bontà di vita, pietà, carità, e liberalità. 2. Li Fatti, e Detti Marziali terreſtri. 3. Li Maritimi. 4. L'Inuentori di coſe, & eccellenti in qualche arte, ò ſcienza. 5. Li politici, prudenti, e giudicioſi. 6. Li inſi-

 gni in

gni in Dominij, e Signorie di Stati. 7. Li faceti, mà non eccedenti il decoro, e grauità. 8. Numero delle Famiglie Nobili Genouesi, con qualche breue notitia delle ventotto Case. 9. Le Donne illustri di Liguria. 10. Vna descrizione vniuersale della Liguria, dandosi distinta relazione delle qualità riguardeuoli, e numero d'anime di ciascuna Città, e Luogo conspicuo, ò degno di memoria. 11. Il Catalogo de' Santi, Beati, e Venerabili Liguri. 12. Quello de' Pontefici, Imperatori, Cardinali, Prelati, e Duci Genouesi &c.

Notitia duorum præclarissimorum Ligurum speciminis causa hic inserere volo; quorum secundus latuit Oldoino, Sopranio, & Iustiniano In suis Liguriæ Scriptoribus; & primus eisdem parum notus fuit. Hos itaque hoc loco expono in gratiam Illustrissimi Augustini Spinulæ q. Felicis pronepotis Illustrissimi, Reuerendissimique Archiep. Genuensis, & Illustrissimi Pauli Galeani Patritij Vintimiliensis Patris Gandolfi Amicorum. Ludouici Spinulæ Prosa, & Carmina opus M.S. in 4. in Bibl. Cœnobij S. Mariæ Consolationis. Ludouici Spinulæ de Reipublicæ institutione ad Virum clarissimum Andream Auriam lib. 2. M.S. 4. ibidem. De eodem Ludouico loquuntur citati collectores Scriptorum Ligurum, nec non Allegambe, Societatis Iesu, & Leander Albertus in Descript. Italiæ Regione Liguriæ Transpenninæ pag. mihi 19. à tergo, ac alij, sed nihil de primo Opere, & de secundo non bene exprimunt titulum. Fuit Spinula vir reuera eloquentissimus, ac à plurimis doctissimis Scriptoribus in ijsdem suis Operibus commendatus. In primo Libro cernuntur carmina Ioannis Dantisci Episcopi Culmensis Regis Poloniæ Oratoris ad Carolum Quintum in eius laudem. Adest ibidem epistola famosissimi Baptistæ Egnatij, cuius inter alia hæc digna verba transcribo. *Floruit tua semper Patria bellicis in rebus magnis ducibus. Floruit Pontificibus non paucis doctrina, pietateque egregijs. Floruit naualis rei gloria, & Mercaturæ studio. Vnam Genuam Venetiæ nostræ æmulam hisce laudibus dicam, an parem? Habuerunt olim literarum studium, & viros in his præclaros vni nobis vendicabamus, nec dubitabat Venetia nostra Barbaris, Donatis, Iustinianis oratoribus egregijs Liguriæ sese præferre tuæ. Tu quasi patriam vinci impatiens hoc tanto decore vnum te tot nostris opponere ausus es; & penè aduersus hanc tam egregiam manum vnus sufficis. Doleamne, an gratuler pro tanta felicitate patriæ tuæ, & fortunæ? Gratulabor certè vel meo ingenio, vel patriæ instituto, quæ non modò non*

inui-

inuidere solet alienam alteri gloriam ; sed vltro etiam adhortari ad palmam tam nobilem omnes, quin etiam attolit sæpè, & quasi manum porrigit ad eam contendentibus : intelligit enim eò magis virtutem enitescere posse suam, quò plures, & præstantiores, qui in hoc laudis studio decertant, habuerit : Quæ si vincatur semel, facilè se se consolatur, vel trophæls tot ante partis, vel quia à magnis, egregijsque vinci viris indecorum non sit ; cùm præsertim ad tantam laudem contendentibus fortuna non sæpe faueat melioribus, non tamen semper arrideat &c.Die 20.*Iunij* 1530.

Floruit itaque Ludouicus Spinula ab anno 1525. vsque ad 1533.In Epistola ad Episcopum Ioannem Dantiscum scripsit. *Ego verò cum amiculis nostris, idèst libris omne tempus consumo : Quibus nihil dulcius, nihil libero homine dignius, mea quidem sententia, reperiri potest.* In epistola deinde ad Cardinalem Rudolphum signat. *Per has litteras, quæcumque sunt, petere non dubitaui, vt cum doctissimorum virorum censuram opusculo cuidam; de Vrbis nostræ institutione à me superiori anno composito, quod sub Andreæ Auria patriæ liberatoris nomine apparere volui, si modò quod appareat tibi, tuisque similibus dignum videbitur &c.*

Ambrosius Galeanus nobilis Vintimiliensis, Doctor Artium, & S.Theologiæ, celebrisque litteratus fuit continuus commensalis, & valde acceptus Cardinali Marco Sitico de Altemps Archiepiscopo, & Principi Salisburgensi tit.S.Georgij ad Velum aureum. Eidem Papa Gregorius XIII. cum suo Breue dato Romæ 1579. 26.Septembris confirmauit annuam pensionem 200.aureorum,quam ipsi assignauit dictus Card.super Abbatiam Clareualis Ordinis Cisterciensis loci Castagnolæ Senogalliensis, vel nullius Diœcesis, qua Abbatia fruebatur idem Cardinalis. Deinde Ambrosius declaratus fuit à Clemente VIII.Protomedicus ob raram, & perfectam ipsius peritiam scientiæ Medicæ. Ambo Breuia asseruantur in domo D.Io: Bernardi Galeani nobilis Vintimiliensis eius abnepotis. Floruit Ambrosius ab anno 1568.vsque ad 1600.circa. Edidit sequens opus à me visum in curioso, & erudito Musæo D.Antonij Moraldi Romani.

Theoremata, & Problemata Ambrosij Galeani Genuensis Sapientiæ Capranicæ Rectoris, atque Sophiarchiæ publicæ Romæ Academiæ, ex diuinæ sapientiæ naturalis, Mathematicæ, Moralis, Medicinæ, atque Logicæ fontibus deprompta, iuxtaque materiarum seriem in prædictis facultatibus tractatarum nexu quodam distri-

distributa, solius veritatis indagandæ studio proposita. *Ad Illustrissimum, & Reuerendissimum S.R. E. Cardinalem Episcopum Sabinensem Io:Bapistam Cicadam Patritium Genuensem Impr. Almæ in Vrbe anno* 1568. 4. Isthæc, cur alio fortuitò occupatum hac epistola Te diuerterem, in causa fuere, eodem enim meo obsequio perfuncturum adiudicarim, si ea, quæ P.Gandolfi laudes attingunt, Tibi exhibeam, ac si tuamet nullo satis stylo celebranda encomia exponerem. Communes quippe laudes virtus dabit, quibus communes origines natura concessit. Vale. Mediolani Kal.Iunij 1704. Fr.F. G. S.T.L.



DVO

DVO HYMNI
IN LAVDEM
D. IOANNIS
A' S. FACVNDO

Confecti à P. Magistro Ludouico de Casa Genuensi

Tempore eiusdem Canonizationis.

ALes diei nuncius,
Petrũ vocãs ad lacrymãs,
Nos excitat, cucuriens,
Ioannis ad præconia.
Aurora Cælum purpurat,
Fælicitatis nuncia,
Quam conferunt Hispanijs
Ioannis incunabula.
Iam lucis orto sidere
Salmanticensis, obuia
Nobis recurrunt gaudia:
Vocamur ad solemnia.
Iesu, corona Virginum,
Ioannis en purissimi,
Halans tibi suauiter,
Flos virginalis candicat.
Ex more docti mystico,
Discamus à Gonzalio,
Vitare fraudes Dęmonum,
Et illecebras sæculi.
Creator alme siderum,
Ioanne in vno, deuijs
Illuminandis cordibus,
Sidus creasti nobile,
Ad Regias Agni dapes,
Deoq; ad aras perfruens,
Vel in via, præoccupat
Beatitatem Patriæ.
Somno refectis artubus
Breuissimo, se macerat:
Solisque pænis vescitur,
Cui esca Iesus dulcior.
En clara Vox redarguit
Lasciuientes impios,
Vox Verbi, vbique prępotẽs,
Metum scęlestis incutit.
Nox, & tenebræ, & nubila
Cæcis abite mentibus:
Fodina lucis aurea
Noctem repellit criminum.
Æterna Christi munera,
Sanctique dona Spiritus
Ioannis in corde emicant
Stuporem ad vsque Gentiũ.
Verbum supernum prodiens
Hispani ab ore Apostoli,
Expugnat arces cordium,
Obstiquenata pectora.

Tu,

Tu, Trinitatis vnitas,
Ioannis ore melleo,
Extinguis iras Ciuium;
Hostesque in vnum fœderas.

Cælestis Vrbs Ierusalem,
Quam pax beat dulcissima,
Pacis Ministro aptissimo
Extultat in Gonzalio:

O' sola magnarum Vrbium
Iberiæ felicior,
Regnantis inter Cælites
Ioannis ossa possidens.

Pater superni luminis
Dat scire cordis abdita:
Dono tibi Prophetico
Futura dat prædicere.

Te splendor, & virtus Patris;
Te Filij, te Spiritus
Nimis perornant gratiæ;
Manuque replent prodiga.

Iam Sol recedit igneus,
Lupæ frementis victima:
Sed nostra adhuc Saguntio
Feruent ab igne viscera.

Alto ex Olympi vertice,
Ioannis, ò benignitas;
Conuerte seruos dulcia
Tuos ad vsque lumina.

Nunc Sancte nobis Spiritus;
Concede, Sahagonij
Sectemur vt vestigia,
Et consequamur præmia.

O Sol Empireis cinctus honoribus!
Nobis Hesperia prodis ab vltima;
Illinc occiduus Sol vbi concidit,
Tu surgis speciosior.

O Lux, qua rutilat nulla serenior!
Cælos exhilarans, pectora recreans,
Nostrorum tenebras discute cordium;
Et vestigia dirige.

Non vndas tumidus tot Tagus aureas
Ad deuexa rotat, quot liquidus dolor;
Irorat scatebris lumina gemmeis
Flendo non sua crimina.

Mistam visibilis gloria Numinis
Litantem, rapiens sensibus attrahit,
Dulcedo Angelici panis inebriat,
In Terris positum beat.

Morbis innumeros exitialibus
Gonzalis delaxat dextera Machaonis;
Mortisque imperium conterit, & noua
Donat luce cadauera.

Ad Thu-

Ad Thulem reboans personat vltimam
Ioannem indigetem fama Saguntium,
Extollitque tubis cernuus aureis
Orbis noster, & Indicus.
O Salmanticei gloria climatis!
Cuschi præsidium, tutor Arequipæ,
Spes Thesauriferæ firma Peruuiæ;
Thesaurisque opulentior.

Adde pag. 378. D.Fr.Ioannes Baptista Sicardus Archiepiscopus Bonaeriensis in America, olim Romæ Assistens Hispaniarum.

Pag.379.loco Consanguinei, repone, Affinis.

Pag.343.num.168.lin.3.loco 1304.repone 1348; pag.346, num.200.lin.12.repone die 20.

FINIS.

PROTESTATIO
AVCTORIS.

SIcut in principio, ità & in fine debita reuerentia profiteor me seruare velle Decreta S.D.N. Vrbani VIII. 1625. & 1634. S. Rituum Congregationis, ac Vniuersalis Inquisitionis: Ideo gesta, miracula, reuelationes, martyrium &c. plurimorum Venerabilium Seruorum Dei, seu Beatorum, quæ in hoc Opere referuntur, tanquam innixa humana Scriptorum auctoritate recipiantur, non verò tanquam ab Apostolica Sede corroborata, præter aliqua iam approbata. Ita sentio, & obtestor.

Ego Fr. Dominicus Antonius Gandolfus Augustinianus.

INDEX

Nominum Scriptorum.

A

B

Hiero-

I

L

M

N

Nico-

Zacha-



Errores impressionis, qui insensibiliter sensum variant &c; qui præli defectus etiam oculis linceis ferè ineuitabiles sunt, vt periti probè noscunt, relinquuntur iudicio intelligentis Lectoris.

F I N I S.

ADDENDA, ET CORRIGENDA SVO LOCO.

Post Præfationem adde. Lege etiam Discursum, in quo probatur S.Augustinum fuisse Monachum, præcisè cum doctrina Patrum, & in primis eiusdem S.Augustini Auctore Dom. Ferrand.Parlamenti Aduocato. Parisijs apud Antonium Lambin, & Socium 1689.12.Lingua Gallica. Eum imprimere fecit Prior nostri magni Conuentus, vt ex Priuilegio Regis eidem affixo. Pag.2.lin.33.an.1213.*cor*.1214.Pag.4.lin.12.63.*cor*.64.lin.16.1636.*cor*.1646.pag.8 lin.34.1213.*cor*.1214.

Num.1.*adde*. Adamus Montaldus floruit ab anno 1456. vsque ad 148 ;, vt Opera ab ipso edita apertè insinuant.

Num.3.§.20. Prima editio B.Ægidij Columnæ Defensorij visa à me in nostra Bibl.Ariminensi est ista. Correctorium Corruptorij editum à Ven.D.Ægidio de Roma, contrà, & aduersus quosdam æmulos &c. Argentinæ impressum in officina Martini Flach iunioris anno Natalis Domini millesimo quingentesimoprimo sexto Idus Ianuarij Fol.Pag.28.§.4.Anglorum,*adde* Regum. Pag.28.lin.39.1496.*cor*.1491.Pag.30.lin.21. Filium,*adde* 1482.Pag.32.lin.14.1628.*cor*.1602.Pag.37.lin.40. Archimedem, *cor*.Architam. Pag.41.lin.11.sed 58.*cor*.56.

Num.15.*adde* Ambrosij Calepini Dictionarij prima editio prodijt ante 1503;eo enim anno Iacobus Philippus Bergomas vt iam impressum opus memorat. Pag.52. lin.15. Conuentuum *adde* Monialium, Pag.53.lin.21.exornatus, *cor*.exornatum.

Num.19.*in fine adde*. In Regestis Ord.die 7.Ianuarij an.1422.cernitur. Prior Generalis Baccalaureum creauit Fr.Andream de Bilijs de Mediolano,eique in nostro Conuentu Bononiensi post Fr.Salimbenem de S.Genesio immediatè lecturam Sententiarum vsque ad Magisterium assignauit. Herrera To.2. pag.397.Non erat igitur S.T.Magister 1401; vt in Compendio Scripturarum Monasterij Senen. à Sestegiano confecto. Ex hoc itaque patet iuuenem è vita migrasse. Pag. 60. lin.16. 1539.*cor*. 1439.

Num.24 *cor.in indice Operum*. Scala Paradisi. Brixiæ apud Io.Antonium Morandi de Gandino 1527. 4.Dicata Gen.Ord.Gabrieli Veneto, qui in Epistola ad eumdem Melium inter alia hæc apparent. *Plura pro ingenij mei captu in eo Opere notaui,quæ admirantis potius silentium requirunt, quam applaudentis*. Deinde Cremæ 1611.4.Vltimò Cremonæ apud Hyacinthum Belpieri 1626.4.

De vero, ac legitimo intellectu Priuilegiorum, præcipuè Confessionalium, ac potestatis absoluendi, & dispensandi in casibus reseruatis ordinariam potestatem integræ potestati restituens. Tractatus editus per Fr.Antonium Melium de Crema. Brixiæ in officina M.Io.Antonij Morandi de Gandino 1525.4.corrigendus Fontana, qui in sua Bibl.Iuridica adscribit Francisco Melio, non Fratri Antonio Melio.

Num.38.*cor.in Indice*. Tractatus Augustini de Ancona super Missus est,impressus est Lugduni per M.Sixtum Glogheng eiser Alemanum de Nordlingen.Rethiæ 1506.4.vidi in nostra Ariminensi. Pag.83.lin.24. dictus *cor*.Augustinus lin.25.1503.*cor*.1522.lin.34.1508. *cor*.1505.

Num. 39. cor. Augustinus Vicentinus Lector Paduanus, cuius M.S. Conciones in nostra Collensi, non fuit ille modernior, de quo differo, sed antiquior. Hoc, vt melius obseruaui, suadent libri membranacei vetustas, ac gradus Lectoris Paduani numquam iuniori tributus. Reponendum ideo, vt sequitur. Ven. Augustinus de Vincentia in Conuentu Ratisponensi, & Patauino S.T. Lector à B. Iordano de Saxonia lib. 2. cap 30. pag. 201. tamquam vir venerabilis, & deuotus zelator disciplinæ, & Religionis, ac adeo castus celebratur, quod illibato Virginitatis flore decessisse crederetur. Hæc sunt verba Iordani *Similiter exemplum de Fr. Augustino de Vincentia olim Lectore in Padua viro vtique venerabili, vt ab antiquis Patribus meis audiui. Hic cum esset Lector in Ratispona, & visitaret cum alijs Fratribus quamdam sanctam Matronam infirmã, & morti vicinam; porrectum ab ea sibi brachium eius nudum tangere noluit, sed manica cappæ mediante. Cui quidam ex Fratribus præsentibus, quasi indignans dixit. Non perderetis per hoc virginitatem, si nuda manu tangeretis brachium illius vetulæ. De hoc venerabili viro multa bona prædicata audiui, quod videlicet continuus erat in libris, raro in otioso sermone, raro sine missa, deuotus in horis, & orationibus suis zelator disciplinæ, & Religionis, castus totus ita, quod creditur virgo decessisse.* Ambrosius demum Coranus in comm. 37. tertiæ Regulæ S.P. Augustini scripsit. *Duo quoque nostræ Sacræ Religionis viri castissimi, quorum alter Augustinus Vicentinus, alter Hermandus Germanus appellatus Physici doctissimi, & expertissimi, pulsum mulierum ad quamcumque earum instantiam, ob eorum conseruandam pudicitiam, & tangere, & iudicare noluerunt.* Coruscauit Augustiuus, vt ex verbis Iordani conijcio, circa 1300. Herrera in Alp. pag. 5. & 6. Torellus To. 5. pag. 227; alijque.

Num. 56. adde in indice. Liber definitionum, in quo propriam cuiusque rei vim declarat; ex Pamphilo. Pag. 118. lin. 39. 1596. *cor.* 1569. Pag. 119. lin. 26. 1596. *cor.* 1568. Bononiæ 1626; & 1671. ex Fontana.

Num. 69. cor. Franciscus Nerlius Florentinus, vt melius obseruaui, idem fuit, ac Franciscus de Biancoso de Nerli, de quo Herrera pag. 247. De ipso loquitur Matthæus Villanus coæuus, scribitque accepisse Doctoratus insignia in D. Reparatæ Templo 1359. die 9. Decembris. Non interfuit itaque Concilio Florentino, vt aliqui nostri scribunt.

Num. 77. in indice dele verba. Supranominatus Vgolinus fuit B. Vgolinus de Cortonio, quia dictus B. obijt 1370; vt expressè ex Torello, & amico D. Francisco Baldello patet.

Num. 78. in indice lege sic. Opus Sermonũ Dominicalium super Epistolas celeberrimi, ac excellentissimi Diuini Verbi Declamatoris Gotscalci Hollem. Hagenoię per Henricum Gram. 1517. fol. in prima parte adsunt Sermones 73. in secunda 107, ac 17. de Dedicatione Ecclesiæ.

Num. 79. adde. Gregorius Ariminensis fuit cognomine Tortoriccius, ciuilis familia, sed parum diues: Ita mihi testatus est eruditissimus Amicus Archipresbyter D. Ioseph. Malatesta Garuffi, qui de eodem benè disserit in 4. parte Historiæ edendæ suę Arimini Ciuitatis. Hoc inuenit in quodam antico M-S. membranaceo Monachorum Oliuetanorum S. Mariæ dictæ de Scolco, dum simul cum Illustrissimo Iacobo Villano

Epi-

Episcopo Catacensi diligenter res antiquas eiusdem Ciuitatis perquirerent. Hodie dictum M.S. plurimaque alia in pergamena, non sine detrimento, ampliùs non extant, quia dispersa fuerunt. De Gregorij vigilantia in tuenda puritate aliqua innuit Iordanus de Saxonia lib.2. cap.30.pag.211.editionis Italicæ, quod non cernitur in latina. In italica quoque reperitur in principio operis Epistola B. Iordani ad Fr. Ioannem Lectorem in Argentina, & Proæmium eiusdem Operis, quod non extat in latina editione. Bulla quoque, seu Priuilegium Sixti V. reperitur iu Italica. De Gregorio loquitur Cæsar Clementinus Nobilis Arimin.in Hist.suæ Patrię lingua Italica edita ibidem apud Simbenium.1627.4 Par.2. lib.6.pag.44. Sed aliqua indigent correctione, sicuti vbi scribit Canonizationē D.Nicolai Tolentinatis fuisse tempore Generalatus Gerardi Arimin; quod falsum est, vt patet in mea Differt. pag.246.

*Num.*82.*in indice adde*. Decreta generalia ad Clerum Nouariense 1347.in Archiuo S.Iulij. Additiones ad Statuta Ecclesiarum S.Iulij in Insula, & Eumenia. Decreta ad perfectam disciplinam. Statuta Ecclesiæ Nouariensis 1352.Statuta Ripariæ S.Iulij 1343. Statuta Plebis Guadianæ 1354.Liber de bonis Ecclesiarum Diæcesis Nouariæ in Archiuo Cathedralis. Ex Carolo à Basilica Petri, & ex pag. 208.Musei Nouarien.eruditi Lazari Augustini Cottæ de Ameno. Patet etiam ex primo To. Alphabeti nostri Herreræ vbi de Ecclesia S.Mariæ de Cella Genuæ loquitur, quod ibidem cernitur effigies Ven.Guillelmi de Cremona titulo, & radijs Beati coronata ab anno 1466.

*Num.*84.*in fine*. Rationale Diuinorum Officiorum Guillemi Duranti etiam editum est Venetijs per M.Bonettum de Locatellis 1490. fol.Italicè quoque sic. *Il Rationale delli Diuini Officij composto per il Reuerendiss.Padre, e Signore il Sig.Guilelmo Durante della Sede Apostolica Presule Mimatense, dal quale pure fù composto il speculum Iuris Ciuilis, tradotto dalla Latina lingua in nostra volgare per lo Magnifico Sig.Colantonio Carmignano Napolitano per commandamento della Serenifs. D.Bona Sforza Regina di Polonia, & à Sua Maestà Serenifs.intitolato*. Neapoli per Ioannem Sultzbach Alemanum 1539.4.Vidi in nostra Ariminensi. De Guillelmo Duranti loquitur cum laude Nicolaus Euerardus in sua Topica Iuris loco ab auctoritate n.18.pag.mihi 602; scribitque Guillelmum ætatis annorum 34.fuisse S.Rotæ Romanæ Auditorē, vt testatur ipsemet in Speculo tit.de appellat.§.nunc breuiter, in vers.iusta causa. Eum commendant Ioannes Andreæ, Paulus de Castro, Iason, pluresq; Legistæ famosi. De Carmignano nihil aliud Toppium, & Nicodemum.

*Num.*98.*adde in fine*. Hermolaus Barbarus de se ipso in Epistolis clarorum virorum (liber editus Venetijs 1568.ex Typ.Guerrei 8.) pag. 116.R.P.Arnoldo hæc. *Octuodecimo ætatis anno de Cælibatu libros duos pueriliter conscripsimus. Vnde vigesimo Themistium conuertimus, vigesimo sexto edidimus. Vigesimo quinto Rhethoricos Aristotelis libros interpretati sumus; Vigesimo octauo Dioscoridem; Trigesimo Dialecticen Aristotelis vniuersam. Præterea multos Epistolarum libros, multas orationes, multa Carminum millia condidimus; & omnino si numeres, quæ scripsi senex sum;*

sin ponderes, fere puer. Quid, quod & priuatis, & publicis occupationibus distinguor, & differor? libros omnes Aristotelis morales in Academia Patauina biennium perlegi, quamquã anni ex illo decem, & amplius acti sunt. Magistratus duos gessi, vel laboriosissimos. Non paruam Reipublicæ, non paruam amicis operam impendimus. Hoc ipso anno, qui nobis alter est, & trigesimus philosophiæ scholas ciuibus meis aperui solo amore litterarum, absoluturus intra quadriennium, non dico quæcumque leguntur in scholis (nam hæc perpauca sunt) sed quæcumque Aristoteles conscripsit, Logica, Physica, Theologica, Poetica, Rhetorica. Vtor expositoribus Græcis, Latinis, Arabibus, præcipue verò Græcis, vnde omnis & excitata, & consummata Philosophiæ cognitio est, Iamblico, Porphirio, Alexandro, Themistio, Simplicio, Philopono, cæteris huiusmodi, post hos Auerroe, quem vt multis ante se, ita neminem post se fuisse comperio, & hercle, si conferas huius viri scripta cum Græcis, inuenies singula eius verba, singula esse furta ex Alexandro, Themistio, Simplicio. Sed de hoc alias &c. 1485. *Kal. Iunij.* Pag. demum 118. licet scribat. *Nullius me militiæ Sacramento addixi*, tamen non improbat eum non fuisse Augustinianum, vt iam scripsi, sed signat potius numquam vouisse, seù professionem emisisse, vt ex Torello, & Florello expressi. Hoc posteà memorans cum propè terminum vitæ constitutus fuisset, denuò cum meis Augustinianis esse volult, vt quod iam cæperat ante vltimam transmigrationem perficeret. En itaque alia de se ipso ab eodem exposita. *Parentes mihi ambo viuunt. Mater è gente Vendramina est, Andreæ olim Ducis, & Principis Veneti filia. Fratres mihi duo de quinque superstites sunt. Sorores quatuor, Maritæ duæ, Vestales, & dicatæ Deo reliquæ. Franciscus Barbarus mihi patruus fuit auus Orator in Vrbe nostra summus, scilicet vtraque lingua. Librum de re vxoria condidit penè puer: Sicut & Aristidis, & Catonis è Plutarcho Vitas ad Zachariam fratrem, quem Veronensis Antistitis Hermolai patrem fuisse, non falleris coniectura. Is libros Epistolarum reliquit multos; quos quidem, cum primum per pestilentiam licuerit imprimendos curabo. Viuit, & alter Barbarus gentilis, & ipse noster, quem tu apud Regem Persarum legatione functum legisti. Orationum, & Epistolarum mearum libros exire, nisi castigatissimos volo: alioquin iniquum esset, & temerarium, monumentis aui nondum editis; nec Themistium emisissem, si quid in eodem genere litterarum scripsisset auus. Interim Aristotiles cuditur, opus quantum nostra fert opinio maximè necessarium. Dioscoridem quoque poscimur, nec differre præterea Medicorum vota licet. Proinde primo quoque tempore officina mandabitur &c. Venetijs* 1486. *Idibus Febr.* Hermolao Barbaro Marsilius Ficinus lib. 10. Epist. pag. 213. à tergo editionis Norimbergæ per Antonium Koberger. 1497. 4. data 12. Martij 1491; inter alia. *Opto equidem hanc tibi dignitatem felicem fore. Idque Deum præcor cælestium conditorem. Congratulor etiam dignitati, quæ profecto tantum abs te honestabitur, quantum plerique solent à dignitatibus honestari. Gaudeo denique mihi sæculoque nostro, quia doctrinam cum integritate vitæ iam dudum coniunctam vidimus, & iam forte potentiam cum sapientia (quod Plato noster in primis optabat) vidimus conspirantem &c.* Hæc libenter addidi, vt agnoscat præclaris-

clarissimus D. Apostolus Zenus quanti faciam attinentiam, quæcumque illa sit, quam celeberrimus Barbarus in adolescentiæ flore, & in suo de hac vita exitu, voluit cum meo Ordine habere.

Num. 100. *in indice adde*. Constitutiones Ordinis, cum ordinario, & commentario &c. etiam Romæ per Antonium Bladum impr. Camer. 1553. fol. Pag. 190. lin. 10. vsque à *cor.* vsque ad Pag. 189 li. 29. *dele* non.

Num. 105. *in indice adde*. Sophologium Iacobi Magni editum est etiam Venetijs 1576. 4. correctione, & industria mei Magist. Ægidij Grauatij Rocchensis. Torellus ad dictum annum num. 22. malè signat Grauatium composuisse Sophologium &c.

Num. 106. *in indice*. In Psalmos &c. Ven. Iacobi de Valentia etiam Venetijs in Calcographia Bernardini Stagnini de Tridino 1526. 8. ibidem apud Florauantem à Prato 1586. To. 2. 4. Scripsit quoque in quatuor sententiarum, vt Posseuinus in Bibl. selecta lib. 3. pag. mihi 277. Pag. 195. lin. 36. 1413. *cor.* 1513. Pag. 200. lin 21. & 24. 1481. *cor.* 1581.

Num. 220. *adde*. Ex præclarissima Prosapia Becchetta nostri Ven. Ioannis Fabrianensis nunc solummodo remanet insignis V. I. Doctor benignissimus D. Antonius Maria Becchettus Romæ degens. Pag. 219. lin. 43. 1549. 8. *cor.* 1548. fol. Pag. 244. lin. 27. statim *cor.* illicò. Pag. 247. lin. 26. Adiacentis *cor.* Adiacensis.

Num. 146. *adde* Martinus de Signa Florentinus, ex Regestis Ord. anno 1487. erat Prouincialis Pisanus, & eodem ann. die 10. Iunij obijt Herrera To. 2. pag. 92. Pag. 278. lin. 18. eructauit. *cor.* tractauit. lin. 28. doctictissimus *cor.* doctissimus. Pag. 279. li. 34. 1510. *cor.* 1550. Pag. 291. li. 24. cognomenta *cor.* cognométo. Pag. 296. li. 18. pag. 50. *cor.* pag. 101. Pag. 298. li. 32. editum *cor.* editus. Pag. 299. lin. 7. Torellus *cor.* Cinellus.

Num. 266. *in indice* Expositio Vrsonis Doctoris Parisiensis in Summulas Logicæ Petri Hispani cum textu eiusdem. Venetijs per Otinum de Luna Papiensem 1499. 24. Maij fol.

Num. 171. *adde*. Groppantes electus in Prouincialem Pisanæ Prouinciæ Scarpariæ in Cœnobio, confirmatur à Gen. Ord. die 6 Iulij 1456.

Num. 182. *in indice*. Siluester Meucius de Castilione Aretino in Epist. præliminari super Hieremiam Prophetam Abbatis Ioachim D. Presbytero Paulo Angelo ex Imperiali Bisantina Prosapia directa, hæc inter alia. *Opuscula, quæ hucusque suggestu, persuasu, curaque: ac diligentia mea haud modico cum labore impressa habentur hæc sunt. Abbatis Ioachim explanatio in B. Cyrillum de statu Ecclesiæ ex modo vsque in finem sæculi, & specialiter de horrendo illo schismate mystici Antechristi Præcursoris veri Antechristi. Item liber concordiæ noui, & veteris Testamenti fundamentalis, atque regularis operum cæterorum eiusdem. Venetijs per Simonem Luere 1519. 4. Item super Isaiam de oneribus in orbem vniuersum. Item opus illud celebre, & famosum super Apocalypsim &c. vna cum Psalterio decem chordarum, in quo contemplantium, & cælibem vitam ducentium describitur forma. Quæ quidem vita post nouæ Babilonis, & Ecclesiæ reformationem, in tertio videl. Mundi statu maximè vigebit. Postremo in Hieremiam interpretatio per pulchra &c; vt iam notatum. Venetijs per Bernardinum Benalium* 1525. 4.

Num.

*Num.*187.*cor.* Audiui à viris fide dignis corpus inuentum Florentiæ nostro tempore in Ecclesia Conuertitarum non fuisse B. Simonis Cassiani, sed alterius Venerabilis iunioris. Corpus itaque B. Simonis, vt testantur scriptores Ord; est Cassiæ in nostro Templo.

*Num.*193.*adde* Theodoricus Vrie, ait Herrera To.2. pag.456. non Hispanus, sed Germanus, Prouinciæque Saxoniæ alumnus fuit. Reperimus eius memoriam in regestis, in quibus die 29. Decembris ann. 1419. Prior Gen. concessit M. Ioanni de Moneta Prouinciæ Coloniensis Præsuli, vt in ea Fr. Theodoricum Vrie Lectorem de Prouincia Saxoniæ posset collocare. Librum Theodoricus edidit de Consolatione Ecclesiæ, Argentinæ impræssum, cuius Ioannes Balæus, & Paulus Langius meminere. Ille in Catalogo illustrium Scriptorum maioris Britanniæ pag.543. hæretico liuore prodit Theodoricum lib.3. de consolatione scelera Prælatorum grauiter insectari, hic verò in Chronica Citicensi. pag.851. &c. vt iam suo loco. Hæc addidi, vt agnoscat doctissimus Hermannus Vander Hardt, quod iam ab anno 1644. Scriptores Ord. Theodoricum Vrie vti Germanum è Saxonia proclamabant Pag.335.li.34. possit *cor.* possint. Pag.347.li.39. Demum, *adde* an.1367.

*Num.*196.*adde in indice* Excel. S.T. Prof. Ord. Min. Antonij Andreæ super duodecim libros Metaph. quæstionum R.P. eximiusque S.T. Prof. Thomas de Anglia Ord. Heremitarum in Ciuitate Patauina legens diligentissimè emendauit &c. instantia, expensisque M. Nicolai Petri de Harlem de Hollandia Alemani coadiu. M. Hermanno de Leuilapide de Colonia; quarum impressio à principio vsque ad finem extat peracta An. Dom. Incar. 1477. 12. Maij in clara Ciuitate Vicentina fol.

*Post num.*200. *pag.*346. *adde*. Cum vsque ad finem Tridentini perueniat Opus, meminere libet Viri præclarissimi mei Ordinis in vltima Quadragesima S. Concilij Concionatoris celeberrimi, vt videre est in Indice Theologorum Ord. Eremitarum dicti Concilij. Eugenius Fabrinus Pisauriensis in S. Tridentina Synodo egregius Verbi Dei annunciator, Episcopus Smirnensis à Gregorio XIII; ac Veliternarum Propræsul creatus fuit anno 1575. Eius Oratio habita Tridenti Dominica tertia Aduentus 1561. impressa est Brixiæ per Damianum Turlinum 1563.4; ac in actibus eiusdem Concilij. Plura Manuscripta reliquit, ac de hoc mortali carcere solutus est 1580. die 21. Iunij. Ipsius effigies ad viuum conspicitur depicta in Choro nostri Pisauriensis Templi. Nostro tempore viuit consimilis eiusdem Eugenij, nempe celeberrimus in Pergamis Magister Regens Hyacinthus Tonti Anconitanus Cænobij S. Nicolai de Fulgineo filius, ac amicus, qui iam quindecim Quadragesimales cursus confecit, cùm solummodo 37 annum ætatis expleuerit. Genuæ impr. est eius Discursus eloquens in S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis encomium 1703.4. Sed de ipso, vt & de alijs egregijs Concionatoribus Augustinianis distinctè in alia Dissertatione.

*Pag.*359.*n.*7.*adde*. Vitam D. Nicolai, quæ edita est Florentiæ per Zucchetta 1525.8. à Dulciato nostro disposita in Prosa desinit pag.97. Pag. demum.98. incipit, vt vulgo dicitur, *in terza rima*, prout sequitur.

O Stel-

O Stella matutina; ò Luna piena,
O Sol fulgente del lume Diuino:
O benigna alma pietosa, e serena.
O Santa Pianta, ò Figlio di Augustino:
O buon Maestro d'ogni perfezzione:
O San NICOLA mio da Tolentino.

Postea adsunt tres laudes in honorem D.Nicolai eiusdem Dulciati. Hæc monuit eruditus Amicus S.T. Bac; & Concionator P. Camillus Landi Florentinus.

Sequentia ad honorem S. Nicolai de Tolentino.

Nicolaus Tolentinas
Decus mundi res diuinas
Cumulauit hodie.
Terris italus Picænus
Eremita sat amenus
Vixit purus innocens.
Augustini normam sequens,
Sanctitatis signa præbens
Decorauit ordinem.
Adhuc infans Deo carus
Iesum videt, vt praclarus
Signis, & virtutibus.
Bariensi prece datus,
Ipsum semper imitatus
Vitam duxit cælibem.
Mox iam factus Eremita
Augustini gaudet vita
Commune cum fratribus.
En exemplar castitatis,
Vere typus paupertatis
Pauper, & obediens.
Flagris dæmonum vexatus,
A Deo nunquam separatus,
Fecit mirabilia.
Cæcos, claudos, surdos, mutos,
Aura cæli destitutos
Vitæ dedit pristinæ.
O quot ægris sanitatem,
Quot captiuis libertatem,
Quot afflictis gaudium.
Aquas, ventos, tempestates,
Procellarum feritates
Linguæ fregit gladio.
Purgatorium nudauit,
Peregrinum liberauit
Spoliauit Tartara.
Hic in terris multa gessit,
Plura è cælis intercessit,
Fruens Dei gloria.
Iam testatur Petri nauis
Agitata, facta grauis
Diris tot scismatibus;
Quando factus aduocatus,
Inter Sanctos collocatus
Pacauit Ecclesiam.
Suo pane benedicto,
Malum procul ab afflicto
Relegauit dulciter.
Nouum genus hoc medendi,
Et tot morbos expellendi,
A Maria didicit.
Ipse prius est curatus,
Quando hoc pane saginatus
Pro assis perdicibus.
Salue custos infirmorum,
Medicina viatorum,
Factus mundi medicus.
Omnes Angeli te colunt,
Omnes superi te volunt
Triumphantem maximum.
Si ad cælum cursum tendis
Astrum vides, & intendis
Angelorum modulos.
Tibi dat vocem Maria,
Christus secum voce pia,
Augustinus pariter.
Turba cuncta Beatorum,
Clamat veni Confessorum
Vera lux sanctissima.
Pro te Cælum collætatur,
Pro te Mundus sublimatur.
Tuum nomen honoratur
Omnibus fidelibus.
Iam nunc super astra viuis
Gloriosus cum tot diuis,
Paradisi factus ciuis,
Fac nos tecum rapias.
Amen. Alleluia.

℣. Ora pro nobis B. Nicolae:
℟. Vt digni, &c.
Oremus.
Concede quæsumus &c.

Carolus Iulianus Ferruccius S.T.L & Prior edidit Anconæ 1699; & Maceratæ 1700. Italicè Relationem vltimarum, & magnarum effusionum sanguinis D.Nicolai, ac dicauit dignissimo Episcopo Maceratensi Illustriss. D.D. Alexandro Varano.

Pag.

Pag.371.post num.60.adde Illustriss. Episcopus Tortonensis D. Paulus Aresius, edidit. *La Perfetta Oratrice Sermone in lode della B. Rita de Cascia in occasione della festa per la sua Beatific.* Tortonæ, per Calenzanum,& Violam 1629.4.P.Carolus Moneta egregius Concionator Soc. Iesu edidit Mediolani per Carolum Malatesta 1628.4. *Panegirico Sacro per la B.Rita de Cascia Monica miracolosissima &c* Vita eiusdem à P. Reuerendiss.Ghetti composita edita est etiam Perusiæ per Angelum Bartoli 1628. 8.Pag.361.li.1. 1436.*cor.*1336.Pag.362.Komarek 1639. *cor.*1693.& num.8.1421.*cor.*1521.Pag.364.n 25.per Herreram *cor.*per Hertz.Pag.374.li.9.Alphonso *cor.*Alphonsi. lin.23.vocatur *cor.*vocatus. Pag.378.li.40.Ciuitatis nouæ *cor.*Iustinopolis. Pag.385.li.25.hos *cor.*has pag.386.lin.33.mirabiler *cor.*mirabiliter. pag.395.lin.4.Aprosi *cor.*Aprosio. lin.25.Doctorem *cor.* Dominum. Pag.400. Extultat *cor.* Exultat. In Indice Albertus de Soxonia *cor.*Saxonia.Rindus, Bindus, Bontemblans, Bonsemblans, Ven.Ludouicus *cor.* Luchinus.

In serie Scriptorum Encomiast.P.Gandolfi addendi sunt.Primò.Diarium Litterarium Gallicũ impressum per Stephanum Ganeau Treuultij 1704.Mense Nouemb. in 12.pag.1998;& 1999.Secundò.Relatio Italica lingua circa Patriam, Familiam, obitum &c.B.Vgolini Zefferini de Cortonio à D.Francisco Pauli Baldelli directa eidem P.Gandolfo edita Florentiæ in Typog.S.R.C.1704.12.Hic pag.10. 17. 19.& 43.citat eius Opera cum laude. Tertiò. In Theatro Græcarum antiquitatum ab eruditissimo Iacobo Gronouio collectarum To.7.edito Lugduni Batauorum apud Petrum Vander Aa.1699.fol.pag.503. conspicitur mentio encomiastica eiusdem P.Gandolfi facta à Theodoro Gronouio, iam in hac Dissert. reportata, sed non benè exprimitur cognomen. Quartò Poemata Italica denuo edita, aucta, & illustrata à D. Io.Mario Crescimbenio. Romæ 1704.per Antonium de Rossis in 12. Pag.316.eum memorat sub nomine Arcanij, ac in Indice litt. A;& G; scilicet pag. 407; & 418 Quinto.Diarium Litterarium impres.Foroliuij per Io. Felicem Dandi hoc anno 1705.4.in principio Mensis Martij, & seq. collectore ingenioso amico Archipres.D Iosepho Malatesta Garuffi. Die 4.Nouembris anni transacti P.Gandolfus Academiæ inclytæ Incuriosorum Rossani vnitus fuit, accepitque Diploma ab eruditissimo Promotore D.Hyacintho Gimma Barensi V.I.Doctore &c.plurium Operum editore, & præcisè duorum Voluminum Elogiorum Virorum dignitate, & doctrina eminentium eiusdem Academiæ, quique tertium coadunat, quamprimum edendum. Omnia porrò quæ in hac Dissertatione Historica, & Appendice collegit, & disposuit Auctor ad hoc firmum terminum direxit; vt Deus glorificetur, & exaltetur in seruis suis, expresè comprehendens verissimum esse assertum S.Sophronij Archiep.Ierosolimitani homilia in BB.Apostolos Petrum, & Paulum latinè exposita à doctissimo, tunc Illustrissimo, postea Eminentissimo, Io.Francisco Albano, nunc dignissimo Christi Vicario Clemente XI. *Quod non secundum Christum Deum fit, nullam prebere solet facientibus vtilitatem.*

150
D
14